image
not
available

APHTHONII PROGYMNASMATA,

Partim à Rodolpho Agricola, partim à Iohanne Maria Catanæo, Latinitate donata.

Cum scholiis R. Lorichii.

Novissimâ editio, superioribus emendatior, & concinnior.

Adjecto INDICE *utilissimo.*



Amsterodami,


Apud Ludovicum & Danielem Elzevirios.

CIↃ IↃC LV.

APHTHONII DECLAMATORIS

Præexercitamenta.

FABULA, QUÆ GRÆCE ΜΥΘΟΣ.



Abula traxit à Poëtis originem, qua Rhetores etiam communiter utuntur, quod admonitionibus sit idonea, & erudiendis imperitioribus apta. Est autem Fabula, sermo falsus, veritatem effingens. *Fabulæ origo.* *Quid sit.*

Varias sortitur appellationes. Nam modò Sybaritica, modò Cilix, modò Cypria dicitur, receptis pro Inventorum varietate nominibus. Obtinuit tamen, ac evicit, ut potiùs Æsopica vocaretur, quòd Æsopus omnium optimè fabulas conscripserit. *Ejus nomina.*

Sunt autem fabularum aliæ rationales, aliæ morales, aliæ mixtæ. Rationales sunt, quibus fingimus hominem aliquid facere. Morales, quæ ratione carentium morem imitantur. Mixtæ, in quibus utrunque, rationale, & irrationale, junguntur. Quodsi admonitionem, cujus causa fabula inventa est, præposueris, προμύθιον, id est, ut ita dixerim, Præfabulationem: Si verò postposueris, ἐπιμύθιον, hoc est, Adfabulationem, appellabis.

EXEMPLVM FABVLÆ
Formicarum & Cicadarum juniores ad laborem adhortantis.

Flagrans æstatis erat fervor, cum Cicadæ continuis indulgebant cantilenis, lætoque inter arbusta strepebant carmine; At Formicæ laboribus intentæ, victum quærebant, colligebantque fructus, quibus hyberno tempore vescerentur. Ingruente igitur hyeme, partis Formicæ nutriebantur: Sed inertibus Cicadis oblectans illa voluptas cessit in inopiam atque famem. Sic, qui laborem in juventa subterfugiunt, in senecta tabescunt egestate.

SCHOLIA.

Quintilianus, optimus eloquentiæ magister, præcipit, adolescentes in minoribus dicendi facultatis operibus antè exercendos esse, quàm ad magnum illud Declamationum opus perducantur. Sunt autem opera minora quatuordecim:

Fabula, Narratio, Chreia, Sententia, Confutatio, Confirmatio, Locus communis, Laudatio, Vituperatio, Comparatio, Ethopæia, Descriptio, Thesis, Legislatio.

Quæ, ut pueri memoriâ faciliùs tenere possint, versiculis hisce tribus sum complexus:

Fabula, Narratur, Chreia, Sententia, Futat,
Confirmat, Locus haud primus, Laus, Crimina, Confert,
Fictio, Descriptum, Thesis, ac Inductio legum.

Quorum illa sunt generis

Deliberativi, Fabula, Narratio, Chreia, Sententia, Thesis.

Indi-

Iudicialis, Confirmatio, Confutatio, Locus communis.

Demonſtrativi, Laus, Vituperatio, Imitatio, Comparatio.

Fabulæ autem, ſecundùm Marcum Varronem à verbo Fari, nomen habent. Has primas tradere pueris ſolent Oratores, quia animos eorum adhuc molles ad meliores facilè vias inſtituunt vitæ: ut ait Priſcianus. Delectant autem vehementius, & efficacius perſuadent. Delectant, quia morum facetâ quadam imitatione capiunt imperitorum animos. Fidem faciunt, quia verum veluti ponunt ante oculos: ut Eraſmus inquit in Copia. Non ſolùm autem conducunt ad oblectandum, ſed etiam vim maximam habent ad promovendum, atque perſuadendum. Hinc Ariſtoteles 2. Rhetoricorum, eas ponit inter probationes Rhetoricas.

Qui fabulis nutricularum proxime ſuccedunt, inquit Quintil.

A Poëtis &c. Heſiodus (auctore Suida) primus omnium fabulas conſcripſit. Qui annis centum atque tribus ſuperior Æſopo fuit. Quintilianus, lib. 5. cap. 11. Fabularum (inquit) primus auctor Heſiodus videtur: atqui Poëtæ figmentis quidem utuntur; ſed iiſdem altiſſimam continent Philoſophiam. Exemplo ſit Homerus, cujus Ilias oſtendit, quantum calamitatis afferat libido: Odyſſea virtutis exemplar expreſſit. Vide Horatium 1. Epiſtolarum 2.

Ilias.

Quæ Rhetores etiam, &c. Vt Menenius Agrippa, qui plebem cum patribus in gratiam traditur reduxiſſe, nota illa de membris humanis adverſus ventrem diſcordantibus fabula.

Livius dec. 2.

Item, Themiſtocles, qui admoniturus

Athenienses, ne magistratus innovarent, fabulam de vulpe muscis obsitâ denarravit.

Demosthenis fabula. Item, Demosthenes adversus Philippum, ab Atheniensibus decem Oratores postulantem: Lupi, inquit, suaserunt pastoribus, ut in amicitiam convenirent. Cúmque hoc pastoribus placuisset, perierunt lupi, ut primâ sibi vice securitatis canes traderent, in quibus videbatur occasio jurgiorum consistere. Quo facto, lupi, omni ademtâ formidine, omnem gregem non solùm pro satietate, sed etiam pro libidine laceraverunt. Sic, inquit, sublatis oratoribus, in populo Atheniensum facturus est Philippus: qui populi Oratores postulavit, ut faciliùs spoliatam custodibus urbem possit opprimere.

Apathia Stoicorum. Fabula Attici. Item, Herodes Atticus contra Stoicorum ἀπάθειαν: Thracius, inquit, homo, ex ultima Barbaria ruris colendi insolens, cùm in terras cultiores, humanioris vitæ cupidine commigrasset, fundum mercatus est, oleâ atque vite consitum: qui, quia nihil admodum super vite atque arbore colenda sciret, videt fortè vicinum rubos latè atque altè obortos excidentem, fraxinos ad summum propè verticem deputantem, soboles vitium è radicibus caudicum super terram fusas revellentem, stolones in pomis, aut oleis proceros, atque decerptos, amputantem. Acceditque propè; &, cur tantam ligni atque frondium cædem faceret, percontatus est. Ei vicinus ita respondit; Ut ager, inquit, mundus puriusque fiat, ejusque arbor atque vitis fecundior. Discedit ille à vicino, gratias agens & lætus, tanquam adeptus rei rusticæ disciplinam. Tum falcem ibi atque securim capit,

atque

atque ibi homo miser & imperitus vites suas sibi omneis, & oleas, detruncat; comasque arborum latissimas, uberrimosque vitium palmites, decidit, & fruteta, atque virgulta simul omnia, pomis frugibusque gignendis felicia, cum sentibus & rubis, purificandi agri gratiâ, convellit, malâ mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falsa eruditus. Sic (inquit) isti apathiæ sectatores, qui videri se esse tranquillos, & intrepidos, & immobiles, volunt, dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioribus animi affectibus amputatis, in corpore ignavæ, & quasi enervatæ vitæ, consenescunt. Hæc Gellius, lib. 19. cap. 12.

Nec Oratores tantùm fabulis utuntur, sed etiam Philosophi: à quorum sacrario tamen in cunas nutricum eliminantur, quæ solas aurium delicias profitentur. Admittuntur autem, quæ legentis intellectum adhortantur ad virtutes. Vide Macrob. de Somn. lib. 1. cap. 2. Ejusmodi fabulæ exemplum habetur apud Platonem, lib. 2. de Repub. & Ciceronem, Offic. 3. de Gygis annulo.

Sermo falsus, &c. Quamvis fabulosa sint argumenta, & nullam veritatis vim continere videantur; tamen rationem habent, ut juxta eam veritas possit manifestari, fictâ quidem narratione, sed veraci significatione.

Sybaritica, &c. Sybaris oppidum fuit vicinum Crotoni, ut testis est Herodotus libro quinto. Stephanus in Italia constituit, atque postea Theurion appellatum. Vnde Sybaritæ dicti, gens in voluptatum architectura operosissima. Nam, Suida teste, luxu deliciisque *Sybaris.* *Sybaritæ.*

adeò notabilis fuit, ut quicquid effœminatum, quicquid molle, quicquid accuratâ, atque ambitiosâ luxuria paratum esset, id vulgò Sybariticum diceretur. Hinc Sybariticæ fabulæ, quales ferme apud Æsopum. At aniles, & parùm pudicæ vocantur à Suida, propter nimium luxum, ac libidinem Sybaritarum, apud quos nugæ ac voluptates in precio, frugalitas odio fuit. Hos ex Aphricano Politianus Miscellaneorum decimoquinto narrat eò deliciarum venisse, ut equos in convivia introducerent, ita institutos, ut audito tibiæ cantu, statim se tollerent arrectos, & pedibus ipsis prioribus vice manuum gestus quosdam chironomiæ motusque ederent ad numeros saltatorios. At enim tibicen, inquit, ibi quispiam contumeliâ affectus transfugit ad Crotoniatas hostes, paullo antè prælio superatos à Sybaritis: &, quod è Republ. foret illorum, pollicetur, (si fidem modò habeant;) suâ operâ Sybaritarum cunctorum equites in ipsorum venturos potestatem. Credita res, & belli dux creatus à Crotoniatis tibicen, convocat omneis, quotquot ejusdem forent in urbe artis, artificium modulamentumque eis indicat, atque ut visum tempus, procedere in hostem jubet. Sed enim Sybaritæ fastu præturgidi, quod equitatu superabant, eunt contra, prælium conserunt. Hic autem repente dato signo, tibicines universi conspirant. Ecce tibi igitur, confestim, modulamine agnito, cantuque illo vernaculo, tollunt, eriguntque semet in pedes equi Sybaritarum, sessoribus excussis, & quod tripudium domi didicerant, etiam in acie exhibent. Ita capti omnes equites, sed humi jacen-

Fabulæ Sybariticæ.

Sybaritas molities perdidit.

jacentes, omnes equi, sed tripudia repræsentantes. De Sybaritis plura apud Erasmum in Chiliadibus. Idem Apophthegmatum sexto refert ex Athenæi lib. 12, tantam Sybaritarum fuisse mollitiem, ut nullum opificium in civitatem admitterent, quod cum strepitu exerceretur, quod genus sunt fabrorum ferrariorum, & lignariorum. Atque adeo ne gallum quidem gallinaceum in civitate fas erat alere; ne quid esset, quod illis somnum interrumperet. *Tripudium equorum.*

Modò Cilix, &c. Cilix à Cilicia, minoris Asiæ regione, Syriæ proxima; ut meminit Plinius lib. 5. capite 27. Cilicum autem vanitas & mores olim fuerunt notati. Hinc proverbium: Κίλιξ ἐ ῥαδίως ἀληθεύει. Cilix haud facilè verum dicit. Item: Tria Kappa pessima. quo notatæ gentes Cappadoces, Cretenses, Cilices. Priscianus in præexercitamentis suis fabulas ponit Libycas, à Libya, quæ ut variarum ferarum ac monstrorum est ferax, ita gentis ingenia fuerunt ad fabulas propensa. Ex proverbio, Libycam feram appellabant hominem vafrum, callidum, versipellem, variis moribus, ancipitique ingenio; ut ait Erasmus. Et Libycorum Apologorum meminit Aristoteles in Rhetoricis. *Cilices.*

Modò Cypria, &c. Dicta à Cypro; quæ inter Syriam & Ciliciam insula, in mari Carpathio, famosa luxu. In qua sunt Cypros, Cythera, Paphos, Veneri consecratæ. Vnde Venus Κύπρις, Cytherea, & Paphia dicitur. Fuerunt & fabulæ dictæ *Milesiæ*, à Milesiis Ioniæ populis, qui luxu diffluebant, ex eoque proverbium Græcè fertur: Οἴκοι τὰ Μιλήσια, μὴ γὰρ ἐνθάδε. hoc est, Domi non hic, Milesia. *Cypros.*

Recenſet Politianus Miſcellaneorum cap. 17.
Mileſii. Vide Eraſmum in proverbio : Domi Mileſia. Apuleius in principio Metamorphoſeos totius. At ego, inquit, tibi ſermone iſto Mileſio varias fabulás conſeram, hoc eſt, juxta Beroaldi interpretationem, fabuloſo, lepido, jocoſo, delicato, ludicro, à Mileſiis, qui deliciis & (ut dixi) luxu fuere notabiles. Quorum eſt illud memoratiſſimum : Nemo noſtrum frugi eſto, alioqui cum aliis ejiciatur.
Epheſii. Simile Epheſiorum dictum : Qui cum Principem Hermodorum civitate expellerent, ita locuti ſunt : Nemo de nobis unus excellat; ſed ſi quis exſtiterit, alio in loco, & apud alios ſit. Cic. Tuſcul. 5.

Æſopi fabulæ. *Æſopica, &c.* Apollonius Tyanæus apud Philoſtratum lib. 5. ait : Ego verò fabulas Æſopi ad ſapientiam accommodatiores, quàm cæterorum eſſe cenſeo. Quas à Mercurio docet acceptas, Æſopumque in numero ſapientum habitum. Vnde ejus fabulæ in tanto fuerunt uſu, ut qui eas non legiſſet, indoctior reputaretur. Vide Eraſmum in proverbio; Ne Æſopum quidem triviſti. Quintilianus loco ſupra citato; *Lib. 5. c. 11.* Fabulæ, quæ etiamſi ab Æſopo originem non acceperunt, (nam videtur earum primus autor Heſiodus) nomine tamen Æſopi maximè celebrantur, ducere animos ſolent. præcipuè ruſticorum, & imperitorum, qui & ſimpliciùs quæ ficta ſunt, audiunt, & capti voluptate, facilè his, quibus delectantur, conſentiunt. Cujus meminit Lancilotus lib. 6. cap. 14.

Apologus Æſopi. Sunt autem Apologi maximè compoſiti ad popularitatem, atque vim perſuaſionis. Cujus generis ille, qui fertur ab Æſopo compoſitus,

ſitus, in ea oratione, in qua Sami primarium quendam capitis poſtulatum, judicio defendebat. *Vulpes (inquit) fluvium tranſitura, in foveam cecidit: inde cùm egredi non poſſet, longo tempore afflictata eſt, atque hirudinibus obſeſſa. Errabat illac fortè fortuna herinaceus; deſpexit, miſertus eſt: tum interrogat, nunquid ſe vellet: opem atque operam ſuam pollicetur peſſimis animalibus evellendis. Negante illa, ſciſcitatus eſt cauſam. Quia, inquit, hirudines hæ, quæ me habent, jam expletæ ſunt ſanguine atque depaſtæ, parumque ampliùs hauriunt: quodſi abegeris, inanes aliæ & famelicæ irruent, quæ reliquum mihi ſanguinem ebibent. Idem vobis, viri Samii, cenſeo cogitandum eſſe. Hic, quem vos morte mulctandum putatis, nihil vobis officit ampliùs, jam locupletatus eſt, jam ſatur eſt. Quodſi è medio illum ſuſtuleritis, invadent alii pauperes, qui rem veſtram publicam depopulabuntur.* Cujus meminit Ariſtoteles 2. Rhetor. cap. 38.

Rationales, &c. Quibus homines finguntur aliquid operari. Cujus generis illa: Medicus ægrotum curabat. ægro mortuo, ille efferentibus dicebat: Homo hic ſi vino abſtinuiſſet, & clyſteribus fuiſſet uſus, non interiiſſet. Ad ea reſpondit quidam: Non oportet hæc te nunc dicere, cùm nulla eſt utilitas; ſed tunc admonere decebat, cum ægrotus his uti poterat. Fabula ſignificat: oportere amicos tempore neceſſitatis ſuccurrere, & auxilia præbere.

Item: Puer è ludo literario condiſcipuli librum furatus, domum tulit. Mater non corripuit filium, ſed exoſculata laudavit. Puer ætate provectus, majora cœpit furari. Furto de- *Apologus de Fure.*

prehenſus, rectà ducebatur ad mortem. At ſequente ac lugente matre, carnificem orabat ille, ut in aurem matri quiddam narraret. Cum mater ori filii ſe admoviſſet, ille aurem dentibus demorſam abſcidit. Matre & aliis accuſantibus, quòd non ſolùm fur, ſed etiam impius haberetur; reſpondit ille: Mater meæ cauſa perditionis eſt. Nam ſi, cùm olim furatus eram librum, me corripuiſſet; non ad hæc flagitioſa crimina veniſſem. Quæ ſignificat; ea, quæ in principio non puniuntur, in majus augeri malum.

Fabula de Leone. *Morales &c.* Cujus generis illa. Leo ſenio confectus, cùm vires non ſuppeterent ad victum parandum, callidum cœpit conſilium. Itaque in antro, quaſi periculoſo morbo correptus, decumbens: quod ad ipſum viſendum paſſim animantes reliquæ advenirent, prehenſas illas devorabat. Atque ita magnâ beſtiarum multitudine à Leone abſumtâ, accedit tandem & vulpecula ad antrum, & ante illud ſubſiſtit hæſitabunda & circumſpectans. Tum Leo; quid eſſet, cur non adeat ad ſe? rogat. At illa id, quod in Epiſtolis Horatius retulit, reſpondiſſe fertur:

——— Quia me veſtigia terrent,
Omnia te adverſum ſpectantia; nulla retrorſum.

Fabula docet: Prudentes ante pericula cavere ſibi, & ea ſigna, quibus mala portendantur, notare, & hæc effugere.

Agricola & Ciconia fabula. *Mixta, &c.* Qualis illa de Agricola & Ciconia.

Inter grues cepit Agricola & Ciconiam. Hæc deprecata ab illo vitam; non ſolùm innocentem, ſed etiam piam ſe, & hominibus pro-

prodesse, commemorat. Nam & nostrum genus, inquit, venenatas bestias venatur, ac deglutit: & effœtos senectâ parentes gestat, atque sublevat. Huic respondit Agricola: Credere se vera esse omnia, quæ recensuerit; sed inter nocentes captam, eandem oportere pœnam sufferre, quam illi. Fabula significat: Similem quemque haberi iis, cum quibus consociatus, & inter quos deprehensus fuerit.

Ἐπιμύθιον, &c. Cæterùm, quod ἐπιμύθιον, id est, Apologi interpretationem appellant, non admodum refert, initio ponas, an in fine. Quanquam & hinc incipere licebit, & in hanc desinere, modò sermonis accedat varietas. Sunt qui velint, ejusmodi fabularum expositiones in fine ponendas ab iis, qui fuerint earundem inventores. Ab aliis in principio, vel in fine.

DE TRACTATIONE *Fabularum.*

Breviùs fabulæ tractantur, si narratione simplici proferantur: fusius autem, si personis inductis sermo fingatur: quemadmodum Priscianus ait. Exempli causa: Simiæ convenerunt, & consilium habuerunt de urbe condenda: & quia placuit illis, paratæ erant incipere ædificationem. Sed vetus inter eas prohibuit ab incepto, eas docens, quod facilè capiantur, si intra muros concludantur. Fusiùs autem sic: Simiæ convenerunt, & consultabant de urbe condenda. quarum una in medium veniens concionata est: quia oportet ipsas quoque civitatem habere. Videtis enim (aiebat) quod civitates habendo homines habent etiam domos singuli, & concionem

nem universi, & in theatrum ascendentes delectant animos spectationibus, & auditionibus variis. Et sic proferes orationem, dicens, quod & plebiscitum scriptum est. Et finges etiam orationem veteris Simiæ.

ALIVD EXEMPLVM.
Fabulæ, brevius tractatæ.

Voluptatem, aiunt, atque dolorem quodam tempore coram Jove se mutuo accusavisse. Cumque ille nihil non tentaret, atque experiretur, quod in gratiam litigantes redigeret, frustra omnia conatum, ipsos tandem adamantinâ quâdam catenâ inter sese copulasse atque devinxisse: itaque durante nihilominus dissidio & contrariâ voluntate, necessariò conjuncti & sociati manserunt.

Jam qui latiùs hanc fabulam tractare volet, ab initio procemion excogitabit, quod rei laudem contineat: ut, quòd non vanum sit anicularum deliramentum, sed nobile philosophorum, non modò futurum oblectamento, sed etiam usui magno documentum. Deinde voluptatis orationem, qua dolorem accusat, & è contrario doloris, qua criminatur voluptatem, effinget: atque utriusque rationes aliis vel fabulis, vel exemplis illustrabit. Dicet dolorem maximum malum: Quod sit res tristis, aspera, amara, & inimica naturæ, quemadmodum ait Cicero 2. Tusculan. quæstionum. Contra voluptatem escam malorum, pestemque capitalem; quod Circes, atque Sirenum fabulæ confirment. Huc ea referri poterunt, quæ sunt apud Silium Italicum, libro contra voluptatem. Postremò, Jovis explicabit judicium,

quo

quo voluit, inhoneſtæ voluptatis inſeparabilem eſſe comitem dolorem, atque pœnitentiam, ac mœrorem æternum. At doloris & honeſti laboris gloriam. Etenim ex paululo incommodi, atque moleſtiæ, ſummum maximumque bonum colligi. Vide proverbium: Exiguum malum, ingens bonum.

Porrò, qui in hoc ſcribendi genere volunt ſtylum exercere, duo potiſſimum vitabunt. Primò, ne orationem faciant omnino aridam, ſed temporum, locorum, aliarumque circumſtantiarum, velut ſucco plenam reddant. Deinde, ne dum hoc vitant vitium, in contrarium incurrant, & immodico deſcriptionum ambitu faſtidium ingerant; ut ait Petrus Moſellanus. Principio autem dilatabunt præfatione commendationis. Commendabunt autem, juxta Eraſmi ſententiam, cùm auctorem ipſum, tum Apologorum genus. Deinde in deſcribendis animantium, aut rerum formis ac naturis, quas inducent, longiùs immorabuntur. Quandoquidem hoc jam ipſum, & cum voluptate accipitur, & ad eruditionem liberalem pertinet. Veluti, ſi ſcarabæi formam, deinde quemadmodum è ſtercoribus naſcatur, & quo pacto poſterioribus pedibus erectis ſtercora protrudat, atque id genus alia, deſcribent. Ad eundem modum: Aquilam regnum in avium genus obtinere; armigeram eſſe Jovis, non offendi fulmine, non connivere ad ardentiſſimos Solis radios, perniciſſimo volatu ultra nubes ferri. Denique quæcunque vel ad ſcarabæorum humilitatem exaggerandam, vel aquilæ generoſitatem attol-

attollendam, pertineant. Atque hac in re non prætermittendum, si quid animanti cuipiam fabulis Poëtarum est attributum. Quod genus, E Lycaone natos lupos: Ex adolescente perdicem: Cygnum Apollini sacrum esse, sub fatalem horam suavissimè canere: Corvum ejusdem fuisse nuncium, & ob cessationem ex albo nigrum factum. Aut si quid proditum est historiis insigniter ab his factum. Velut de aquila, quæ virginem adamavit; apud Plinium, libr.20.cap.5. De delphino, apud Gellium, libr.7.c.8. apud Plinium, Epist.9. De Bucephalo Alexandri Magni equo, apud Gellium libr.4.cap.2. Atque item de cæteris. Deinde, cùm ad ipsum Apologum fuerit ventum, fusiùs ac latiùs enarrare licebit. Id fiet citra tædium, si facetâ quadam imitatione, quod est in hominum vita, ad fabulæ mores accommodabunt. Præterea, si ad eandem rationem sermones, sententias, dictaque adfingamus. Exemplum aptissimum est dilatati Apologi, apud Appuleium, de corvo & vulpe.

EXEMPLVM APOLOGI
breviter expositi.

Mus rusticus urbanum hospitio excepit; & amicum, quibus potuit, cibis exquisitis refecit. Vrbanus agrestia fastidiens opsonia, rusticum in urbem secum duxit. Ineunt, quod opiparè fuit instructum, convivium. Inter epulandum auditur strepitus in sera, & latratus canum. Ambo trepidare, & fugitare: rusticus maximè, qui viarum ignarus ægrè se tueri; sed ad sese reversus, ait: Malo cum securitate meam inopiam, quàm istam cum tali anxietate copiam.

EXEM-

EXEMPLUM EIUSDEM dilatati apud Horatium.

Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
Asper, & attentus quæsitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum: quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum & ore ferens acinum, semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens variâ fastidia cœnâ
Vincere, tangentis malè singula dente superbo:
Cum pater ipse domûs paleâ porrectus in hornâ
Esset ador, loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te juvat (inquit) amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines, urbemque feris præponere sylvis?
Carpe viam (mihi crede) comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo lethi fuga. quo, bone, circa
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus.
Vive memor, quàm sis ævi brevis! Hæc ubi dicta,
Agrestem pepulere domo. Levis exsilit inde:
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni subrepere; jamque tenebat
Nox medium cæli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos:
Multaque de magnâ superessent fercula cœnâ,
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo, ubi purpureâ porrectum in veste locavit

Agre-

Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes; nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutatâ sorte, bonisque
Rebus agit lætum convivam, cum subitò ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta molossis
Personuit canibus: tum rusticus, haud mihi vitâ
Est opus hac, ait; & valeas! me sylva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur arvo.

ALIUD DILATATÆ FABULÆ *Exemplum, è Gellii lib. 2. cap. 29.*

Æsopus ille è Phrygia fabulator haud immeritò sapiens existimatus est: cùm quæ utilia monitu suasuque erant, non severè, non imperiosè præcepit, & censuit; ut Philosophis mos est: sed festivos delectabilesque apologos commentus, res salubriter, ac prospicienter animadversas, in mentes animosque hominum, cum audiendi quadam illecebra induxit: vel, ut hæc ejus fabula de aviculæ nidulo lepidè atque jucundè præmonet, spem fiduciamque rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in aliis, sed in semet ipso habendam. Avicula, inquit, est parva, nomen est cassita: habitat, nidulaturque, in segetibus, id ferme temporis, ut appetit messis, pullis jamjam plumantibus. Ea cassita in sementes fortè concesserat tempestiviores, propterea frumentis flàvescentibus. pulli etiam tunc involucres erant. Cùm igitur ipsa iret cibum pullis quæsitum, monet eos, ut si quid ibi novæ rei fieret diceretur ve, animadver-

De cassita Fabula.

madverterent: idque sibi, ubi rediisset, renunciarent. Dominus postea segetum illarum filium adolescentem vocans, Videsne, inquit, hæc ematuruisse, & manus jam postulare? Idcirco die crastino, ubi primum diluculabit, fac amicos adeas, & roges, veniant, operamque mutuam dent, & messem nobis hanc adjuvent. Atque ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere, orareque matrem, ut statim jam properet, atque alium in locum sese asportet: Nam dominus, inquiunt, misit, qui amicos rogaret, uti luce oriente veniant, & metant. Mater jubet eos à metu ociosos esse. Si enim dominus, inquit, messem ad amicos rejicit, crastino seges non metetur: neque necesse est, hodie uti vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat: dominus, quos rogaverat, opperitur; sol fervet, & fit nihil; & amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium: Amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt; quin potiùs imus, & cognatos affinesque nostros oramus, ut adsint cras tempori ad metendum. Itidem hoc pulli pavefacti matri nunciant. Mater hortatur, ut tum quoque sine metu, ac sine cura sint. Cognatos affinesque nullos ferme tam obsequibiles esse, ait, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur, & statim dicto obediant. Vos modo, inquit, advertite, si modò quid denuò dicetur. Aliâ luce ortâ, avis in pastum profecta est: cognati & affines operam, quam dare rogati sunt, supersederunt. Ad postremum igitur dominus filio, Valeant, inquit, amici cum propinquis! Adferes primâ luce falces duas: unam egomet mihi, & tu capies alteram;

Obsequibiles.

teram; & frumentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit: Tempus, inquit, est cedendi, & abeundi: fiet nunc dubio procul quod futurum dixit. In ipso enim jam vertitur, cuja res est; non in alio, unde petitur. Atque ita cassita nidum migravit, & seges à domino demessa est.

Hæc quidem Æsopi fabula, de amicorum & propinquorum levi plerumque & inani fiducia. Sed quid aliud sanctiores libri Philosophorum monent, quam ut in nobis tantum ipsis nitamur. Alia autem omnia, quæ extra nos, extraque nostrum animum sunt, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus. Hunc Æsopi Apologum Q. Ennius, scitè admodum, & venustè, versibus quadratis composuit. Quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi & memoriæ operæ pretium esse, herclè puto. Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm;

Ne quid exspectes per amicos,
Quod tu per te agere poßis.

FABULA DE FORMICIS *atque Cicadis breviter narrata.*

Appetente hyeme, frumentum in arculam ad Solem trahebat formica. Videns id cicada, accurrit, rogitat granum. At formica, Cur non (inquit) & tu meo exemplo æstate trahis quodcunque potes, atque addis acervo? Respondit illa: sibi id temporis cantando transactum fuisse. Ridens formica: Si, ait, æstate cantitare soles, meritò nunc esuris.

Monet Fabula: ut, dum adhuc robur corporis adest, quæramus ea, quibus imbecilla susten-

sustentetur senectus. Per hyemem senectutem intellige; per æstatem, adolescentiam, & florem illum ætatis.

EADEM PAVLO FVSIVS *tractata.*

Quotusquisque Philosophorum, ratione sua quantumvis argutâ, bonarum ad literarum studia juventutem potentius adhortatur, quàm Æsopus hoc lepidissimo de formicis atque cicadis figmento? Etenim nullo tam efficaci, ad labores honestos capessendos, pellici posset, quàm argumento formicarum. Quæ laboris exempla trahunt ore quodcunque possunt, atque addunt acervo, quem struunt, haud ignaræ, ac non incautæ futuri. Quæ simul inversum contristat Aquarius annum, non prorepunt, & illis utuntur ante quæsitis potientes. Nec mirum, cùm homines olim fuerint agrorum cultores, & in formicas transformati, nihil præter corporis figuram amiserint. Antiquos enim mores obtinent, veterem naturam servant, Reipublicæ rationem habent atque curam, rura frequentant, prata pererrant, arbores conscendunt, frumenta colligunt atque recondunt. Nam in eis (ut dixi) mens præsaga futuri. Vnde olim Midæ, cujus imperio Phrygia fuit subjecta, puero dromienti in os grana tritici congessisse leguntur: ut apes Platònis dormientis in cunis parvuli labellis mel inseruisse, atque ita magnæ felicitatis indices exstitisse non futiles. Hyemis igitur venturæ memores, adeò pertinaciter laborant, ut earum itinere silices attritos videamus, & in opere semitam factam; ne quis dubitet, qualibet in re quid possit

possit quantulacunque sedulitas. Ad eas igitur, tanquam vitæ magistras, Rex Solomon jubet abire pigrum, earumque mores contemplari, ut sapientior fiat. illæ, tametsi nec præfectum, nec ducem habeant, tamen æstate cibum pro veteri consuetudine parant, & in messe colligunt alimenta. At dissimilem naturam ignavæ referunt cicadæ, quas Socrates apud Platonem dicit procreatas ex hominibus. Qui natis ab initio Musis, cantuque monstrato, usque adeò deliniti fuerunt voluptate cantûs, ut canentes cibum potumque negligerent. Et adhuc hodierno die messis tempore cantillantes, hyeme tabescunt egestate. Harum stulti sunt imitatores, qui juvenes à labore proclives ad libidinem, in ætate floridâ veterno torpent, in senectâ premuntur rerum penuriâ. At prudentes collaudantur, qui formicarum exempla secuti, laboribus honestis quærunt viatica, miseris cicadis ante oculos assiduo ponentes, ignaviæ comitem esse paupertatem, ut voluptatis dolorem: Atque desidiosos nonsolùm ab hominibus habitos odio, sed etiam à Diis immortalibus; qui industrios adjuvant, ac spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Vnde rectè Demetrius ille dixit: Nihil infelicius eo, cui nihil unquam aliquid evenit adversi. Cujus rei meminit Seneca in lib. de Divina providentia. Hinc est, quod Saturnus olim foliis stillantia mella decusserit, ignem removerit, & passim rivis currentia vina represserit,

Pauper-tas ignaviæ comes.

Non torpere gravi passus sua regna veterno.

Ex Xenophonte. Et Lycurgus pueros non in forum, atque deliciis affluentia loca, sed in agrum duci jussit,

juſſit, ut primos annos non in voluptatibus, more cicadarum, ſed in omni opere & labore agerent, formicas imitati. Quippe negotia ſunt horrida nomine, ſed Reipublicæ mores in ſtatu proſpero continent. Contrà, blandæ appellationis quies pluribus vitiis & periculis reſpergit. Exemplo ſit Roma, cujus præpotens imperium agitatio rerum excitabat ad virtutem capeſſendam, nimia quies in deſidiam reſolvit ac interitum. Hinc Appius ille Claudius crebrò ſolitus fuit dicere: Negotium populo Romano melius committi, quàm otium. Blanda quidem & facilis initu voluptatis eſt via: Virtutis autem, quam formicæ videntur ingredi, nimis laborioſa & aſpera. Sed ut hujus ultima meta jucunda ſimul ac beata eſt; ſic illius miſerabilis & infauſtus exitus.

Nam qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis inopſque ſimul miſerabile tranſiget ævum:
At quiſquis duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit.

Res quidem blanda nimis eſt, mellitus candor, atque voluptatis illecebræ, ſed quos præſtigiis ſuis ceperunt, diſperdunt. Ovid. 3. de arte:

Monſtra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaſlibet amiſſas detinuêre rates.

Harum una Parthenope, humanâ voce; *Sirenes.* Alia, cui Leucoſiá nomen, tibiis; Tertia, Ligia, canebat lyrâ: atque tantâ carminis dulcedine tranſeuntes nautas ſic afficiebant, ut alto ſomno premerentur: & cum ſopitos per-

Præclarè Circes fabulam explicatam habes apud Xenophontem in memorabilibus.

ſentiſcerent, ſubmergebant atque devorabant. Quare cum juxta illas tranſiturus eſſet prudens Ulyſſes, cerâ ſociorum aures obturavit, & ipſe ſe ad navis malum alligari juſſit, ut eâ ratione ſalvus evaderet. Vnde Martialis, lib. 3.

Sirenas hilarem navigantium pœnam,
Blandoſque mores, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deſerebat auditas,
Fallax Vlyſſes dicitur reliquiſſe.

Et Horatius:

Sirenum voces, & Circes pocula noſti,
Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors.

Quid aliud ſapientiſſimi viri per amœnas Sirenum voces intelligi voluerunt quàm blandæ voluptatis præſtigia? quibus ineſcati homines ſubmergi ſoleant, atque funditus interire. Et quid aliud Æſopus per molles cicadarum cantus ſignificare voluit, quàm popinonum turpitudinem, miſeriam, infelicitatem, & breviter, corporum atque animarum interitum, quæ peſtifera ſecum trahit voluptas? Proinde ſtudioſa juventus utile propoſitum virtutis exemplar Vlyſſem imitabitur, ut tanta pericula declinet, atque fugiat pernicioſam voluptatem, quod ipſiſſimum melle litum eſt venenum. Quo nihil damnoſius; cum virtutes atterat, animique pariter & corporis vires expugnet: ut luxuria Campana, quæ invictum Annibalem illecebris ſuis complexa, vincendum militi Romano tribuit. Vide Livium de bello Punico: Valerium libro nono, cap. 1. Imitabitur item Publium Scipionem:

Qui juvenis plenus monitis ingentia corde
Molitus, viſa caluit virtutis amore,

Sprevit

Sprevit (voluptatem) *Achæmenium spirantem vertice odorem:*
Ambrosias diffusa comas:
Ut Silius Italicus inquit.

Non imitabitur illum cum cicadis otia sectantem juvenem. quem dormientem in medios semper dies objurgabant sui; & quidnam faceret in lecto tam diu, quærebant. Quidnam igitur censetis? Ille (inquit) dicere jussus: Quoties, inquit, manè evigilo, adsunt ad lectulum meum puellæ duæ. Quarum altera ad surgendum, & operis aliquid faciendum me hortatur; & ostendit, quàm turpe sit juveni, optimam diei partem in lectulo contercre; atque interdum Græcum versiculum accinit semisomni, cujus (ut opinor) sententia est: Auroram tertiam operis partem perficere. Ibi tum altera, nugari hanc, ait, & turbatricem esse quietis, qua nihil sit neque melius neque dulcius, & quâ vita hominum carere nequeat. Bonum si adipiscendum sit, quovis tempore rectè surgi. Malum si impendeat, nimis citò surrexeris, inquit, quamvis serò reliqueris lectum. Hæc ego, inquit adolescens, inter convitia mutua & altercationes gravissimas disceptantes has audiens, cùm dubitem utri assentiar, diutius soleo in lectulo immorari. Nec imitabitur illum, qui sacris in proverbiis ita loquitur: Paululum modò dormiam, paululum modò dormitabo, paululum modò somno vacabo, paululum modò manus conseram, & componam me ad recumbendum. Neque illos, qui in libro Sapientiæ sic proclamant: Venite, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter; vino pretioso, & unguen-

Iuvenis desidiosus.

tis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quo non pertranseat luxuria nostra; ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ. Non, inquam, imitabitur, ne interea ceu viator veniat inopia, atque obruat eum paupertas ac miseria. Quicunque ergo ad veras opes,& æternam, quæ virtutem non aliter atque corpus umbra comitari solet, gloriam adspirant, formicas magis Æsopicas studebunt imitari, quàm cicadas, hoc est, virtutem potius, quàm voluptatem, conabuntur amplecti.

Virtutem, tanquam umbra corpus, gloria sequitur.

FABVLA HESIODI DE ACCIPItre & Lusciniâ breviter prolata.

Accipiter Lusciniam vario cantu argutam in sublimi nubium summitate captam ferebat. Hæc unguibus transfixa miserè plorabat: ad hanc raptor horrendâ voce sic inquit: Quid exclamas miserè, à multo, quàm tu sis, fortiore detenta? Huc adsis, quo ego te pertraham. Suave licet usque canas, cœna tamen mihi futura es, ubi voluero. Desipit, qui potentioribus repugnat.

EADEM DILATATA ab Auctoris laude.

Tantâ sapientiâ, & præclaris animi dotibus excelluit antiquissimus Poëtarum Hesiodus, ut etiam vitâ defunctum honore summo prosecuti sint viri sapientes, ac veluti Numen aliquod certum venerati. Quemadmodum enim Homeri nativitatem urbes permultæ sibi vendicabant: ita sepulchrum Hesiodi divinum asserebant sibi Nemei simul &

Orchomenii. Dignissimus autem honore tanto tantus Poëta, qui preciosa divini ingenii multa ad omnium hominum utilitatem spectantia reliquit monumenta, in quibus ut gemma nobilissima relucet, quam de accipitre, atque luscinia protulit, fabula.

Qua sapienter docuit, eos stultè facere, qui potentioribus reluctentur, certantque cum iis, quos tyrannos nequeant vincere. Quod ipsum est contra torrentem niti, contra stimulos calcitrare, & juxta proverbium θεομαχεῖν, id est, cum Diis pugnare. Non injuriâ scripsit Ovidius: *A prafabulari.*

Odimus accipitrem; quia semper vivit in armis.

Etenim Harpyiis omnibus rapacior, adunco rostro, & unguibus incurvis ad vim inferandam natus. Cui tanta est insita atque à parentibus ingenita rapiendi ac dilaniandi fames, ut nulli avium generi parcat, nec ab ullis etiam cognatis sanguinolentos abstineat ungues. Qui alitum sævissimus, aviculas insontes aut humi volantes, aut circa arbores in sublimi sedentes persequi, rapere, & discerpere solet. Nec in minores solùm crudelis, ac injuriosus, sed etiam populator impius bellum internecinum cum Aquila, cunctarum avium Rege, non expavescit gerere, ut cohærentes sæpe deprehendantur. *A natura accipitris.*

Quo genuinæ rabiei propulsus instinctu crudelissimus hostis, sanguine, quem assiduo sitit, se satiaturus, innoxiam adoritur lusciniam, atque comprehendit. Capta imbellis & insons avicula victorem dulci, qua plurimum pollet, voce rogare cœpit, & obsecrare, ut innocenti parceret, inquiens:

A Sermocinatione per Prosopopœiam.

Fer mansuetè fortunam. Noli extinctam extinguere. Parce mihi per ea, quæ tibi dulcissima sunt in vita: Miserere infelicis: Respice innocentiam meam: Neminem unquam violavi; nunquam rapto vixi, ut jam par pari debeat referri. Quodsi nulla mei te misericordia commoverit, eximia, qua nobilitor, permoveat virtus mea, noli perfectum musices organum disperdere. Te permolliat, flectatque vox tam dulcis atque magna, tam parvo in corpusculo meo regnans, & tàm pertinax spiritus iram tuam frangat in tam absoluta Musicæ scientia modulatus sonùs, quem sæpius audisti continuo spiritu trahi, nunc variè inflexo, nunc distingui conciso, copulari intorto, promitti, revocari, infuscari ex inopinato: Interdum plenum, gravem, acutum, crebrum, extentum, summum, medium, imum. Breviter, omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit: Quorum ex interitu majorem tibi & invidiam & infamiam conflaveris, quàm utilitatem perceperis. At ille, quin tu, inquit, auribus meis opplorare desinis? Quid tu rere clamoris tui gratiâ te omissum iri? Nihil gemitus, nihil lacrymas tuas moror aut curo. Quiritatio tua, nisi forsitan animo placuerit, te meis de unguibus nunquam eripiet, ac conservabit. Exple meas inimicitias, & iracundiam sanguine tuo satura. Et statim eo dicto miseram discerpsit.

A collatione.

Quid hoc facto potuit immanius esse? Captivis aliis tempus relinquitur, quo crimen objectum diluere, aut aliquam causam in excusationem queant adducere. Sed huic infelici

felici omnis exclusa fuit misericordia, omnisque negata purgandi facultas. Et quis tyrannorum tam fuit impius, ut aliquem occiderit, nisi vel levi aliquâ ratione permotus? Sed aliâ nullâ causâ propulsus accipiter tantum facinus designavit, nisi solâ nocendi libidine. Animalium ferocissimus leo traducitur, huic tamen ex feris tanta est in supplices clementia, ut in prostratos non sæviat; est enim nobilioris animi,

Parcere subjectis, & debellare superbos. At Tyranni verso pollice, vulgi quemlibet occidunt populariter: omnibus sanguinolentas manus injiciunt, nihil homines, nihil Deos ipsos curando.

Quemadmodum igitur præda insolenti victori visa gloriosa fuit, ac suavis: sic ærumna miserrimæ calamitatis acerbissima, ut pœna, quæ venerat indignè, magis esse dolenda videatur. *A contrario.*

Quæ crudelitas accipitris ostendit, ipsam innocentiam apud maleficos Tyrannorum greges nunquam fore tutam. Nobis igitur ante omnia curandum, ne in Melampygos (juxta proverbium) incidamus; & impendente malo, patienter feramus, quod non poterimus mutare vel effugere. *Conclusio.*

DE NARRATIONE,

Quæ Græcè Διήγημα,

CAP. II.

N*Arratio est expositio rei factæ, vel tanquam factæ. Dividitur autem in poëticam, historicam, & civilem. Poëtica est, quæ*

habet expositionem fictam. Historica, quæ vetustam rerum commemorationem continet, atque veterum gesta narrat. Civilis, quâ in controversiis oratores utuntur.

Narrationi accidunt sex.	*Persona faciens.* *Res gesta.* *Tempus, circa quod.* *Locus, in quo transacta.* *Modus, quo pacto.* *Causà, propter quam.*
Virtutes ejus quatuor.	*Claritas, seu perspicuitas.* *Brevitas.* *Probabilitas, quæ dicitur* πιθανότης. *Electorum verborum proprietas.*

EXEMPLVM NARRATIONIS
ab Angelo Politiano translatum.

Qui rosæ pulchritudinem demiratur, plagam Veneris consideret. Amabat Adonin Dea: Mars ipsam. Quodque Dea foret Adonidi, Veneri Mars erat. Deus Deam adamabat, Deaque hominem sequebatur. Par cupido, tametsi genus dispar. Perimere Adonin Mars zelotypus tendebat, finem putans amoris Adonidis necem. Ferit Adonin Mars; accurrit auxilio Venus, festinans rosas incidit, ac se spinis implicuit, plantamque pedis perstrinxit. Qui vulnere manârat cruor, de se rosam coloravit. Sic rosa, quæ prius candida, rubrum in colorem, qui nunc cernitur, est conversa.

SCHOLIA.

Primo Rhetoricorum libro Trapezuntius tria

tria ponit Narrationum genera : Civile, Digressorium, Remotum. Hoc pueris utilissimum ita vocatur, quod à causa civili remotum sit, in quo conveniat juventutem exerceri, quo commodius illas superiores narrationes in veris causis possint aliquando tractare. Ejus duo sunt, juxta Ciceronem, genera. Alterum est positum in negotiis, quod habet partes

tres. { *Fabulam*, quæ neque veras, neque verisimiles continet res; ut ea quæ Tragœdiis tradita sunt.
Historiam, quæ est res gesta, sed ab ætatis nostræ memoria remota.
Argumentum, quæ est res ficta, quæ tamen fieri potuit; veluti argumenta Comœdiarum. }

Alterum in personis, quod habere debet sermonis festivitatem, animorum dissimilitudinem, levitatem, spem, metum, suspicionem, desiderium, dissimulationem, misericordiam, rerum varietates, fortunæ commutationem, insperatum incommodum, subitam lætitiam, jucundum exitum rerum, ut in Comœdiis videre licet.

Dividitur in Poëticam, &c. Quintilianus lib. 2. cap.4. Narrationes Poëticas Grammaticis attribuit, Rhetoribus Historicas. Erant autem (auctore Fabio Victorino) Rhetores, qui literas docebant, atque artes tradebant eloquentiæ. Quemadmodum Sophistæ, apud quos dicendi discebatur exercitium : Et Oratores, qui in causis privatis & publicis plenâ & perfectâ utebantur eloquentiâ. Porrò narrationis Poëticæ faciunt tria genera. Aut enim activum est, vel imitativum, quod

Græci δραματικὸν vel μιμητικὸν appellant: Aut enarrativum, vel enunciativum, quod Græci ἐξηγητικὸν vel ἀπολογητικὸν: Aut commune vel mixtum quod Græci κοινὸν, vel μικτόν.

Historicam, &c. Quæ rei gestæ continet expositionem. Est autem historia res gesta ab ætatis nostræ memoria remota: quam earum propriè rerum esse volunt, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui scribit, auctore Gellio, lib.5. cap.18. Historiam Cicero de Oratore secundo eleganter vocat testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, & vetustatis nunciam.

Civilem, &c. Quæ ab Oratoribus in exponendis sumitur causis; ut ait Priscianus: Qui fabularum adiit narrationem, ad fabulas supra dictas pertinentem.

Narrationi accidunt sex, &c. Narratio consumitur circumstantiis, quæ hoc versiculo comprehenduntur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Fit enim copiosâ, si circumstantiis amplifices atque dilates; & à quo tempore, quoque loco, quomodo, quo instrumento, qua denique causa factum aliquid sit, diligenter persequaris.

Claritas, &c. Hujus virtutis narrationem alibi Cicero vocat lucidam; alibi apertam. Nec refert, an pro lucida perspicuam; pro verisimili probabilem, credibilemque dixeris: ut ait Quintilianus: lib.4. cap. 2. Eodem auctore aperta vel dilucida erit narratio, si primùm fuerit exposita verbis propriis & significantibus, non sordidis, & ab usu remotis: tum

tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, caussis. Item si ut quicquam primum gestum erit, ita fuerit primum expositum, non ab ultimo repetitum.

Brevitas &c. Narratio brevis erit, si nihil extra rem dixerimus; si resciderimus omnia supervacanea; si non ab ultimo initio repetiverimus, nec ad extremum fuerimus prosecuti.

Probabilitas, &c. Hanc Cicero verisimilem narrationem: Quintilianus appellat credibilem. Erit autem credibilis ante omnia, si prius consuluerimus nostrum animum, ne quid naturæ dicamus adversum. Si causas ac rationes factis, de quibus quæritur, præposuerimus. Si personas convenientes his, quæ facta credi volumus, constituerimus, præterea loca, tempora, & similia. Quintilianus dicto libro quarto, capite secundo.

Electorum verborum proprietas, &c. Hic considerandum erit, ne quid contortè, ne quid ambiguè, ne quid novè dicamus, sed utamur usitatis verbis, & propriis. Usitata sunt ea, quæ versantur in sermone, & in optimorum auctorum consuetudine recepta. Propria sunt, quæ ejus rei verba sunt, aut esse possunt, de qua loquemur: ut ait Cicero.

Qui rosæ, &c. Narrat, quo pacto lacteus rosæ candor mutatus sit in colorem purpureum.

Adonin Dea, &c. Adonis, auctore Tortellio, filius fuit Cynaræ Cypriorum Regis ex Myrrha ejus filia pastor pulcherrimus. Virg. in Gallo:

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

Hunc ardentissimè Venus amavit. Ovidius in Phædra:

Sæpe sub illicibus Venerem, Cinyrâque creatum,
Sustinuit positos qualibet hora duos.

Plura apud Erasmum in proverbio, Adonidis horti. qui Veneri sacri propter Adonidem ejus amasium.

Mars ipsam, &c. Martis ac Veneris amores, Metamorphoseos 4. refert Ovidius.

Idem secundo de arte:

Mars pater insano Veneris turbatus amore,
De duce terribili factus amator erat.

Ferit Adonin Mars, &c. Ovidius 2. Metamorph. scribit, Adonin ab apro interfectum, ejusque sanguinem mutatum in florem. Idem asserit Macrob. lib. Saturn. 1. c 21. Adonin, inquit, Solem esse non dubitatur. Ab apro autem tradunt interemtum, hyemis imaginem in hoc animali fingentes, quod aper hispidus & asper gaudeat locis humidis & lutosis, pruinâque contectis, proprieque hyemali fructu pascitur glande. Ergo hyems veluti vulnus est Solis, quæ & lucem ejus nobis minuit, & calorem.

Plantam pedis perstrinxit, &c. Vnde Claudianus lib. 2. de raptu Proserpinæ scribit de Venere, inquiens, Sic facta doloris carpit signa sui, id est rosas purpureas Veneris amore tinctas. Hujus meminit Politianus Miscell. 11.

EXEMPLVM NARRATIONIS
poëticæ copiosius apud Ovidium Metam. 4. tractatum.

Docet autem ea fabula; nimis infelicem exitum

exitum habituros, qui parentibus immorigeri, fœdis amoribus ſeſe contaminarint.

Pyramus & Thysbe, juvenum pulcherrimus alter,
Altera, quas oriens habuit prælata puellis,
Contiguas habuere domos, ubi dicitur altum
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.
Notitiam primosque gradus vicinia fecit:
Tempore crevit amor: tædæ quoque jure coiſſent:
Sed vetuere patres, quod non potuere vetare;
Ex æquo captis ardebant mentibus ambo.
Conſcius omnis abeſt, nutu ſignisque loquuntur.
Quoque magis tegitur, tanto magis æſtuat ignis.
Fiſſus erat tenui rimâ, quam duxerat olim,
Cùm fieret paries, domus & communis utrique.
Id vitium nulli per ſecula longa notatum.
Quid non ſentit amor? primi vidiſtis amantes,
Et vocis feciſtis iter, tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo tranſire ſolebant.
Sæpe ubi conſtiterant, hinc Thysbe, Pyramus illinc,
Inque vices fuerat captatus anhelitus oris:
Invide, dicebant, paries, quid amantibus obſtas?
Qantum erat, ah ſine te toto nos corpore jungi,
Aut hoc ſi nimium eſt, vel ad oſcula danda pateres?
Nec ſumus ingrati: tibi nos debere fatemur
Quòd datus eſt verbis ad amicas tranſitus aures.
Talia diverſa nequicquam ſede locuti,
Sub noctem dixere Vale, partique dedere
Oſcula quiſque ſuæ, non pervenientia contrà.
Poſtera nocturnos aurora removerat ignes,
Solque pruinoſas radiis ſiccaverat herbas:

Ad solitum rediere locum: tum murmure parvo
Multa prius questi, statuunt sub nocte silenti
Fallere custodes, foribusque excedere tentant.
Cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquant;
Neve sit errandum lato spatiantibus arvo,
Conveniant ad busta Nini, lateantque sub umbra
Arboris: arbor ubi niveis uberrima pomis
Ardua morus erat, gelido contermina fonti.
Pacta placent, & lux tardè discedere visa,
Præcipitatur aquis, & aquis non exit ab iisdem.
Callida, per tenebras versato cardine Thysbe
Egreditur, fallitque suos, adopertaque vultum
Pervenit ad tumulum, dictâque sub arbore sedit.
Audacem faciebat amor, venit ecce recenti
Cæde leæna boum spumantes oblita rictus,
Depositura sitim vicini fontis in unda.
Quam procul ad Lunæ radios Babylonia Thysbe
Vidit, & obscurum timido pede fugit in antrum,
Dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.
Vt leo sæva sitim multâ compescuit undâ,
Dum redit in sylvas, inventos fortè sine ipsa
Ore cruentato tenues laniavit amictus.
Seriùs egressus vestigia vidit in alto
Pulvere certa feræ, totoque expalluit ore
Pyramus: ut verò vestem quoque sanguine tinctam,
Repperit; Vna duos, inquit, nox perdet amantes,
E quibus illa fuit longa dignissima vita,
Nostra nocens anima est, ego te miseranda peremi,

In loca plena metus qui jussi nocte venires:
Nec prior huc veni: nostrum divellite corpus,
Et scelerata fero consumite viscera morsu,
O quicunque sub hac habitatis rupe leones!
Sed timidi est optare necem: velamina Thysbes
Tollit, & ad pacta secum fert arboris umbram.
Vtque dedit notæ lacrymas, dedit oscula vesti:
Accipe nunc, inquit, nostri quoque sanguinis haustus.
Quoque erat accinctus, dimisit in ilia ferrum.
Nec mora, ferventi moriens è vulnere traxit,
Et jacuit resupinus humo, cruor emicat altè:
Non aliter quàm cùm vitiato fistula plumbo
Scinditur, & tenui stridente foramine, longas
Ejaculatur aquas, atque ictibus aëra rumpit.
Arborei fœtus adspergine cædis in atram
Vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
Purpureo tingit prudentia mora colore.
Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,
Illa redit, juvenemque oculis animoque requirit,
Quantaque vitârit, narrare pericula gestit.
Atque locum, & visam cognoscit in arbore formam:
Sic facit incertam pomi color, hæret an hæc sit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
Membra solum, retroque pedem tulit, oraque buxo
Pallidiora gerens, exhorruit æquoris instar,
Quod fremit, exigua cùm summum stringitur aurâ.
Sed postquam remorata, suos cognovit amores,
Percutit indignos claro plangore lacertos:
Et laniata comas, amplexaque corpus amatum,

Vulnera

Vulnera supplevit lacrymis, fletumque cruore
Miscuit: & gelidis in vultibus oscula figens;
Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit?
Pyrame, responde, tua te carissima Thysbe
Nominat; exaudi, vultusque attolle jacentes!
Ad nomen Thysbes oculos in morte gravatos
Pyramus erexit; visâque recondidit illâ.
Quæ postquam vestemque suam cognovit, & ense
Vidit ebur vacuum; Tua te manus, inquit, amorque
Perdidit infelix: est & mihi fortis in unum
Hæc manus, est & amor; dabit hic in vulnera vires.
Persequar exstinctum, lethique miserrima dicar
Causa comesque tui; quique à me morte revelli
Heu solâ poteras, poteris nec morte revelli.
His tamen amborum verbis estote rogati,
O multum miserique mei, illiusque parentes,
Vt quos certus amor, quos hora novissima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.
Ac tu, quæ ramis arbor miserabile corpus
Nunc tegis unius, mox es tectura duorum.
Signa tene cædis, pullosque & luctibus aptos
Semper habe fœtus, gemini monumenta cruoris.
Dixit: & aptato pectus mucrone sub imum
Incubuit ferro, quod adhuc à cæde tepebat.
Vota tamen tetigere Deos, tetigêre parentes.
Nam color in pomo est, ubi permaturuit, acer.
Quodque rogis superest, unâ requiescit in urnâ.

EXEMPLVM NARRATIONIS
historicæ ex Oros. lib. 2. *c.* 8.

Cyrus Persarum Rex Scythis bellum intulit. quem Tomyris Regina, quæ tunc genti præ-

præerat, cùm prohibere tranſitum Araxis fluminis poſſet, transire permiſit, primùm propter fiduciam ſui, dehinc propter opportunitatem ex objectu fluminis hoſtis incluſi. Cyrus itaque Scythiam ingreſſus, procul à transmiſſo flumine caſtra metatus, inſuper aſtu eadem, inſtructa vino epulisque, deſeruit, quaſi territus refugiſſet. Hoc comperto, Regina tertiam partem copiarum, & filium adoleſcentulum, ad perſequendum Cyrum mittit. Barbari veluti ad epulas invitati, primum ebrietate vincuntur, mox revertente Cyro univerſi cum adoleſcente obtruncantur. Tomyris exercitu ac filio amiſſo, vel matris, vel Reginæ dolorem ſanguine hoſtium diluere promptius, quàm ſuis lacrymis, parat. Simulat diffidentiam deſperatione cladis illatæ, paulatimque cedendo, ſuperbum hoſtem in inſidias vocat. Ibi quoque compoſitis inter montes inſidiis, CCM. Perſarum, cum ipſo Rege, delevit, adjectâ ſuper omnia illius rei admiratione, quod nec nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuit. Regina caput Cyri amputari, atque in utrem humano ſanguine oppletum conjici jubet, non muliebriter increpitans: Satia te ſanguine, quem ſitiſti; cujus per annos triginta inſatiabilis perſeveraſti. *Cyri mort.*

EXEMPLVM NARRATIONIS
Civilis ex Miloniana.

P. Clodius, cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in Prætura vexare Remp., videretque ita tractata eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes Præturam gerere poſſet; qui non honoris gradum ſpectaret, ut cæteri; ſed *P. Clodii hiſtoria.*

&c L.

& L. Paullum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, & annum integrum ad dilacerandam Remp. quæreret: subitò reliquit annum suum seque in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad Præturam gerendam, hoc est, ad evertendam Rempubl., plenum annum atque integrum. Occurrrebat, mancam ac debilem præturam suam futuram, Consule Milone: cum porrò summo consensu populi Romani Consulem fieri videbat: contulit se ad ejus competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus etiam invitis illis gubernaret, tota ut comitiis suis, ut dictabat, humeris sustineret: convocabat Tribus: se interponebat: coloniam novam, delectum perditissimorum scribebat civium: quantò ille plura miscebat; tantò hic magis indies convalescebat. Ubi videt, homo ad omne facinus paratissimus, certissimum consulem, idque intelligit non solùm sermonibus, sed etiam suffragiis populi Rom. sæpe esse declaratum;palàm agere cœpit, & apertè dicere, occidendum Milonem. servos agrestes, ac barbaros, quibus sylvas publicas depopulatus erat, Hetruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat,quos videbatis. Res erat minimè obscura: etenim palàm dictitabat, Consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Significavit hoc sæpe in Senatu: dixit in concione. Quin etiam Favonio fortissimo viro quærenti ex eo, qua spe fureret: Milone vivo, respondit, triduo illum, ad summum quatriduo, periturum: quam vocem ejus ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit. Interim cum sciret Clodius, (neque etiam

erat difficile ſcire) iter ſolemne, legitimum, neceſſarium, ante diem 13. Kalend. Febr. Miloni eſſe Lanuvium ad Flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Romam ſubitò ipſe profectus eſt, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor deſideratus eſt, quæ in illo ipſo die habita eſt, relinqueret, quam niſi obire facinoris locum tempuſque voluiſſet, nunquam reliquiſſet: Milo autem, cùm in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit, calceos & veſtimenta mutavit, paulisper, dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt: inde profectus eſt id temporis, cum jam Clodius (ſiquidem eo die Romam venturus erat) redire potuiſſet: obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nullâ rhedâ, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, (ut ſolebat) ſine uxore, ut nunquam ferè, cum hic inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet, cum uxore veheretur in rheda penulatus, vulgique magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum puerorumque comitatu; fit obviam Clodio ante fundum ejus, hora ferè undecima aut non multo ſecùs: ſtatim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum, adverſi rhedarium occidunt. Cùm autem hic de rheda rejecta penula deſiluiſſet, ſeque acri animo defenderet, illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis partim recurrere ad rhedam, ut à tergo Milonem adorirentur, partim, quod hunc jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus ſervos, qui pòſt erant. ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præſentes fuerant, partim occiſi ſunt, partim, cùm ad rhedam pugnari vide-

viderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonem occisum esse, etiam ex ipso Clodio audirent, fecerunt id servi Milonis (dicam enim, non derivandi criminis causâ, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque præsente domino, quod suos quoque servos in tali re facere voluisset.

ALIUD EXEMPLUM NARrationis brevis, dilucidæ & verisimilis, ex oratione Ciceronis Pompeianæ.

Atque ut inde mea proficiscatur oratio, unde hæc omnis causa ducitur; bellum grave, & periculosum vestris vectigalibus, atque sociis, à duobus potentissimis Regibus infertur, Mithridate & Tigrane: quorum alter relictus, alter lacessitus occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur. Equitibus Romanis honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie literæ, quorum magnæ res aguntur, in vestris vectigalibus exercendis occupatæ. Qui ad me pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine, causam Reipub. periculaque rerum suarum detulerunt: Bithyniæ, quæ nunc vestra provincia est, vicos exustos esse complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate: Lucullum magnis rebus gestis ab eo bello discedere: huic qui succurrerit non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum. Unum ab omnibus sociis, Repub. & civibus, ad id bellum Imperatorem deposci, atque expeti, eundem hunc unum ab hostibus metui, præterea neminem.

DE

DE CHREIA.

CAP. III.

Chreia est commemoratio brevis alicujus personæ factum vel dictum aptè referens. Dicta autem est, quòd sit utilis. Et Chreiarum aliæ Verbales sunt, aliæ Activæ, aliæ Mixtæ. Verbales, quæ utilitatem oratione demonstrant. Vt Plato dixit: Virtutis ramos è laboribus atque sudoribus produci. Activæ sunt, quæ actionem aut factum solum recensent: ut; Pythagoras interrogatus, quantanam esset hominum vita, cùm per temporis brevius spatium se conspiciendum exhibuisset, latebras petiit, humanæ vitæ mensuram ex momentaneo conspectu designans. Mixtæ, quæ ex utraque conflatæ sunt, oratione & actione. ut; Diogenes, cùm vidisset adolescentulum lascivientem ac indecorè se gerentem, pædagogum illius baculo percußit: supperaddens, quid talia doces aut sic instruis? Chreiam verò conficies hisce capitibus, atque tractabis à

Laudativo.	*Parabola.*
Paraphrastico.	*Exemplo.*
Causa.	*Testimonio veterum.*
Contrario.	*Brevi epilogo.*

EXEMPLVM VERBALIS CHREIÆ, quo Isocrates doctrinæ radicem amaram esse dicebat, fructus verò dulces. Orditur autem ab encomio, hoc modo:

Meritò laudandus est Isocrates, propter eximiam dicendi facultatem, quâ sibi nomen clarißimum comparavit, & quanta vis eloquentiæ esset, *Encomiasticon.*

esset, ipsam exercendo demonstravit, eam illustrem fecit, non ipse ab illa illustratus. Quibus autem vel Reges admonens, vel instituens privatos, bene de hominum vita meruit, longum esset recensere. Verùm, quod de eruditione protulit, haud abs re fuerit commemorare.

Amator, inquit, eruditionis à laboribus auspicatur, sed laboribus indesinentibus in utilitatem: quod quam philosophicè dictum ab eo sit, hinc licet perspicere.

A Paraphrasi seu expositione.

Qui enim bonarum artium amore capiuntur, hi sanè cum professoribus, ac ducibus studiorum conversantur: ad quos accedere ut formidolosum est, ita relinquere stultissimum. Et pueri quidem nunquam metu vacant, & cùm adsunt præceptores, & cùm venturos exspectant. Succedunt Præceptoribus pædagogi, visu terribiles, sed cùm verberibus sæviunt, formidabiliores. Qui etiam, priusquam verberent, timentur. Metum punitio subsequitur, dum omnia puerorum errata vindicantur, & rectè facta, opera virtutis, tanquam ad ea nati sint, exactissimè requiruntur. Iam verò pædagogis ipsis sunt molestiores asperioresque patres, in deambulationes atque vias inquirentes, & vetantes in publicum egredi: forum ipsum habentes suspectum. Quodsi opus fuerit in filios animadvertere, ita excandescunt, ut naturæ obliviscantur, nec se parentes esse meminerint: verùm hujusmodi rebus exercitatus puer, cùm in virum evaserit, merita coronatur virtute.

A contrario.

At, qui veritus ista, fugerit magistros, devitarit parentes, & pædagogos fuerit aversatus, prorsus eruditionis expers scientia privabitur. Nam metum declinans, simul cum ipso doctrinam relinquet. Hæc igitur omnia Isocratem

sentire

ſentire perſuaſerunt: Eruditionis radicem amaram eſſe.

Nam quemadmodum agricolæ ſummo cum labore terræ ſemina mandant; fructus verò majore cum voluptate colligunt: ita qui ad ſtudia accinguntur, ſibi laboris multi comitem gloriam comparant. *A ſimili.*

Reſpice Demoſthenis vitam, qui ut oratorum omnium laborioſiſſimus, ita clariſſimus evaſit: qui fuit adeò ſtudiis intentus, ut comam nativum, capitis ornamentum, exeundi poteſtatem ſibi præripiendo, detonderet, ratus id pulcherrimum decus, quod à virtute proveniſſet. Quæ igitur alii profundunt ad voluptates, ille continuis lucubrationibus impendit. *Ab exemplo.*

Idcirco præclarè hoc, ut omnia, Heſiodus; Aſperam eſſe ad virtutem viam, cacumen verò molle. Nam idem quod Iſocrates protulit. Heſiodus enim viam; Iſocrates autem radicem appellavit, diverſis verbis eandem uterque ſententiam demonſtrantes. *A teſtimonio veterum.*

Quæ ſi rectè conſiderabimus, meritis laudibus evehemus Iſocratem, ut qui ſapienter de eruditione conſcripſerit optima. *Ab epilogo brevi.*

SCHOLIA.

Chreia, &c. Quæ ab aliis utilitas, à Priſciano vocatur uſus. Et eſt, eodem autore, commemoratio orationis alicujus, vel facti, vel utriuſque: celerem habens demonſtrationem, quæ utilitatis alicujus plerumque cauſâ profertur.

Verbales, &c. Orationales eas appellat Priſcianus, quibus oratio ſola ineſt; ut Plato dicebat: Muſas in animis eſſe ingenioſorum.

Item,

Item, Diogenes Cynicus ait: Nihil omninò in vita abſque exercitatione perfici: Eam omnia exſuperare poſſe. Laërtius lib. 6.

Item, Seneca dixit: Nulli ſunt tam feri, ſuique juris affectus, ut non diſciplinâ perdomentur. Vide Eraſmum in proverbio, Exercitatio poteſt omnia.

Item Xenocrates: Dixiſſe me pœnituit aliquando; tacuiſſe nunquam. Valerius lib. 7. cap. 2. Eſt ſilentii tutum præmium. Vide Eraſmi proverbium.

Item Anacharſis dixit: Leges aranearum telis ſimiles eſſe. Valer. lib. 7. cap. 2.

Idem protulit: Vitem uvas tres ferre: primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam mœroris. ut ait Diogenes Laërt. lib. 3.

Virtutis ramos, &c. Hoc eſt, ad bonarum literarum atque virtutis fructum eſſe viam arduam atque aſperam. De qua re carmen exſtat elegans Virgilii de litera Pythagorica. Oſtendit, non ceſſantibus ac inertibus, ſed induſtriis paratam eſſe gloriam; cùm Dii, juxta proverbium, facientes adjuvent, atque labore ſua munera vendant. Etenim, qui vitat molam, vitat farinam. Neque mel, neque apes. Vide Chiliades Eraſmicas.

Activæ, &c. Sunt, auctore Priſciano, in quibus actus ineſt ſolus. Ut; Cotys, Thraciæ Rex, ei, qui dono miſerat πάρδαλιν, viciſſim dono miſit leonem, nihil addens. Sed malam beſtiam malâ penſando, prudenter oſtendit, par pari, juxta proverbium, referendum eſſe. Meminit Plutarchus in Apophthegmatis.

Item, Heraclitus, Philoſophus Σκοτεινὸς dictus, in ſeditione rogatus, ut apud populum ſen-

ſententiam diceret, quo pacto civitas redigi poſſet in concordiam, conſcenſo ſuggeſtu, popoſcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inſperſit, mox de glechone admiſcuit. id eſt vel pulegii ſylveſtris, vel leguminis genus. Deinde epoto calice diſceſſit, nec verbum addidit. Hoc facto innuens, ita demum civitatem carituram ſeditionibus, ſi repudiatis deliciis, aſſueſcerent parvo contenti eſſe. Refert Eraſm. 8. Apophtheg.

Item Lacones, ſi quando ſtrategemate ſuperaſſent hoſtem, Marti bovem immolabant: ſin aperto prælio, gallum. Quo facto innuebant, præclarius eſſe, hoſtem ingenio, citra ſanguinem dejicere, quàm pugna utrinque plerumque cruenta.

Item apud Gymnoſophiſtas olim magnæ fuerat unus æſtimationis. Huic Taxiteles perſuaſit, uti ad Alexandrum ſe conferret, gentibus exteris jam bellum illaturum. Veniens proinde ad Regem, bubulam pellem aridam in medium conjecit, obambulanſque ejus extrema pedibus premebat. Pellis cum ad unam tantum partem calcaretur, reliquis in altum attollebatur. Eo facto, media deinceps firmiùs inſtitit, atque ita pellis undique immota conquievit. Tali exemplo Alexandrum ille commonuit, ne in longinquis locis tempus tereret, ſed imperii medium tueretur: ita enim in ejus finibus quietura omnia. ut refert Diodorus Siculus in Alexandri vita.

Item Exemplum eſt Activæ Chreiæ, ſed tyrannicum, de Tarquinio papaverum ſumma decutiente. Quod deſcribit Livius lib. 1. Et carminibus hiſce Ovidius ſecundo Faſtorum:

Vltima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir injustus, fortis ad arma tamen.
Cœperat hic alias, alias everterat urbes,
Et Gabios turpi fecerat arte suos.
Namque trium minimus proles manifesta Superbi
In medios hostes nocte silente venit.
Nudarunt gladios, Occidite, dixit, inermem:
Hoc capiunt fratres, Tarquiniusque pater.
Qui mea crudeli laceravit verbere terga,
Dicere ut hoc posset, verbera passus erat.
Luna fuit, spectant juvenem, gladiosque recondunt,
Tergaque deductâ veste notata vident.
Flent quoque, & , ut secum tueatur bella, precantur.
Callidus ignaris annuit ille viris.
Iamque potens, misso genitorem appellat amico,
Perdendi Gabios quod sibi monstret iter.
Hortus odoratis suberat pulcherrimus herbis,
Septus humum rivo lene sonantis aquæ:
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, & virgâ lilia summa metit.
Nuncius ut rediit, decussaque lilia dixit,
Filius, agnosco jussa parentis, ait.
Nec mora, principibus cæsis ex urbe Sabina,
Traduntur Ducibus mœnia nuda suis.

Ebrietas. Exstat amabilius exemplum, quo pueris Lacones ostendebant servos, qui vino essent temulenti; quo magis abominarentur ebrietatem, videntes, quàm deforme spectaculum esset homo immodico madens vino, quamque dementi similis. Imò cogebant Helotas, hoc est, agrestes homines, quam plurimum bibere. Deinde ingurgitatos mero, saltationes

nes ineptas ſaltare, & carmina quædam ridicula canere. Ita quod alii prolixo ſermone vix perſuadent, ſobrietatem eſſe rem honeſtiſſimam, ebrietate nihil eſſe homine indignius, illi compendio ponebant ob oculos, ſed in mancipiis, ad quorum mores degenerare ingenuis turpiſſimum eſt. Refertur à Plutarcho in Demetrii vita. Meminit item Eraſm. 2. Apophthegmatum.

Pythagoras interrogatus, &c. Pythagoram idcirco appellatum aſſerit Diogenes Laërtius lib. 8. quòd veritatem perinde atque Pythius ipſe loqueretur. Hic eſt qui vitam quoque humanam ſimilem eſſe dixit Panegyri, hoc eſt, ſolemni hominum conventui.

Idem fertur diſcipulos admonere ſolitus, ut iſta quotidie, cùm domum ingrederentur, dicerent:

Πῆ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; Hoc eſt;

Quo prætergreſſus, quid geſtum in tempore? quid non?

Mixta, &c. Ut; Diogenes die quodam, cùm populus theatrum egrederetur, adverſus populum ingredi nitens, dixit: Hoc in omni vita facere ſtudeo. Sentiebat, Philoſophum à populo diſſidere; cum Philoſophus ratione, populus agatur cupiditatibus, rapiaturque variis perſuaſionibus. Hinc ab Horatio vocatur *Vulgi perverſitas.*

Bellua multorum capitum.

Item: Rex Ageſilaus aliquando arundine pro equo conſcenſa, unà cùm filiolis colludens, ait amico intervenienti: Ne cui dicas, priuſquam ipſe quoque liberorum parens ſis factus. Feſtivè ſubindicans, eum luſum non

esse levitatis, sed pietatis. Nec hoc quod agebat, videri posse ineptum ei, qui modò expertus esset, quàm insons sit affectus caritatis parentum erga filios. Auctor Plutarch. in vitis. Refert Eras. Apophth.

Item: Quum aliquando conscendisset equum Plato, mox descendit, dicens, se vereri, μὴ ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, id est, ne equestri fastu corriperetur. Superbum animal est equus, & equitare quiddam habet magnificum, parumque Philosopho dignum.

Equestris fastus.

Item: Lacedæmoniis ad publica convivia ingredientibus, qui natu erat maximus, singulis ostendebat fores, dicens: Per has nullus egredietur sermo: admonens, nihil effutiendum, si quid liberius dictum esset in convivio. Hunc morem instituit Lycurgus.

Item: Laconem hospes, quem pridie declinaverat, postridie stragulis commodatò sumtis splendidè excepit: at ille stragulis conculcatis, dixit: Propter has heri ne storiis quidem indormire licuit. Lepidè risit illorum morem, qui, cùm sint tenues, tamen affectant videri divites, corrogatâ aut conductâ supellectile. Quod maximè solent in excipiendis hospitibus, in nuptiis, aut alioqui solennibus epulis. Porrò cùm ineptum sit, tuas ostentare divitias, quanto magis, supellectilem alienam ab usurariis sumtam?

Alius Lacon quidam, noctu præteriens monumentum, cùm sibi visus esset videre spectrum, accurrit lanceâ trajecturus, & in hoc nitens, Quò me fugis, inquit, anima bis moritura? O mentem verè liberam omni formidine, quæ nec larvarum ac lemurum occursu terreri potuerit!

Item:

Item: Cùm Dionysius in convivio jussisset, ut singuli in veste purpurea saltarent; (Purpura verò tum Regum erat gestamen; nunc sutoribus etiam communis) id Plato facere recusavit his trimetris è fabula quapiam:

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν,
Ἄῤῥην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος.
Muliebri ego nequaquam indui queã stolâ,
Vir natus ipse, & ex virili germine.

Aristippus verò non recusavit, sed indutus purpurâ saltaturus, hos versus recitavit:

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν ὁ νοῦς
Σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.
Nec in sacris Liberi patris pudica mens unquam corrumpitur.

Refert Diogenes Laërtius, lib. 2. de vita Philosophorum.

Item, Plato frugalis erat, sed tamen amans munditiei. Contra Diogenes sordidus. Itaque calcans Platonis culcitram, præsentibus aliquot Dionysii amicis, quos Plato invitarat ad convivium, dixit: Calco fastum Platonis. Calcas, inquit Plato, sed alio fastu. Nam hoc ipsum fastus erat, quod jactabat munditiei contemptum. Et qui sordibus gloriantur, non minùs ambitiosi sunt, quàm qui splendidè vestiuntur; sed aliter. Turpior est autem ambitio, ex fuco virtutis laudem captans. Unde Socrates, animadvertens, Antisthenem ambitiosiùs ostentare vestem laceram & detritam, facetè hominem increpavit: Οὐ παύσῃ, inquit, ἐγκαλλωπιζόμενος ἡμῖν; id est, Non desines te nobis comere? Significans, ejusdem esse ambitionis, utilitatem amictus ostentare, & delicato cultu se vendicare. ut refert Eras. 3. & 8. Apophth.

Diogenes sordidus.

Fastus.

Scilurus. Item; Scilurus Scytha liberos octoginta masculos habens, cùm esset moriturus, fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula jacula exemit, atque ita facilè confregit omnia. Quo *Concordia.* facto filios admonens; Si concordes, inquit, eritis, validi invictique manebitis: contra, si dissidiis & seditione distrahemini, imbelles eritis, & expugnatu faciles. Recenset Plutarchus in Apophthegmatibus.

Item; Cùm Diogenes Cynicus aliquando vidisset puerum concavâ manu bibentem; Hic puer, inquit, me frugalitate superat, qui supellectilem superfluam mecum circumferam: & ductum è pera poculum ligneum abjecit, Nesciebam, inquiens, & in hoc nobis providisse naturam. Quum alterum puerum vidisset, vasculo fracto, cavo panis excipere lenticulam, abjecit & catinum ligneum, ut supervacaneum: ut scribit Diogenes Laërtius, lib. 6. de vitis Philosophorum.

Baculo percussit, &c. Idem refert Priscianus, & Erasm. Apophth. 3. & Quint. lib. 1. cap. 9. Idem, vel simile, Crateti attribuit, ubi sic ait: Chreiarum plura genera traduntur. Unum simile sententiæ, quod est positum in voce simplici, dixit ille, aut dicere solebat. Alterum, quod est in respondendo; interrogatus ille, vel cum ei dictum esset, re- *Pædagogia.* spondit. Tertium huic non dissimile, cùm quis non dixisset, sed fecisset; ut Crates, cùm indoctum puerum vidisset, pædagogum ejus percussit. Sentiens, primæ ætatis formatoribus potissimùm imputandum esse si adole-

adolescentes evadant malè morati, aut indocti.

Idem Diogenes in foro quodam stans clamabat, Adeste homines! veluti concionaturus ad populum. Cumque jam frequentes convenissent, nec ille desineret clamare: Adeste homines! quidam indignati: En adsumus: dic aliquid. Tum Diogenes baculo illos abigens: Homines, inquit, adesse jussi, non sterquilinia. Non putavit, hominis cognomen in eos competere, qui non viverent juxta rationem, sed brutorum in morem agerentur affectibus. *Homo.*

Idem adhibitâ interdiu lucernâ rogatus, quidnam vellet, respondit: ἄνθρωπον ζητῶ. hoc est, hominem quæro. quemadmodum testatur Diog. Laërtius.

Isocrates, &c. Hunc Cicero, de Oratore secundo, vocat eloquentiæ patrem, & Rhetorum ferè omnium magistrum. Cujus è ludo, tanquam ex equo Trojano, eloquentiæ principes exstiterint innumeri.

Radicem, &c. Hanc sententiam Diomedes lib. 1. in exercitatione Chreiarum adscribit Catoni, inquiens, Marcus Porcius Cato dixit: Literarum radices amaras esse, fructus jucundiores.

Reges admonens, &c. In quorum numero fuit Nicocles, ad quem de regno scripsit Isocrates orationem admonitoriam. Similiter ad Demonicum λόγον παραινετικόν.

Punitio, &c. Apud Aphthonium habetur, κόλασις. Sunt autem tres puniendi causæ. Una est, quæ νουθεσία, vel παραίνεσις, vel κόλασις, dicitur; id est animadversio, cum pœna adhibetur, castigandi atque emendandi gra-

tiâ; ut is, qui fortuitò deliquit, attentior fiat correctus. Altera τιμωρία, cùm dignitas, auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa pœna contemtum pariat. Tertia vindicandi ratio, παράδειγμα, cum punitio propter exemplum necessaria, ut reliqui metu cognitæ pœnæ deterreantur à peccando. Hæc Gellius, lib. VI. cap. XIV.

Opera virtutis, &c. Aphthonius habet κατορθώματα. Quemadmodum Græci rectam effectionem κατόρθωσιν appellant: sic recta, aut rectè facta, κατορθώματα vocant, auctore Cicerone, de Finibus quarto. Idem offic. I. Perfectum officium, inquit, rectum, opinor, vocamus, quod Græci κατόρθωμα appellant.

Demosthenis vitam, &c. Qui per maximos labores ad eloquentiæ culmen conscendit.

Hic, ut Plutarchus scribit, subterraneum locum sibi construxit, in quem per dies singulos descendens, corpus & ingenium exercitabat. Sæpe etiam duos vel tres menses continuos domi inclusus non cessabat, abrasa parte capitis, ut exeundi facultatem sibi ipsi præriperet. Hic idem vadosis litoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, ut ad fremitus concitatarum concionum patientiâ, duratis auribus, in actionibus uteretur. Fertur quoque ori insertis calculis multum ac diu loqui solitus, quo vacuum promtius esset, ac solutius, ut ait Valer. lib. 8. cap. 7.

Hesiodus, &c. Hesiodi locus exstans primo Georgicôn, hic est:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,

Καὶ

Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ᾽ εἰς ἄκρον ἵκηαι,
Ῥηϊδίη δ᾽ ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

CHREIÆ ACTIVÆ EXEMPLVM,
juxta prædictos locos tractatum studio exercendi. cujus argumentum tale est:

Cùm patrem videret mortuum Joseph, flens ruit super faciem ejus, & deosculatus est eum. Gen. 50.

AB ENCOMIO FACIENTIS
exordium ducitur hoc modo.

Quis non laudibus condignis evehere studeat factum hoc egregium viri sanctissimi Josephi, qui præclarum eximiæ pietatis specimen exhibuit, atque virtutis exemplum, non ore tenus, sed pleno caritatis opere defunctum parentem prosecutus est?

Cùm benedixisset nepotibus suis Jacob ægrotus, ac imposuisset finem mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, diemque suum obiit. Quod cernens Joseph, corruit super defuncti parentis carissimi vultum, ac mortuum deflevit. Quo facto vir piissimus admonuit nos, ut nobis caros vitâ defunctos lugeamus: non tamen ut Ethnici, nullam spem habentes. *Ab expositione.*

Quippe hanc vim non solùm hominibus, sed etiam feris indidit ac ingenuit divina potestas, ut dissolutionem naturæ perhorrescant, ac ipsâ relinquendâ luce moveantur, & discessu à suis angantur. Quis igitur tam ferreus, quem non acerba carissimorum suorum funera provocent ad luctum? *A caussa.*

A contrario. Quodsi corda pravorum hominum tangit luctus, hoc est, ægritudo ex eorum, qui cari fuerunt, interitu acerbo: quis iniquum duxerit, si boni viri, qui, juxta proverbium, lacrymabiles sunt, carissimorum suorum funera fleverint; & si populus olim in deserto nimis luxit impios, quod murmuraverant, & insurrexerant contra Dominum Deum; cur fuerit à piis alienum, piorum funera lacrymis prosequi?

A simili. Quemadmodum corpora nostra doloribus adficiuntur, si membrum aliquod fuerit resectum: ita non injuriâ mœrore conficiuntur atque luctu, qui dulcissimam aliquam familiæ suæ, atque generis partem amiserunt, hoc est, patrem, aut amicum, qui fuerit alter ipse, ab eadem, ut Pythagoras inquit, animâ.

Ab Exemplo. Quis Prophetæ Samueli vitio vertit, quòd mortuum Saul Regem defleverit? Quis Regem Davidem reprehendit, quòd planxerit filium Ammon, & ejularit in morte filii Absalon? Quis denique universo Judaico & Israëlitico populo succensuit, quòd in domo Josiæ fuerit lamentatus?

A testimonio. Et divinarum Literarum monumenta nos instituunt & adhortantur, ne desimus plorantibus, sed cum lugentibus lugeamus. Et docent, longè melius esse, in domum luctûs ire, quàm ad domum convivii, quòd in illa finis cunctorum admoneat hominem, ut vivens cogitet, quid futurum sit. Unde cùm Abner à Joab esset interemtus, dixit Rex David ad omnem populum: Scindite vestimenta vestra, accingimini saccis, & plangite ante exsequias Abner in Hebron.

A brevi Epilogo. Rectè igitur Joseph, supra defuncti parentis faciem

faciem ruens, planxit eum: &, quod imitemur, nobis omnibus proposuit egregium veræ pietatis exemplum.

CHREIÆ VERBALIS EXEMPLUM,
quo eadem sententia contrariis locis est variata, & cujus argumentum ejusmodi est.

Helius Eobanus Hassus Poëta, Marpurgensis Academiæ professor, moriturus, hoc Ennii carmen protulit: *Eobanus Hessus.*

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit. cur? volito docta per ora virûm.

EXORDIUM AB ENCOMIO
præclaræ sententiæ ducitur in hunc modum.

Dignissima profectò memoratu, ac laudatu sententia, quam duo poëtæ, Q. Ennius, & Eobanus Hessus celeberrimam reddiderunt: ille, quia fuit auctor; hic, quoniam semper usurpavit: Uterque maximus ingenio. Ille patriam Rudias nobilitavit, creditus habuisse tria corda, quod Græcè, Oscè & Latinè sciret loqui. Unde non immeritò carus fuit Scipioni Africano & Q. Nobiliori, viris clarissimis. Hic eruditione suâ, variaque rerum cognitione patriam suam Hassiam, & inibi civitatem, ubi natus erat, Francobergam fecit illustrem, id studio suo consecutus, ut innumeros Heroas atque Principes illustrissimos sibi pararit amicos, æternamque nominis gloriam fuerit adeptus.

Cujus ut multa præclarè scripta sunt: ita non pauca graviter dicta: cujus generis illud Ennianum, quod supremo tempore, veluti *Ab oppositione.*

cantator cygnus funeris ipse sui, suaviter emisit. Quo vates eximiâ sapientiâ præditus noluit defleri hominum doctorum atque piorum mortem, quam à malis abducentem vita beata esset consecutura.

A caussa. Sciebat, pias animas corporis vinculis, atque omnibus humanis incommodis exutas, perpetuò victuras. Noverat, animos hominum esse divinos, iisque, cùm è corpore excessissent, reditum ad cœlum patere, optimoque & justissimo cuique expeditissimum: ut ait Cicero de Amicitia. Videbat, res mundanas tot casibus atque periculis innumeris obnoxias. Animadvertebat, nullas domos esse, in quibus non multi luctus olim fuerint, hodiéque versentur. Videbat, omnes urbes nihil aliud esse, quam miseranda (ut Solon apud Valer. inquit) cladium humanarum circumsepta; ut multi exstiterint, qui non nasci optimum censuerint, aut quàm ocissimè aboleri.

A contrario. Quodsi lacrymis indulgendum est, ii solùm flendi fuerint, quibus mors terribilis est, hoc est, iis, quorum cum vita omnia exstinguuntur: non autem deflendi, quorum virtutis gloria nunquam est interitura, sed post mortem speciosior futura. Hinc, ut ait Cicero, Sapientissimus quisque æquissimo animo moritur; stultissimus iniquissimo: Hic enim cui cæca mens, qui nihil aliud considerat, quàm externa mortis opera, luget miserabiles sibi visos hominum casus: at ille metu mortis non exhorrescit, nec lamentatur, qui secum revolvit, nobis ex hac vita discedendum, tanquam ex hospitio, non domo; cum nobis natura diversorium commorandi, non

habi-

habitandi, dederit. Deinde perpendit internam mortis utilitatem, quæ dicitur ultima linea rerum, malorum requies, & æternæ vitæ simul ac salutis origo. Sapienter Rex Ecclesiastes inquit: Laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui non natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. In hoc ipsum qui defixos oculos habet, alacrior audet dicere:

Cum volet illa dies, quæ nil, nisi corporis hujus
Ius habet, incerti spatium mihi finiat ævi:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar.

Quid enim habet vita commodi, quid non potius laboris? O præclarum diem, cùm ad illud animorum concilium cœtumque proficiscar, & cùm ex hac turba & colluvione discedam! Prô Dii immortales, quàm optabiliter iter illud ineundum! quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura. Hæc Cicero in Catone majore, & 1. Tusc. quæst.

Quemadmodum illorum vicem non dolemus, sed læti gratulamur, qui reduces è gravissimis præliorum crudelium periculis, in patriam ad carissimos amicos cum triumpho revertuntur: ita bono jure debemus (ne meliorem fortunam invidere videamur) in illorum discessu gaudere, qui ex hac lacrymarum valle atque vita, quæ super terram perpetua (ut S. Hiob ait) militia est, demigravit in cœlestem patriam, ubi vera charitas, & pax æterna regnat.

Quæ jam omnia dicta, non solùm sancti Patres, sed etiam Ethnicorum Philosophi, animis reputantes, confirmarunt, mortem *Ab exemplo.*

 non

non modò flendam non esse, sed voluptatis etiam loco ducendam, aut fortiter contemnendam. Exemplo sunt tot hominum piorum millia, qui per vincula, verbera, flammas atque per atroces diversorum generum cruciatus interempti, cum gaudio concesserunt ad cœlorum regna. Sed iis omissis, quid de Socrate loquar? cui mera fuit hilaritas in morte. Qui post sumtam cicutam, cùm frigerent membra; Debemus, inquit, gallum Æsculapio persolvere: jocans perinde, quasi sumta potione medica convaluisset. Quid de Cyrenæo illo Theodoro Philosopho? cui cum Lysimachus Rex crudelia minaretur: Istis, quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest, humine, an sublimè putrescat. Quo dicto genus omne mortis contemsit, post hanc vitam longè meliorem exspectando.

Socrates.

Theodorus.

A veterum testimonio.

Divinæ literæ, non mœroris plenam, sed potiùs pretiosam esse mortem sanctorum in conspectu Domini, prædicant. Et eos, qui docti fuerint, post hanc miserabilem vitam futuros ut cœli firmamentum. Quod licet non cognoscerent Thraces: tamen exsequias, & funera cum hilaritate celebrabant. Qui sine ullis doctorum præceptis humanæ conditionis (ut Valerius inquit) habitum præviderunt, nempe mortem homini optimam, & ut omnium malorum finem optandam esse, vitam autem deflendam, tot ærumnis refertam. Considerarunt, nihil in terris homine miserabilius esse, quem natura tantum nudum, & in nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim & ploratum, solumque tot animalium ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. Ab hoc

Thraces.

hoc lucis rudimento, quòd ne feras quidem inter nos genitas vincula excipiunt, & omnium membrorum nexu, atque infeliciter natus, jacet manibus pedibusque devinctis flens: Animal cæteris imperaturum, & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est; ut ait Plinius.

Recte igitur Eobanus Marpurgi jam moriturus Ennii versiculos proferendos censuit, ut nullius boni viri mortem, ita suam non esse deplorandam: quæ tot à malis eripiat, ac miserrimæ servitutis captivitate bonos asserens, in vitam æternam perducat. *Ab epilogo brevi.*

ALIVD CHREIÆ VERBALIS *exemplum, cujus argumentum tale est: Ecclesiast. cap. 10. dixit: Pecuniæ obediunt omnia. Exordium ducitur à laude.*

Rex Israël Ecclesiastes ex intimis divinæ sapientiæ penetralibus depromta multa dixit, ad rerum omnium optimarum cognitionem pertinentia; maximè veritatis; cujus est tanta vis, ut contra hominum ingenia, fictasque omnium insidias, facilè se ipsam possit defendere. *Ab expositione.*

Opibus, inquit, universa simul obediunt. Quo dicto quid verius esse possit, non video. Etenim pecuniam, quæ genus & formam donare poterit, reginam facimus omnes. Huic servimus omnes; huic palmam tribuimus omnes; huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in ratione mortalium sola utramque paginam facit.

Nec immeritò. Nam quicquid eximium, quic-

quicquid ſplendidum, quicquid venuſtum, quicquid denique glorioſum hominibus contingit, id à ſolius pecuniæ beneficio proficiſcitur. Huic libenter omnes obtemperamus, victi lucro: nec injuria, cùm quicquid rerum vel bonarum vel malarum geratur inter mortales, id pecuniarum fiat gratiâ. Qua ratione permotus apud Euripidem Bellerophon, inquit:

Sine me vocari peſſimum, ut dives vocer.
Nemo an bonus; an dives, omnes quærimus.
Non quare, & unde: quid habeas, tantùm rogant.
Vbique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe ſit, quæris? nihil.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Benè moritur, quiſquis moritur dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.
Cui non voluptas matris, aut blandæ poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.
Tam dulce, ſi quid venerit, in vultu micat.
Meritò illa mores cœlitum, atque hominum movet.

Reſpice pauperem inopis viri culinam; videbis omnia frigere. Contemplaberis pauciſſimos, eoſdem pannoſos, ſordidos, ſqualidos inibi deliteſcere miniſtros; neminem ibi regnandi palmam obtinere, quàm famem ſtrigoſam, cum canibus mures inediâ conſumentem. Conſiderabis loca cuncta ſqualentia ſitu, catilla carioſa, patellas ſcabroſas, cibaria rancida, ſupellectilia rubiginoſa, parietes fuligine atque araneis oppletos, ſtragula pediculoſa; & breviter omnia, quæ procul intuenti poterunt horrorem incutere, & ab acceſſu

cessu inauspicato deterrere. At ubi fueris ingressus aulam pecuniæ, videbis omnia luculenta, omnia fervere opera, greges hominum innumeros in officio esse, nec eos sordidos, sed argento atque auro coruscos. Admiraberis apparatuum magnificentiam, gemmis pavimenta, tapetibus pretiosis muros, sedilia cocco, purpureis angulos omneis aulëis, opificio denique citreo lacunaria refulgentia. Præterea coquinam, genere ferinarum atque lautitiarum omni renidentem, ubi suppetat abundè Iovis cerebrum, Attica bellaria, & breviter, Deorum (ut proverbio dicitur) cibus. Etenim ubi regina pecunia regnat, ibi rerum omnium uberrima copia redundat, inopia protinus expellitur, quemadmodum olim apud Græcos fames; quam virgis ex ædibus solebant ejicere, dicentes,

Ἔξω βούλιμον, ἔσω πλοῦτον, καὶ ὑγίειαν. id est, foras Famem; intrò divitias, atque sanitatem.

Quemadmodum in magnas, opulentasque beatorum Principum aulas recipi certatim homines adlaborant, ut dominorum gratiâ ad honores atque divitias evehi possint: Sic quo potentior pecunia, tanto ferventius adfectant omnes sub ejus imperio esse, cujus beneficio non difficulter & opes & honores maximos poterunt consequi. Porrò, *A simili.*

Prima ferè vota & cunctis notissima templis,
Divitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. ut Iuvenalis ait.

Quem autem puduerit in pecuniæ castris militare, in quibus non modò privatorum innumerabilis, sed etiam magnorum Principum, *Ab exemplo.*

cipum, atque Cæsarum multitudo stipendia fecerit? Exemplo sit, ut innumeros prætercam, ille, cujus vox in proverbium abiit, Lucri bonus odor ex re qualibet.

A testimonio veterum. Verùm enimverò, non injuria serviunt omnes pecuniæ; cùm ea vis, atque anima sit mortalium, multosque amicos vulgò conciliet. Vnde Hesiodus:

Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Et Menander:

Δύναμις πέφυκε τοῖς βροτοῖς τὰ χρήματα.

Quæ perpendens Horatius, ex vulgi sententia dixit:

O cives, cives, quærenda pecunia primum est;
Virtus post nummos: hæc Ianus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt juvenes dictata, senesque.

A conclusione. Ergo verissima est, quam Ecclesiastes protulit, sententia, quæ tam nationibus omnibus in ore, quàm nunc etiam omnibus pecuniæ servis in usu.

ALIVD CHREIÆ VERBALIS *exemplum, cujus argumentum ejusmodi est.*

A conclusione. *Plato Philosophus dixit:* Tum demum beatum terrarum orbem futurum, cum aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent.

A Platonis laude sumitur exordium hoc modo:

Valerius Maximus prodidit memoriæ, formicas Platonis dormientis in cunis parvuli labellis mel inseruisse. Quâ re auditâ, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam dixisse. Indices illæ

illæ nequaquam vanæ, nec conjectores hi futiles extiterunt. Nam tantas non solùm eloquentiæ, sed etiam Philosophiæ facultates assecutus Plato fuit, ut ejus sermone Iovem, si Græcè loqui velit, usurum prædicarent: & Platonem alii Philosophorum Homerum, alii Philosophorum Deum appellarent. Scripsit autem omnium & elegantissimè & gravissimè complura. inter quæ relucet, quod de Reip. felicitate protulit.

Ab expositione. Ingenii ac doctrinæ princeps, tum demum fore beatas Respub. putavit, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent: aut qui regerent, omne studium in doctrinâ & sapientiâ collocassent. Animadvertit, nulla fortunata regna fore, quibus stulti fuerint prædominati, non eruditione, atque virtutibus præcellentes viri.

A causa. Etenim feliciter omnia succedent in Republica, quam gubernant viri sapientes, imbuti præceptis Philosophiæ. Hæc est vitæ dux, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, sine qua hominum vita nihil poterit esse. Illa peperit urbes; illa dissipatos homines in societatem vitæ convocavit; illa eos inter se primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxit: illa inventrix legum: illa morum & disciplinæ magistra: ut ait Cic. Tuscul. 5.

A contrario. Quis igitur civitates non fortunatas prædicet, quæ sapientum reguntur imperiis? Contrà, quis non infelices arguat; quas cæca stultorum temeritas administrat? cùm è doctrinis sapientum plurima commoda proveniant, è stultorum autem ignorantia calamitates infinitæ. Etenim stulti stulta (juxta proverbium)

verbium) loquuntur ac faciunt. Sapientes autem ſapienter omnia. Et viribus melior ſapientia,& vir prudens,quàm fortis. Sapient.5.

A ſimili. Quemadmodum naves, quæ à Naucleris excellentibus reguntur, ſubortis tempeſtatibus extra pericula ſunt, ac fortunatè vehuntur: Sic ubi Reſpub. à viris eruditione ſimul ac ſapientiâ præditis adminiſtrantur, beatæ florent vel pacis vel belli temporibus. Porrò, ut quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare poteſt: at ubi ſæva ſuborta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro & gubernatore opus eſt: Ita quilibet in tranquilla Repub. utcunque poteſt negotiis præeſſe; ſed in perturbato rerum ſtatu,ſummâ curâ providendum ac præcavendum eſt, quis ad gubernacula ſedeat: ut ait Livius lib. 4 ſecundi belli Punici.

Ab Exemplo Fabii Max. Reſpice duos animorum diverſiſſimorum Imperatores, Q. Fabium Maximum, & C. Terentium Varronem: illum prudentem, hunc ſtolidum: illum ſapientiâ conſpicuum, cunctando res afflictas reſtituiſſe; hujus temeritatem perdidiſſe ad Cannas. Et Rempub. inauſpicata nobilitas Catilinaria contudiſſet, ſi non prudentiſſimus Conſul Cicero aſſeruiſſet in libertatem. Vnde Juvenalis, Satyr. 8.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Rectè Phocylides:

Ἀγροὺς καὶ πόλιας σοφία καὶ νῆα κυβερνᾷ.

A teſtimonio veterum. Hoc eſt, Sapientia gubernat agros, naves, atque civitates. Quo præclaro dicto ſignificat, omnia feliciter adminiſtrari, quæ ſapientiæ præſidio reguntur.

Epilogus. Dignis igitur laudibus evehenda Platonis eſt ſen-

ſententia, qua reſpub. eas fortunatas prædicat, quarum rectores philoſophiæ ſtudiis fuerint exculti.

ALIA CHREIARUM EXEMpla, *ex Stephano Nigro.*

CHREIA PRIMA.

HEſiodus inter Poëtas eminentiſſimus, cujus in dicendo ἡδονὴν, hoc eſt, ſuavitatem, nullus eſt, candidiſſimi auditores, quin vehementer admiretur: qui plurima quidem ad humanæ vitæ inſtitutionem ſpectantia, divino quodam inſtinctu cecinisse videtur. Nam & agrorum cultum, ſub fratris titulo, humanum genus edocuit, & quo pacto optimè, ac modeſtiſſimè ſit vivendum, oppidò quàm prudenter admonuit.

Sed & illud in primis non magis deorum monitu, quàm longo etiam rerum uſu ab eo prolatum contenderim. Quo nobis ſignificare haudquaquam dubitavit, Deos ſcilicet virtutem propoſuiſſe ſudore parandam. Ait enim:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι,
Ῥηϊδίη δὴ ἔπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

Quibus mehercule verbis omnium prudentiſſimus Poëta innuere voluit, ſocordiam ac ſegnitiem à nobis penitus rejiciendam, nihilque eſſe, à quo immortales Dii magis abhorreant; quàm cùm deſidiâ pariter ac negligentiâ torpeſcimus. Quid enim ex ipſa deſidia præter ignorantiam conſequi poſſumus? Quæ ſi fortè inani ſapientiæ opinione inflata, robur ac vires ſibi comparaverit, ingentium

ac turpissimorum scelerum causam suggerit. At virtus, ex qua omnes honestæ voluntates, actiones, sententiæque proficiscuntur, laborem requirit, diligentiam desiderat, vigilantiam exigit. Somnus enim multus (ut Philosophorum sapientissimus Plato refert) nec corporibus humanis, nec animis, nec rebus agendis natura conducit. Nemo enim quamdiu dormit, à defunctis differt. Hinc est quod Plinius ait: Profectò vita vigilia est. Quod & illâ Græcorum sententiâ, quæ jam vulgò in omnium ore versatur, optimè indicatum est:

Somnus nimius.

Ὕπνος θανάτου προμελέτησις πέλει.

Vnde illud originem traxisse jure videri potest:

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Cùm Socrates apud comicum Aristophanem, Strepsiadem senem ad philosophiam exhortaretur, quæ summam diligentiam, curamque desiderat, hoc præcipuè senario usus est,

Ὕπνος ἀπέστω γλυκύθυμος ὀμμάτων.

Hoc est, Oculis abesto leniens animum sopor. Quod si dormitando, ac desidendo, virtutem consequi valeremus; nunquam ipsa apud Deos, ac mortales, tanti fieret. Apollo, cui cæteri Dii divinationem concessere, propterea à Chærephonte interrogatus, Socratem omnium sapientissimum respondit, quod eum virtute præditum noverat. Quam Græci (ut Platoni placet) idcirco ἀρετὴν appellarunt: quòd omnium fuit maximè diligenda. Nam generis nobilitas pulchrum quidem est, sed à majoribus per successionem acceptum bonum. Divitiæ in maximo semper fuêre

Socrates.

pretio,

pretio, ſed fortunæ temeritati atque inconſtantiæ ſubjectæ. Gloria honeſtatis quidem ſpeciem præ ſe ferat, infirmam atque inſtabilem. Pulchritudo plurimi facienda; verùm haudquaquam diuturna. Bona valetudo optabile quid; ſed mutatur facilè. Corporis robur magnum eſt quid; ſed morbis ſenioque tandem conficitur. Virtus verò clara æternaque habetur: utpote, quæ divina ſit atque immortalis, omneſque fortunæ incurſus facilè contemnat atque deſpiciat. Stilpo Megarenſis Philoſophus à Demetrio, qui ejus patriam ſolo æquaverat, interrogatus; nunquid amiſiſſet? nihil, ſtatim reſpondit:

Πόλεμος γὰρ ὐ λαφυραγωγοῖ ἀρετήν.

Quæ utique verba ſignificant, animi bona nullo bellorum impetu diripi unquam poſſe, ſolamque in ipſa virtute conſiſtere felicitatem. Quod ita ſe habere Philoſophorum parens Socrates evidentiſſimè indicavit. Rogatus enim à Leontino Gorgia; quid de magno Rege ſentiret, utrum eum felicem exiſtimaret?

Οὐκ οἶδα, ἔφησε, πῶς ἀρετῆς καὶ παιδείας ἔχει.

Quo utique reſponſo prudentiſſimus Philoſophus innuere voluit, ſe de maximi atque opulentiſſimi Regis felicitate eo ad amuſſim judicare haudquaquam voluiſſe, quod ut erga virtutem ac diſciplinas affectus eſſet, penitus ignoraret: utpote qui felicitatem ipſam non in fortunæ, ſed animi potiùs bonis poſitam eſſe exiſtimaret, unicam virtutem cæteris eſſe rebus præponendam arbitratus.

Ἅπας γὰρ ὁ ὑπὲρ γῆς καὶ ὑπὸ γῆν χρυσὸς οὐκ ἀντάξιος ἀρετῆς, κατὰ Πλάτωνα.

Solon

Solon præterea de divitibus locutus dicere consueverat: Ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον. Nos virtutem divitiis illorum non commutabimus. Cujus virtutis robore, parta atque amplificata imperia perquam facilè retinentur. Hinc est, quod Historicorum princeps Sallustius ait: Quodsi Regum, atque Imperatorum animi virtus, in pace ita ut in bello valeret, æquabiliùs atque constantiùs sese res humanæ haberent, neque aliud aliò ferri, nec mutari, ac misceri omnia cerneres. Itaque minimè mirum est, si ad eam comparandam assiduo ac maximo opus est labore. Χαλεπὰ γὰρ τὰ καλά. Hoc est, Quæ bona sunt, non sine maxima acquiri possunt difficultate. Quodsi mercatores, modò lucelli spes aliqua arrideat, ingentia, procellisque exagitata, maximo cum vitæ discrimine, transeunt maria: si agricolæ fodiendis, ac proscindendis arvis assiduè incumbunt, ut in brevissimum tempus fructus, ni calamitatibus fuerint intercepti, tandem metant: cur non & nos omnem inertiam, desidiam, ac dilationem propellamus, quo virtutis perpetuos, nullique obnoxios calamitati, fructus consequamur? Herculem, ferunt, cùm adolescentulus esset, virtutis ac voluptatis oblatis viis, utram caperet, diu secum multumque dubitasse: duas autem, dum in dubio erat animus, ad ipsum accessisse matronas, Virtutem scilicet, & Malitiam: illarumque etiam, dum silentium continebant, notam fuisse extemplò diversitatem. Videri enim alteram accuratissimè comptam atque exornatam, deliciis diffluentem, & omnium voluptatum examen post se trahentem. Hanc itaque multa osten-

Hercules.

dant, atque fenestram aperiant criminibus, ut præstiterit, honestâ paupertate laborare, quàm injustis divitiis affluere. Hinc Menander:

Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν κακῶς.

Id est, Honestius est, pauperem esse, quàm injustè divitem.

Duo sunt (ut inquit in novis Rhetoricis Cicero,) quæ possunt ad turpe compendium permovere: inopia, & avaritia. Unde fit, ut legati, atque causidici, pecuniis sæpe corrupti, causam deteriorem foveant, ac tueantur. Ergo lex erat apud Corinthios, ne legatione fungentes acciperent munera. Et lege Corneliâ cautum: Ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret; ut ait Pomponius Lætus. Inter cætera fuit objectum Æschini, quod munera legatus acceperit; ut ait Quintilianus lib. 4. cap. 4. Et Demosthenes ipse, acceptâ pecuniâ, contra Milesios loqui noluit, anginam se pati dicens. Vide Gell. lib. 11. cap. 9. & Erasm. in proverbiis. Porrò nihil est tam sanctum, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ possit. Unde Philippus Macedonum Rex, an præsidium tam esset difficile accessu, rogavit, ut asinus auro onustus accedere non posset?

Non tamen id juris, &c. In Repub. divites plus & honoris & auctoritatis habent, quàm pauperes: dat enim census honores; pauper ubique jacet. Quippe, quemadmodum timiditatem atque contemtum paupertas adfert: sic opulentia παῤῥησίαν, hoc est, loquendi confidentiam adducit, & ornamentum populare. Vulgus divitum, dulci (ut

ait Horatius) fortunâ ebrium, hoc putat suis divitiis deberi, ut quicquid dixerint, id protinus quasi Apollinis oraculum omnes suspiciant, & approbent; ut ait Erasm. in proverbio,

Ἀργύρου κρήναι λαλοῦσιν.

Arnaus, *&c.* Homer. Odyss. 12. loquitur in hanc sententiam: Prodiit pauper publicus, qui per urbem Ithacam mendicabat, cujus erat insigne, vacuum continuo ventrem cibo potuque explere, vis alia ei nulla, seu virtus. Aspectu fuit procerus, cui nomen Arnæo ex ipsa genesi mater indidit. Juniores verò cuncti Irum vocabant; quoniam, si quis vellet, nuncium ferebat, more Iridis. Ad id respiciens Ovid. In Ibin inquit:

Qualis erat nec non fortuna binominis Iri.

Paupertatis sensit mala, *&c.* Ulysses mendicus visus multa patiebatur, contumeliis adfectus à Melanthio, qui calce quoque eum percussit; Antinous scabello petiit, Odyss. 17. Et cùm proci cibis, vinoque essent obruti, in Ulyssem debacchati sunt. Etenim Minerva, ut Ulyssis animum adhuc magis injuriis exerceret, procos ab injuria non permisit abstinere. Unde Ctesippus, pedem bubulum è canistro corripiens, jecit in Ulyssem; ut habetur Odyss. 20.

Paupertas nobilem alioqui reddit inglorium; unde illud Horat. Ser. lib. 2. Satyr. 5. Et genus & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.

Paupertatem nobilitate, *&c.* Exstat & Menandri senarius:

Πενία δ᾽ ἄτιμον καὶ τὴν εὐγενῆ ποιεῖ.

id est, Paupertas autem inhonoratum & nobilem facit. Vel, clarum reddit paupertas inglorium, id est, claro loco natos, obscuros atque contemtos facit. Illustre genus sine divitiis magis deprimitur, quàm exaltatur.

EXEM-

EXEMPLVM SENTENTIÆ
desumtum ex Prisciano.

ARGVMENTVM.

Non oportet per totam noctem dormire virum multis consulentem.

Laudabis igitur eum qui dixit, breviter. Deinde, simplici expositione explicabis sententiam. ut: Non decet virum, in summa potestate multis præsidentem, ab occasu solis usque ad ortum opprimi somno, aut veterno torpescere.

Debet enim præses semper vigilare, & sub- *A cau-*
ditorum suscipere curam; quam somnus au- *sa.*
fert, & officii reddit immemorem.

Contrarium est enim Rex, & privatus; & *A con-*
somnus, & vigiliæ. Sicuti ergo molestum non *trario.*
est, si privatus homo per totam dormiat noctem: sic intolerabile, si Rex non vigilet, consulatque sibi parentium saluti.

Quemadmodum navium gubernatores, si *A com-*
cæteri dormiant, soli pro communi vigilant *paratio-*
salute: sic oportet Imperatores pro suis esse *ne.*
sollicitos.

Hector noctu vigilans, & Reip. providens, *Ab ex-*
speculatorem ad naves Græcorum mittebat *emplo.*
Dolonem. Scipionis vigilantia Syphacis dormitantis castra expugnavit. Livius, lib. 10. belli Punici.

Quod Sallustius quoque comprobat, dicens: Multi mortales, dediti ventri, atque somno, indocti, incultique, vitam sicuti peregrinantes transigunt.

Hæc habet exhortationem plerumque. ut: *Conclu-*
Oportet & nos, necessarias res suscipientes, *sio.*

ſummâ curâ, vigiliiſque, eis conſulere, quibus præfecti ſumus.

ALIVD EXEMPLVM MEVM.

ARGVMENTVM.

Eſt melius, tumido mergatur ut æquore Cyrnus,
Quàm levium ſtudiis ſollicitetur opum.

Exordium à laude. Quæ ſapienter dicta mores expoliunt, & ingenia formant, laudem ſuam merentur: quale carmen illius, qui longè melius eſſe confirmabat, fluctibus obrui, quàm honeſtâ paupertate rejectâ, divitiis congerendis jugiter inſudare.

Ab expoſitione. Quæ, ſibi quid velint, conſideremus. Vitam pauperis cum honeſtate conjunctam longè præſtantiorem innuit eſſe, quàm quæ perpetuâ contrahendarum opum libidine divexatur: imò longè conſultius, in mare præcipitem dari, quàm perverſis opum coacervandarum ſtudiis diſtorqueri.

A cauſa. Longè enim melius eſt, parum cum timore Domini, quàm theſauri magni, & inſatiabiles. Et quid in ſe mali habet paupertas ſacra? quid non potius boni! Hæc à Deo profecta, manuductrix quædam eſt in via, quæ ducit ad cœlum, unctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus. Et nihil opulentius eo, qui paupertatem ſponte diligit, & alacritate ſuſcipit: ut ait Joh. Chryſoſt. Serm. 18. ſuper Epiſt. ad Hebr. Divitiis igitur paupertas anteponenda, quæ ſecuritatis aſylum eſt, vitiorum expultrix, & ingenii repertrix: ut Græci rectè dixerint, πενία τὴν σοφίαν ἔλαχε, id eſt, Paupertas ſapientiam adinve-

Meerderbr. van Waver

invenit. Cicero 5. Tuscul. Dies me deficiet, si velim paupertatis causam defendere. Aperta res est, & quotidie nos ipsa natura admonet, quàm paucis, quàm parvis rebus egeat, quàm vilibus. Quid igitur prodest divitiarum gloria fluxa & fragilis? Felices pauperes, si sua bona nôrint!

Quantum hominibus divitiæ incommodent, vel cæco manifestum est. Plenæ sunt curarum atque sollicitudinum. *A contrario.*

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium contumque timebis,
Et mota ad Lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Et: ——— *Nulla aconita bibuntur*
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Præterea stultitiam patiuntur opes; tollit amicos opulentia. Satietas (ut proverbio dicunt) ferocitatem parit.

Divitiæ superbos ac insolentes reddunt, vim inferunt, libidini fomenta subministrant: largitionibus jura subvertunt, tyrannidem augent, ac tutantur. breviter; vitiis omnibus fenestram aperiunt.

Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas antiqua perit: hinc fluxit ad Istros
Et Sybaris colles, hinc & Rhodos & Miletos,
Atque coronatum petulans, madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscæna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu
Divitiæ molles. ut ait Juvenal. Satyr. 6.

Contra, paupertas eſt tuta, ſecuritatis mater, omnis virtutis atque ſapientiæ productrix, omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica: cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim apud Græcos in Ariſtide juſta; in Platone benigna; in Epaminonda ſtrenua; in Socrate ſapiens; in Homero diſerta. Eademque paupertas populo Rom. imperium à primordio fundavit: proque eo Diis immortalibus ſimpulo & catino ſacrificabant: ut ait Appuleius Orat. 1. Auguſtinus ſuper Pſ. 76. Omnis philoſophiæ magiſtra nobis eſt inopia.

A ſimili. Quemadmodum vinum (ut proverbio dicitur) ſenem vel nolentem ſaltare compellit: ita nihil tam ineptum, nihil tam à virtutibus omnibus alienum eſt, ad quod non incitet, atque pelliciat divitiarum affluentia atque luxus. Et quemadmodum divitiarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus eſt referta: ſic paupertatis horridior aſpectus, ſolidis & certis bonis abundat; ut ait Valerius Maximus. Et quemadmodum Campana luxuria, invictum armis Annibalem illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit: ita Romanæ paupertatis frugalitas peperit victoriam. Archeſilaus paupertatem comparabat Ithacæ, patriæ Ulyſſis; quod juxta Homerum aſpera quidem eſſet, ſed bona κουροτρόφος, id eſt, juvenum altrix, dum eos conſuefacit frugaliter & continenter vivere, & ad omnem virtutis functionem exercet eos.

Ab exemplo. Reſpice divitem illum in Euangelio, qui pretioſis quotidie veſtibus induebatur, ſplen-

dideque

dideque vivens, genio indulgebat. Cui quid aliud perniciem attulit, quàm divitiæ? Et quid aliud perdito illi filio peccandi præbuit occasionem? Quid Judæ Christum prodendi, nisi vis pecuniæ, atque iniquitatis Mammona?

Hinc ille Eutrapelus, cuicunque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim jam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia, & spes;
Dormiet in lucem, scorto postponet honestum
Officium. ut ait Horat. 1. Epist.

Rectè Crates ille Thebanus, qui cùm ad philosophandum Athenas proficisceretur, magnum auri pondus in mare projecit, inquiens: Se non posse virtutes & divitias simul possidere. Hinc Moses natu grandior noluit vocari filius filiæ Pharaonis, potiùs eligens paupertatem pati, & simul affici malis cum populo Dei, quàm temporariis peccati commodis frui, majores arbitratus divitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Hebr. 11.

Sapienter in Epistola Seneca: Aude, inquit, hospes, contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. Non alius Deo dignus est, quàm qui opes contemserit. Et in Euangelio Christus ipse testatur, Camelum faciliùs transire per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Proinde S. Bernardus in Sermone de omnibus sanctis: Vis (inquit) obtinere cœlum? Paupertatis utilitatem complectere: Regnum cœlorum est pauperum. Beatus, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amissa cruciant. *A testimonio.*

Epilogus. Quapropter, cùm paupertas multorum causa sit bonorum; divitiæ autem complurium fons & origo malorum: quid aliud restabit, quàm ut illam laudibus evehendo amplectamur; has autem elevando flocci faciamus?

ALIUD SENTENTIÆ *exemplum.*

ARGUMENTUM.

Κοιμώμενος οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος.

Hoc est,

Nemo dormiens ullâ re dignus.

Exordium à laude. Divinis ingenii frugibus abundans Plato, eò usque fuit in eloquentia progressus, ut si ipse Jupiter cælo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundiâ fuisset usurus. Tantam enim vim, tantamque copiam undique collegerat, ut invicem per totum terrarum orbem dispergi atque dilatari possit, ut ait Valérius, lib. 8. cap. 7. Multa autem præclara protulit, è quibus illud, quod in legibus scriptum reliquit: *Nemo dormiens ullâ re dignus.*

Ab expositione. Quo somnolentos reprehendebat, & ad virtutis fructum nunquam perventuros adfirmabat eos, qui non per studia, atque labores, dextrum illum virtutis arduum & difficilem callem ingressi fuissent, sed in lato atque molli voluptatis hærentes, vitam desidiosam exegissent.

A causa. Etenim; Φεύγων μύλον, ἄλφιτα φεύγει.

Qui fugit molam, fugit farinam.

Qui refugit industriam, non fruetur emolumentis. Nullus tibi continget honor, nisi tuam

tuam adjunxeris industriam. Bonarum literarum studia sequitur gloria; ignaviam autem contemtus, & inopia. Cum igitur, quæ pulchra sunt, difficilia sint; qui nucleum (ut aiunt) esse vult, nucem frangat oportet.

Optimum, aiunt, opsonium senectuti laborem esse. Laborandum enim est in juventa, quo senectuti suppetat commodiùs vivendi facultas. Porrò non iniquè comparatum est, ut desides & veternosi juvenes in summam ignominiam atque paupertatem incurrant: honestis autem studiis intenti, & industrii, consequantur auctoritatem, gloriam, atque divitias. Hæc virtutis sunt præmia; illa detestabilis ignaviæ stipendia. *A contrario.*

Quemadmodum, qui in certaminibus Olympicis non pugnassent fortiter, nullis afficiebantur honoribus; Et agricolæ otio torpentes, & arva relinquentes inculta, nihil præter zizania consequuntur: ita desides adolescentes ad gloriam nullam evecti, bonis omnibus destituuntur. Etenim si quis apes, quòd sint aculeatæ, nolit perpeti; is nec melle quidem, quod optat, fruetur. *Ab simili.*

Aristotelem considera, qui, si torpuisset otio, ad excelsum illud eruditionis & honoris culmen non fuisset evectus. *Ab exemplo.*

Contemplare Phanii filium Cleanthem, qui summâ pressus inopiâ, noctu hausit in hortis aquam, ut interdiu studiis liberalibus operam impenderet. Unde φρεάντλης appellatus, hoc est, puteos exhauriens, secundùm Diogenem Laërtium, lib. 7. Item Euclidem respice: Qui summo literarum amore flagrans, nullos subterfugiebat labores; imò grave periculum subibat, ut tempore no- *Cleanthes.* *Euclides.*

ćturno Socratem audiret. Vide Gellium, lib. 6. cap. 10.

A testimonio. Sapienter Græci: Θεοὶ τ' ἀγαθὰ πόνοις πωλοῦνται. id eſt, Dii ſua munera laboribus vendunt: quo docent, ſudore perveniendum eſſe ad gloriam.

Quiſquis enim duros caſus, virtutis amore,
Hauſerit; ille ſibi laudemque decuſque parabit:
At qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incautâ mente labores,
Turpis, inopſque ſimul, miſerabile tranſiget ævum.

Epilogus. Rectè igitur Plato cenſuit: Nulla munera deſidioſis deberi; gloriam autem atque virtutis præmia ſtudioſis eſſe parata.

ALIVD SENTENTIÆ *exemplum.*

ARGVMENTVM.

Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.

Exordium à laude. Tiberius Cæſar meritâ laude celebrandus eſſet, ſi, quam bene cœpit, vitam bene transegiſſet. Qui, Diogene Grammatico, ac Theodoro Gadareo Rhetore, præceptoribus uſus, in doctum virum evaſit. Unde principatûs ſui initio miram prudentiam præ ſe ferebat. Et procul dubio feliciter regnaſſet, ſi non eum vivendi licentia, nec (quæ hominum teterrima peſtis eſt) voluptas transverſum egiſſet. Ad quem ſcopulum priuſquam feciſſet naufragium, principe digniſſimam protulit ſententiam.

Ab ex- Qua monuit, pecunias à ſubditis ita exigendas

gendas esse, ut relinquatur sors, unde res possit crescere. Damnat δημοβόρους, qui purpurati omnia convertunt in fiscum suum; & quocunque se conferunt, abradunt ita, atque spoliant, ut cum carne pellem detractam dicas.

positione & à causa.

Etenim boni pastores ita tondent, ut lana detonsa possit renasci. At qui deglubunt, nihil reliqui faciunt. Quos expilatores crudelissimos non injuriâ homicidas vocare possis. Juxta illud Eccles. 34. Panis egentium, vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

Expilator homicida est.

Necare is dicitur, qui alimenta aufert.

Pauperibus omnes facultates eripere, facinus est omnium teterrimum; at subditorum fortunas augere, præclarissimum. unde Artaxerxes, Xerxis filius, solitus fuit dicere: Regalius esse addere, quàm adimere. Sentiens, principe dignius, honorem & opes eorum, quibus imperat, exaugere, quàm minuere. Et Ptolemæus Lagi filius, regalius esse dicebat ditare, quàm divitem esse.

Boni enim principis interest, quàm locupletissimos habere subditos.

Ut arbores frugiferæ, quarum radices evulserunt agricolæ, nullos poterunt ampliùs producere fructus: sic crescere non possunt populi, qui divitum pascua vocantur, quorum oppressorum facultates Tyranni funditus exhauserunt, atque abstulerunt.

A contrario.

A simili.

Exemplo sint miserabiles Christianorum populi, quos in suam potestatem redegit Turca, quos expilat, & funestat ita, ut omnis recuperandarum virium spes sit ablata. Et Locrensium opes sic attriverat olim Q. Plemminius, ut de omnibus eorum facultatibus penè actum fuisset, nisi imma-

Ab exemplo.

niter adflictis Romana succurrisset justitia.

A testimonio. Eandem Tiberii sententiam aliis verbis Alexander ille Macedonum rex, cognomento Magnus, proferens inquit:

Κηπωρὸν μισῶ, ὃ ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα.

hoc est,

Olitorem odi, qui radicitus excidit herbas, ac arbores ab ima stirpe revellit. Qua tyrannidis arguit eos, qui longè plus vectigalium, quam subditorum fortunæ queant ferre, solent à civitatibus inclementer extorquere: quam impiam rapiendi cupiditatem Diogenes appellat omnium malorum arcem.

Epilogus. Meritis igitur laudibus dignam principe Tiberii sententiam celebrandam esse confirmabunt, qui perpenderint, iniquissimas exactiones esse, quibus ita plebis vires exhauriuntur, ut ad se redire non possint.

ALIVD SENTENTIÆ *tractatæ exemplum.*

ARGVMENTVM.

E squilla non nascitur rosa, nec hyacinthus.

Ab auctoris laude. Tanta semper fuit Theognidis & doctrina & auctoritas, ut ejus scripta velut oraculi vicem obtinuerint apud omnes, cùm nihil protulerit, nisi quod splendidissimum ac verissimum esset.

Ab explicatione. Ejus in primis sententia præclara circumfertur, qua prudenter edocuit, è squilla rosam non enasci; è tribulis ficum; é sentibus uvam; ab ancillis filios liberos; ex improbis parentibus probos filios; è præceptoribus indo-

indoctis eruditos discipulos, non productum iri.

Etenim, quod in se nihil prorsum habet nisi sordidum ac ignominiosum, nihil dignitatis vel honestatis proferre potest. Quippe κακῦ κόρακος κακὸν ὠόν. *Mali corvi malum ovum.* *A causa.*

Constat, ab herbis salubribus salubria germina; ab arboribus bonis bonos fructus exspectari. Item à virtute præditis majoribus honestam sobolem: at nunquam ex arboribus malis bonos fructus; & nunquam ex malo patre (juxta proverbium) bonum filium procreari. *A contrario.*

Ut aquam ex pumice frustra postulaveris; & ficus è zizaniis: ita probos à vitiosis parentibus liberos incassum exspectaveris. quippe ut nihil aridius pumice; nihilque ad fructus meliores producendos ineptius zizaniis: ita malitiosi parentes minus idonei sunt ad conferendam liberis virtutem, quâ carent ipsi. *A simili.*

—— Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ.
Illi eadem sumtis quærunt alimonia pennis.
ut ait Juvenalis.

Respice Lucium Tarquinium Lucumonem, qui urbe Tarquiniis profugus, Romam petiit, ubi pecuniis dignitatem, & industriâ sceleratâ Regis Anci familiaritatem consecutus erat: à quo tutor liberis relictus, regnum iniquis rationibus intercepit, omnes finitimos miseris modis afflixit, & potentes XII. Tusciæ populos innumeris cladibus attrivit. Cujus pessimi Regis pessimus filius erat, ut moribus Superbi cognomen meruerit: qui Servium Tullium socerum suum in *Ab exemplo Tarquinii. Livius decad. 1. lib. 1.*

Curiam properantem gradibus dejecit, ac domum refugientem interfecit: mox regnum, patris exemplum imitatus, sceleste occupavit. Hujus item filius, Sextus Tarquinius, ut corpore patrem iniquum, ita pectore vitiis omnibus corruptissimo retulit: qui Gabios prodidit, & jure propinquitatis in Collatini domum receptus, in cubiculum Lucretiæ irrupit, ac pudicitiam expugnavit. Breviter, Tarquiniorum progenies per malitiam à majoribus, velut per manus, traditam, eò processit, ut profligata fuerit, & velut aurum (quod aiunt) Tolosanum funditus interierit. De qua re vide Aug. lib. 3. de Civi. cap. 10. Quibus rationibus commotus Euripides ait:

A testimonio.

Φεῦ, φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει,
Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.

Id est,

Heu, heu, ut illud dictitant rectè, probum
Patre improbo non posse nasci filium!

Et Horatius 4. Odarum 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Epilogus.

Bono igitur jure laudandus est Theognis, qui protulit eam sententiam, qua ut nihil elegantius, ita nihil verius queat inveniri.

DE DESTRVCTIONE, sive subversione, quæ ἀνασκευή.

CAPVT. V.

Destructio. Subver-

D*Estructio, vel Subversio, est proposita alicujus rei reprehensio. Subvertenda verò neque manifesta valdè, neque prorsus incredibi-*

dibilia; sed ea, quæ velut mediæ sunt conditionis.

Oportet autem, cùm subvertere aliquid voles, primùm eos reprehendere, qui dixerunt: deinde subjicere rei expositionem: postea, ipsum subvertere, capitibus hisce:

Obscuro,
Incredibili,
Impossibili,
Inconsequenti,
Indecoro,
Inutili.

Hoc autem præexercitamentum omnem propemodum artis vim in se complectitur. Exempli argumentum erit: Non esse verisimilia, quæ de Daphne dicuntur à poëtis.

Confutatio enim non tantum in fabulosis, & carmine traditis, fieri potest; verum etiam in ipsis annalium monumentis. Quint. l. 2. c. 4.

Exordium à reprehensione.

Poëtarum coarguere ineptiam, absurdum mihi videtur, cùm vel ipsi fidem sibi detrahant his maximè, præter alia, quæ de Diis imprudenter fabulantur. Prorsus enim supervacuum videtur, poëtarum ullam nos habere rationem, qui Deorum, quorum curâ omnia gubernantur, nullam ipsi habeant curam. Et grave quidem videretur, quisquis ab ipsis Deorum in fabulam missus esset: Apollinem verò, quem artis suæ ducem videri volunt, impudentiæ materiam esse, quis erit, qui æquo animo perpeti possit? Libet ergo audire, qualia de Apolline & Daphne confingant.

Ab expositione.

Daphne (inquiunt) ex Terra Ladoneque fluvio procreata est. Hanc ob egregiam speciem, eximiumque oris decorem, Phœbus adamavit, cupiensque Deus restinguere desiderium suum, aspernantem fugientemque secutus est, sed comprehendere nequiit. Verùm Terra mater, assumtâ filiâ, florem eo, quo puella, nomine pro ipsa exhi-

exhibuit, ipsam verò in arbustum vertit; cujus rami propter desiderium puellæ in coronam Pythio tripodi dicati sunt: flos verò in mercedem cessit divinationis. Hujusmodi quidem sunt, quæ illi fabulantur; quæ quàm sit in promptu confutare, hinc facile liquebit.

Ab obscuro & non probabili. *Daphne ex Ladone & Terra procreata est. Quis, oro, tam demens, ut ex his quemquam nasci posse credat? Ipsa homo fuit; illi autem diversam, & suam uterque habebant naturam. Quomodo verò Ladon Terræ conjunctus est? an quòd aquis ipsam inundat? Quin omnes ergò fluvii terræ mariti dicentur; cùm nullus ipsam non aquis suis irriget. Quid si ex fluvio homo nata est; quidni ex homine fluvium quoque nasci posse credimus? Qui minus enim tales ex filiis poterunt gigni, quàm ex qualibus ipsi prodierunt? Iam quo pacto nuptias fluvii, Terræque nominant? Sentientium enim conjugium est. Terra autem, fluviusque, sensus sunt prorsus expertes. Ipsa verò Daphne, utrùm paternum sequuta genus, inter fluvios numeranda est, an pater filiæ homo putandus?*

A difficili. *Verùm esto! concedatur poëtis, natam Daphnen ex Terra & Ladone. Nata ergo puella apud utrum educata est? Vt demus, enim, nasci ita potuisse; ut educaretur, fieri tamen non potuit. Vbi enim versata est puella? Hercule apud eum qui genuit, ecquis ergo hominum vitam in fluvio ducit? Obliviscetur enim naturæ suæ pater citiusque submerget fluctibus, quàm alet. Verùm sub terra apud matrem habitavit. Latebat ergo, nulliusque aspectui in occulto posita patebat: cujus autem latebat decor, nullius animum movere desiderio potuit.*

Ab indecoro. *Vis, & hoc assentiamur poëtis? Quomodo tandem*

dem amavit Deus, & impotenti adfectu à naturâ suâ degeneravit? Amor omnium rerum, quæ humanas solicitant mentes, est pessima. Impium autem videtur gravissima naturæ nostræ Diis quoque attribuere. Nam si omni ex parte nostris teneantur incommodis, qua in re mortalibus præstabunt? Nihil autem malorum esse quod non experiantur, certum erit, si amore, quod omnium pessimum est, torqueantur. Sed neque divina natura hanc ægritudinem capit; neque credibile est, Phœbum adamâsse.

Amor res pessima.

Insequens verò puellam Phœbus, quomodo ea victus est cursu? Deus ab homine? Viri enim mulieribus præstant, & Deum femina superavit? Et, quæ reliquis hominibus par esse non potest, ei Deus cessisse creditur? Qamòbrem autem fugientem puellam mater excepit? An quia malas nuptias putavit? Quomodo ergo ipsa facta est mater? An verò bonas credidit? Cur ergo id bonum filiæ invidit? Aut ergo mater non fuit; aut malam fuisse matrem, constabit.

Ab inconsequenti.

Quid ita verò Terra secum suis ipsa operibus dissensit, offenditque Phœbum, filiam auferens, rursumque reddita, ejusdem nominis arbore ipsum oblectans? Non debebat gratificari illi, si offendere ipsum volebat. Quare demum arbore illa tripodas coronavit? Arbor enim voluptatis fuit merces; divinatio verò virtutis est indicium. Quomodo ergo Deus conjunxit ea, quæ natura repugnant? Cur mortalis quidem amica, immortalis verò amator?

Ab inutili.

Sed finis sit: neque enim plura de Poëtis dicam; ne ipsorum ineptiam longius insectando, in eandem, quam in illis reprehendò, vanitatem videar incidisse.

Peroratio.

SCHO-

SCHOLIA.

Destructio, *&c.* Quam alii nuncupant improbationem; alii confutationem. Quintil. lib. 2. cap. 4. vocat opus destruendi. Idem lib. 5. cap. 12. refutationem. Græci ἀνασκευὴν. quibus σκευάζειν est condere, componere, struere; ἀνασκευάζειν, destruere, labefactare.

Subvertenda verò, *&c.* Hoc est, oportet refutationes de illis rebus fieri, quæ ancipitem adhibent opinionem; ut ait Priscianus. Non enim, quæ planissimè falsa sunt vel vera, refutanda sunt. Quales sunt Æsopicæ fabulæ, vel historiæ indubitabiles. Ut si volueris refutare, bruta animalia atque bestias more hominum aliquando fuisse locutas. Vel anno præterito flammis absumtam Hadamariam.

Mediæ conditionis, *&c.* Hoc est, quæ medium servant ordinem, de quibus in utramque partem oratio poterit institui. Ut si confutes, Antipodas esse. Arionem Delphino vectum. Annibalis exercitum humanas carnes edisse.

Obscuro, *&c.* Ab incerto Priscianus ait. Ut; Incertum est tempus, quo vixerit Narcissus. Non manifestum est, quot annulos post clàdem Cannensem Annibal Carthaginem miserit. Non constat, ubi cervi abjiciant cornua.

Incredibili, *&c.* Ut; Incredibile est, Arionem malis adfectum voluisse canere. Supra fidem est, Daphnen à flumine Ladone procreatam; aut Nioben in saxa conversam.

Impossibile, *&c.* Ut, Impossibile erat, Arionem à delphino servari. Impossibile erat, Sten-

Stentora quinquaginta alios ſermone æquaſſe, ſonituque.

Non cohærente, &c. Ab inconſequente, ſecundūm Priſcianum. Quod & contrarium appellat. Ut; Contrarium erat, noluiſſe perdere libertatem eum, qui eam ſervaſſet.

Indecoro, &c. Hoc eſt, ab indecente. Ut: Indecens erat, Apollinem, cum ſit Deus, libidinoſum voluiſſe virgini vim inferre. Non decuiſſet imperatoriam Scipionis dignitatem, pulcherrimis (quas expugnatâ novâ Carthagine cepit) virginibus ſtuprum inferre: honeſtius erat, injuriæ muliebri obnoxias intactas cuſtodire.

Inutili, &c. Hunc locum Priſcianus ab incommodo vocat, cum dicimus, rem ineptiſſimam eſſe, quæ nulli vel uſui, vel honori, futura ſit. ut, Otia ſunt abroganda, unde nulla commoditas, vel laus vera promanat.

Artis vim, &c. Etenim inſtrumentis omnibus Rhetoricis opus habet, cùm tota ſpes vincendi, ratioque perſuadendi poſita ſit in confirmatione atque confutatione. Nam ſi adjumenta noſtra expoſuerimus, contraria autem diſſolverimus, abſolutè nimirum munus oratorium confecerimus; ut ait Cicero.

Coarguere ineptiam, &c. Duplicem hujus declamationis formulam nobis proponit. Prioris eſt ſententia: Abſurdum eſſet ineptias poëtarum reprehendere, aut vatibus contradicere, niſi ipſi in cauſa eſſent, falſaque confingendo nos adverſum ſe concitarent. Alterius: Stultum eſſet, poëtis parcere; cùm ipſi Diis immortalibus non parcant, ſed in deos omnes, maximeque artis ſuæ poëticæ præſidem Apollinem, debacchentur.

Apolli-

Apollinem, &c. Hic Musarum princeps, & dux est. Unde μουσηγέτην appellant, autore Macrobio, libro primo, de Somnio Scipionis, cap. 3. Idem 1. Saturn. cap. 17. vocatum ait ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, id est, à jactu radiorum. Eundem Phœbum, ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, quod vi feratur. Tortellius derivat à lumine vel nitore, ἀπὸ τοῦ φωτός.

Daphne, &c. Hanc Aphthonius ait filiam esse Ladonis, qui fluvius lauris circumseptus est in Arcadia. Ovid. autem 1. Metamorph. tradit, filiam Penei. Unde Peneiam, ac Peneida vocat: est autem Peneus Thessaliæ fluvius, inter Ossam & Olympum decurrens, apud quem est locus amœnissimus, qui Tempe dicitur. Unde Virgil. ait 4. Georgic. Fugiens Peneïa Tempe. Ovid. 1. Metamorphos. Est nemus Æmoniæ, prærupta quod undique claudit Sylva; vocant Tempe; per quæ Peneus, & c. Fertur autem duas habuisse filias, Cyrenen & Daphnen. Vide Bocatium, lib. 7. cap. 29. Porrò poëtæ finxerunt, Daphnen è Ladone procreatam; quòd lauri, & arbores proveniant nascanturque de fluvialibus undis.

Item auctore Fulgentio, laurum Apollini dedicarunt; quoniam si eam dormientibus ad caput posueris, vera somnia videbunt.

Pythio, &c. Pythòn, vel Phyton, horrendæ magnitudinis è terra calescente post Deucalionis diluvium procreatus serpens, quem Phœbus interemit; unde Pythius est appellatus. Et in honorem ejus ludi instituti, Pythia dicti. Ovid. 1 Metamorph.

Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia, perdomitæ serpentis nomine dictos.

Sunt

Sunt, qui ſic dictum aſſerant ἀπὸ τοῦ πυθάνεσθαι. At Macrob. 1. Satur. cap. 17. à πύθω, hoc eſt, σήπω, trahit; quod nunquam ſine vi aliqua caloris efficitur putredo.

Tripodi, &c. Tripodes, à tribus pedibus dicti fuerunt, auctore Servio ſuper 4. Æneid. menſæ in Appollinis Delphici templo: quibus ſuperpoſitæ Phœbades vaticinabantur, vel ex quibus reſponſa dabantur. Dicebantur etiam *Cortina*. Virg. in 6. Neque te Phœbi Cortina fefellit. Fuerunt autem duo ſummæ fidei oracula, Delphica & Pythia. Vide Eraſmum, in proverbio: *Ex tripode*.

Iam quo pacto, &c. Non probabile eſt, inquit, nuptias factas eſſe inter res inanimatas, cùm hymenæus eorum ſit qui ſenſus habeant. Præterea cùm in dubio ſit, an inter fluvios filia Daphne, an Ladon pater inter homines recenſendus.

Amor res peſſima, &c. Unde Euripides, Βροτοῖς ἔρωτες ὡς κακὸν μέγα! Mortalibus amores quàm magnum malum! Qui bonis hominibus non conveniunt, nedum Apollini Deo. Rectè apud Diogen. Laërt. Zeno: Amor eſt, inquit, concupiſcentia quædam, in præſtanti ingenio viros non cadens.

Viri mulieribus præſtant, &c. Υ'περέχουσι. viri ſuperant, vincunt feminas. Etenim feminæ debiliores ſunt maribus, quia frigidioris naturæ, ut de animalibus ait Ariſtoteles.

REFUTATIONIS EXEMPLUM.

ARGVMENTVM.

Falſum eſſe, quod Herodotus lib. 1. ſcripſit ſuper Arione fidicine. De quo vide Gell. lib. 16. cap. 12. Ovid. 2. Faſt. *Arion vectus à Delphi-*

Primam no.

Exordium à reprehensione. Est enim lumen veritatis historia.

Primam historiæ legem Cicero tradit esse, ut vera sit, nec admisceat aliquid falsi: quam Græci non servando, sed creditu indigna turpiter confingendo, fecerunt, ut fidem amiserint, & Græcia mendax credatur, & Herodoti scripta, vana, atque mendaciis consuta; maximè ea, quæ super Arione prodita circumferuntur.

Ab expositione.

Arion, inquit, citharœdus grandi pecuniâ & re bonâ multâ copiosus, Corinthum ex Siciliâ & Italiâ constituit redire. Nautas igitur Corinthios delegit, qui prædæ pecuniæque cupidi ceperunt consilium de necando Arione. Hic pernicie intellectâ, pecuniam insidiatores haberent, vitam darent, oravit. Atqui nautæ imperarunt, ut jam statim coram desiliret præceps in mare. Homo ibi territus, spe omni vitæ perditâ, id unum rogavit, ut priusquam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi vestimenta, & fides capere, & canere carmen casûs illius sibi consolabile. Quod oraverat, impetrat; atque ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansque in summæ puppis foro, carmen, quod ὄρθιον dicunt, voce sublatissimâ cantavit. Ad quod delphinum inter undas adnavisse, & dorso super fluctus edito Arionem vectavisse, incolumique eum corpore, cum cithara atque vestimentis illæsis, Tænarum in terram Laconicam devexisse, confirmat Herodotus.

Ab obscuro.

Ecquis asserat, conspicuum atque planum esse, Arionem in mare præcipitatum fidibus cecinisse, ipsum fluctibus non obrutum, nec citharam humoris impatientem aspergine marinâ corruptam, neque vestes à procellis absorptas, sed omnia integra, ipsumque citharœ-

tharœdum salvum evasisse, beneficio marinæ belluæ?

Ab Arione fidicine magnam pecuniæ vim collectam admitto, licet id ipsum multis difficillimum creditu, cùm, juxta proverbium, bonus cantor, bonus cupediarius, promusque magis quàm condus. At quis, oro, tam demens, ut persuasum habeat, fidicinem in tanta calamitate, & in tantis vitæ periculis constitutum se ornare, & canere potuisse? Porrò quemadmodum nemini fidem feceris, Priamum in filiorum funeribus plausisse, & Nioben in tanto natorum luctu saltavisse: sic nemo crediderit, hominem in extremâ necessitate, capitisque periculo, fidibus delectatum, cecinisse carmen non vulgare, rebus scilicet requirentibus habitum potius lugubrem, aut Musam, quam vocant Caricam. *Ab incredibili.*

Verùm esto! concedatur illum potuisse canere, & delphinum musicâ demulsum: sed cùm sit omnium non solùm marinorum animalium velocissimus delphinus, ocior volucre, & telo acrior, juxta Plinii sententiam, quomodo ejusdem dorso potuit Arion pendere; ubi si commoda etiam fuissent retinacula, iis tamen fidibus intentæ manus uti non potuissent? Sed esto! non sit excussus: at quomodo vortices perferre potuit, & semper æstuantis, furentisque maris impetus, æquoreosque turbines atque procellas; quæ remos frangere, proras avertere, & maximas naves devorare solent, atque submergere? *Ab impossibili.*

Quid ab historico magis alienum quàm ista mendacia confingere? Quid minùs convenerit humanæ naturæ, quàm in summo rerum asperrimarum periculo canere? Quid in trucu- *Ab indecoro.*

truculentarum belluarum ad feritatem natarum naturam minùs quadraverit, quàm eas nativâ rabie depositâ mansuescere, placidorumque equorum officiis fungi, mariaque superequitantem hominem dorso portare?

A contrario. Calamitatis dolor est comes, atque luctus; prosperioris fortunæ cantus & lætitia: sed quomodo in summum vitæ discrimen adductus Arion, lætitiæ vestimenta potuit induere; musicisque cantilenis indulgere? At idem, in mare præcipitatus, quomodo emersit? quomodo marinis humoribus perfusus, & horrore perculsus, fides, quas inutiles aqua reddit, tractavit? quomodo societatis humanæ atque rationis expers delphinus, equum domitum imitatus, citharœdum velut equitem vexit, & monstrator itineris in portum, quem optavit homo, deduxit?

Ab inutili. Quorsum ista tam absurda commenta, & inutilia vel auditu vel relatu figmenta, unde nulla morum cultura, nulla item ingeniorum commoditas promanat?

Epilogus. Finem modò faciam, ne in Herodotum invectus, calumniari videar, & prolixis verborum ambagibus usus, molestiis afficiam eos, qui credulitatis vitio non laborantes, noverunt mera deliramenta esse, quæ de Arionis fabulâ memoriæ sunt prodita.

ALIUD REFUTATIONIS *exemplum.*

ARGVMENTVM.

Vanum esse, Elpenora mutatum fuisse in porcum.

Exordium. Ut fabulæ Poëtarum honestæ, delectandi gratiâ,

gratiâ, vel docendi causâ conscriptæ, laudem merentur: sic absurda, quorum nullus est usus, mendacia, carbone notanda, minimeque sunt ferenda: cujus farinæ sunt ea, quæ finxerunt de Elpenore: quem sociorum Vlyssis unum fuisse perhibent, & à venefica Circe, Solis ac Persæ filiâ, mutatum in porcum, atque ex homine per pocula bestiam quadrupedem factum: juxta illud Juvenal. Satyr. 14. Cum remigibus grunnisse Elpenora porcis. *Circes*, inquit Horatius, *pocula nosti*; *Circes fabulam explicat apud Xenophontem, primo memorab., Socrates.*

Quæ si (Vlysses) cum sociis stultus, cupidusque bibisset,
Sub dominâ meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Quod figmentum nemo, præditus etiam Atticâ eloquentiâ, perspicuum, aut planum fecerit homini rationis compoti. Obscurior enim res est, quàm ut ullâ dicendi facultate queat illustrari, & intellectu tam difficilis, ut ne Apollo quidem (ut proverbio dicunt) intelligat. *Ab expositione. Ab obscuro.*

Quis tanto crudelitatis vitio laboraverit, cui verum esse videatur, hominem in porcum transformari potuisse? idque per feminam, quæ ut viris infirmior est, ac ineptior, ita minùs idonea ad capessendas atque sibi vendicandas divinæ virtutis artes; quibus tanta miraculorum spectacula solent exhiberi, & virgulâ (ut aiunt) divinâ suppeditari? *Ab incredibili.*

Ecquâ ratione vel efficaciâ fieri potuit, ut humana facies in setosum porci caput transformaretur, manus cum digitis in pedes bisulcos transirent, & breviter in animal deforme, terram semper spectans ac fodiens, converteretur homo? *Ab impossibili.*

Cui Deus os sublime dedit, cœlumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Ab indecenti. Non decuisset Circen id attentare, vel sibi potenter arrogare, quod solius divinæ virtutis est opificium. Ad hæc indecens admodum fuisset, humani corporis figuram, ad Dei similitudinem factam, in porcina membra convertere, naturamque, ratione divinâ præditam, sordidissimâ pecoris carne dehonestare.

Ab incohærenti. Veneficiis potens Circe fuerit; esto! Sed quomodo à trivenefica porrectum, quod haustum in stomachum trajici, deinde in visceribus absumi, atque confici solet poculum, potuit totum Elpenoris corpus immutare? Quis unquam audivit, sumta pocula secutas fuisse corporum transeuntium in alia transformationes, & non potius, pristinâ membrorum figurâ permanente, sanitatem, vel adversam valetudinem, concomitatam?

Ab inutili. Quæ malè feriatorum hominum deliramenta cùm nihil bonæ frugis adferant; miror, quid Herodotum juverit ista confingere, quid item vates impulerit scriptis suis rata facere atque committere: ut verum perduret proverbium:

Πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.

Multa mentiuntur poëtæ. quibus

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas;

ut Horatius ait.

Conclusio. Desinam plura de rebus vanissimis verba facere; ne diutiùs in iis immorato mihi aliqua vaniloquentiæ nota possit inuri.

ALIUD

ALIUD REFVTATONIS *exemplum.*

ARGVMENTVM.

Quòd vana ſint, quæ jactant Barbari de Hieronymo, ob libros Ethnicorum, in primis Ciceronis, lectos, flagris cæſo.

Politiorum literarum hoſtes Ceritæ (quod aiunt) cerâ digni ſunt; quod lapidem moveant omnem, ut ſtudioſos à bonis literis retrahant. Etenim multa comminiſcuntur, ut bonos in erroris tenebras ſecum abducant. Sed videamus, quænam inter cætera, quorum infinitus eſt numerus, phantaſmata confingant,

Ac immenſa cavi ſpirent mendacia folles.

Divus Hieronymus, inquiunt, cum ſingulari diſciplinarum ſtudio flagrans, Ethnicos ſcriptores, in primis Ciceronem, lectitaret, nec profani ſtudii finem faceret, per ſomnium ad Dei tribunal raptus eſt; ubi accuſatus ad flagra damnatus fuit; ut documento eſſet, libros Ethnicorum non eſſe legendos. *Ab expoſitione.*

Quod hominum à Muſis alienorum figmentum à veritate remotiſſimum, Cimmeriisque (ut aiunt) tenebris obvolutum eſt. Etenim, cui poterit apertum atque clarum videri, hominem mortalem, non modò ſomno, ſed etiam carne & oſſibus gravatum, in cœlos rapi, in conſpectum Dei produci, atque ibi ad majeſtatis ſummæ tribunal virgis cædi, propter lectos cum judicio libros Ethnicorum? A quorum ſtudiis nemo bonus unquam, nemoque pius, abhorrere ſolitus, ſed potiùs omnia probare, quodq; bonum eſt, tenere. Quomodo manifeſtum ergo fuerit, virum ſanctum vapulâſſe, *Ab obſcuro.*

 lâſſe,

lâsse, quod velut è luto gemmas, hoc est, quod in Ethnicorum libris optimum erat, collegerit, ac inde libris suis plurimum conciliarit lepôris, atque dignitatis?

Ab incredibili. Ultra fidem est, singulari sanctimoniâ virum conspicuum, è lectulo suo raptum in cœlos, ut flagris cæderetur: deinde virgis percussum, in terras relatum fuisse. Quod si verè contigisset, procul dubio semper à poëtarum lectionibus, post datam tergo pœnam abstinuisset. At id ipsum minimè fecisse, ejus scripta testantur. Sed per somnium fuit accusatus, per somnium damnatus, atque cæsus. Per somnium igitur res debet credi, quæ meræ verborum umbræ sunt.

Ab impossibili. Quomodo carnalis homo super æthera ferri; quomodo imbecillitas humana præfulgidos cœlestis splendoris atque flammarum radios perpeti, fulgurantesque terribilis judicis vultus sustinere potuit? Sed esto, potuerit id tolerare! Quomodo autem dormiens, nihilque sentiens, verbera potuit sentire? Quomodo se tantâ formidine perculsum, & in pericula conjectum fuisse recordans, ad Ethnicorum libros redire?

Ab indecoro. Omnium pessimi sunt homines, qui nobis fingunt, Deum illorum tortorem esse, quos è libris Ethnicorum, quod habetur inibi salutare, non piget excerpere, & in utilitatem piorum memoriæ prodere: illis interim parcentem, qui segnes & ignavi bonas omnes disciplinas, quæ Dei Opt. Max. sunt munera, contemnunt, pravâque suâ & vivendi consuetudine, & docendi ratione bonos offendunt, atque secum trahunt in perniciem. Et viro sancto parum convenerat, auctorum profano-

rum

rum ſcripta legere, ſi cognoverat, ea ſacris literis incommodare, aut legentibus nihil utilitatis ſuppeditare. Eſto! ſint in iis nonnulla prava dogmata: decuerit mala præterire, & aures obturare, quàm omnia ex æquo damnare.

Scripſit quidem D. Hieronymus, ob lectos Ciceronis libros ſe flagra paſſum, ſed puellæ teneriori, quam à nimio poëtices ſtudio volebat retrahere, ſcripſit, per ſomnium accidiſſe. Quis inde, precor, colligendum juraverit, eloquentiſſimos Ethnicorum libros non eſſe legendos? Quod per ſomnium, quo rem actam intelligunt, pii credituri ſunt, vel ut Græci dicunt, οὐδ' ὄναρ. Quo antiquo proverbio ſignificarunt, id quod nullâ ratione, nullo tempore audeas ſperare. *A repugnanti.*

Sed quæ ſuis hiſce mendaciis turpiſſimis commoda nobis adferunt bonarum literarum hoſtes? Commoda non videmus; experimur autem incommoda. Etenim dum omnes ſui ſimiles, hoc eſt, indoctiſſimos cupiunt habere, talibus terriculis juventutem à literis ſincerioribus avocant; ut ſimiles habeant labra lactucas. Ita grandiores hi facti, nulli vel rebus privatis, vel publicis, uſui poterunt eſſe.

Faceſſant igitur elegantiorum literarum oſores, ac deſinant per vaniſſimas de D. Hieronymo confictas nugas, juventutem ab Ethnicorum utiliſſimis, & mores, & ingenia formantibus, ſcriptis deterrere.

PETRUS MOSELLANUS *copiosiùs & elegantiùs tractavit; cujus verba non piguit adscribere.*

ARGUMENTUM.

Si unquam hoc dubium fuit, hoc vitii mortalium mentibus naturâ insitum esse, ut quantum quisque vel ipse jam sit assequutus, vel post se assequi posse speret, tantum probet, & nihil nisi quod ipse facit, rectum putet: nunc certè dubium esse desinet, posteaquàm exsistunt, qui, quoniam ipsi optimos quosque scriptores aut non legunt, aut, si legunt, non intelligunt, alios quoque ab eorum lectione deterrent: & qui errorem suum veris rationibus persuadere nequeunt, muliercularum more, effictas superstitiosorum exemplorum minas confingunt. Nam quis desidiosissimis istis desidiæ patronis credet, propterea D. Hieronymum, ut divinarum ita humanarum literarum peritissimum, quòd Ethnicorum scripta legerit, cœlestis judicii sententiâ condemnatum, de tergo satisfecisse? Operæ prètium autem est, quibus verbis bellam hanc suam (scilicet!) historiam narrent, exponere. Nam si veri quid haberet res, longè aliam faciem narratio ipsa haberet. Nam qui bene natos adolescentes hac fabulâ ab honestissimarum rerum studiis abducere conantur, quanquam mendaci veritatis tectorio abducere se posse profitentur, (sophistæ enim & sunt, & appellantur) tamen infelici adeò sunt ingenio, ut cautè mentiri, & fictionem celare non possint. Sic enim aiunt: S. Hieronymus, cùm singulari quodam liberalium disciplinarum omnium

omnium studio flagraret, non satis habuit Philosophiam & Theologiam didicisse; insuper curiositate quadam provectus, Ethnicos scriptores, & in primis Ciceronem, subinde legit. Placebant enim ei pulcra verba, quibus Paganus ille in suis libris frequenter est usus. Connivebat ad hæc aliquandiu Deus: sed, cùm finem non faceret inutilis studii, per somnium ad Dei tribunal accersitus, de Ciceroniana lectione accusatur. Quid multis? Damnatus est ad flagra. Quibus multum diuque cæsus, satis docuit, non esse legendos libros Ethnicorum, præcipuè Ciceronis. Hæc est illa terrifica historia, quam ubique adversum bonarum literarum studiosos decantant. Nam ut indocti medici uno collyrio omnium oculos sanant: ita miseri isti unum hoc habent, quo inscitiæ suæ patrocinantur. Sed nunc quantum efficiant, videamus. S. Hieronymus (inquiunt) singulari quodam liberalium artium studio flagravit. Quid ego audio? Sanctus erat Hieronymus, & tamen liberalium artium studio flagrabat? Sancti sanctè omnia & faciunt, & dicunt. Vos verò hoc nomine in jus vocatum jactatis, quòd liberales disciplinas avidiùs legendo sit sectatus. Aut ergo sanctus non erit Hieronymus; & disciplinæ liberales erunt fugiendæ; aut, si sanctus est Hieronymus, sanctum erit & liberales artes tractare. At quis est tam impudens, ut Hieronymo sanctitatis gloriam detrahat? Nisi fortasse dicitis, tum eum sanctum non fuisse, cùm profanos auctores legeret. Dicite ergo mihi ullum tempus, quo à profanis literis in totum abhorruerit. An est aliquis liber, aliqua epistola, aliquis commentarius ejus

 scri-

ſcriptoris, in quo non profana ſacris adjunxerit? Quod ſi in ſcribendo ad profanos auctores ſæpe reſpexit, quanto magis in legendo idem hoc feciſſe eum putabimus? Aut ergo ſanctitatis opinionem, quam ille ſibi ſummâ eruditione, ſummâque pietate comparavit, ei detrahetis; aut ſi hoc non audetis, mendacium veſtrum ipſi prodetis. Deinde ſi artes ab Ethnicis potiſſimùm & inventæ, & nobis traditæ, liberales ſunt, flagitium erit eas didiciſſe? Vix me contineo, quin hîc ſophiſtis iſtis inſultem. Hoccine veſter vos docuit Ariſtoteles, liberale quod ſit, hoc idem & flagitium eſſe poſſe? Non virtus eſt liberalitas? O novum acumen! Nam cùm, quod liberale appellant, hoc idem vitioſum eſſe dicant; nonne ex virtute faciunt vitium? Ut cùm vitium omne ſit fugiendum, idem ſit iſtis & liberale & illiberale fugiendum pariter, & expetendum. Vide quàm bellè cohæreant, quamque formalis ſit (ut Gothi iſti loquuntur) hæc narratio: Sed Philoſophia ac Theologia contentus eſſe debebat, ſicut doctor ſanctus & doctor ſubtilis, qui non curaverunt iſtas novitates. Quam tu hîc Philoſophiam mihi ſomnias, egregie Philoſophiæ magiſter? Neque enim credibile eſt, vigilare eos, qui ullam artem liberalem à Philoſophia ſeparant. Miſeri homines non didicere, Philoſophiam non eſſe dictata quædam nuper à neſcio quibus, quæ poſtea & in ſcholis, aliis velut per manus tradidêre, de inventionibus, de formalitatibus, de obligationibus, & ſimilibus nugis, ſed latiùs patere auguſtiſſimæ hujus diſciplinæ fructum. Nam cùm totum Philoſophiæ corpus ex tribus velut

S. Thomas Aquinas: Subtilis, Iohannes Scotus.

velut primariis membris constet: sermonis faculrate, naturalium rerum cognitione, & vitæ instituendæ ratione; singula hæc deinceps plurimas in se complectuntur partes. Etenim in sermone desideramus, vel ut cum rectè loquentium exemplo consentiat, id quod pollicetur Grammatica: vel ut naturam cujusque rei explicet; nunc, quæ obscura sunt, definiendo; nunc, quæ multa & confusa sunt, dividendo, nunc, quid cuique vel consequens vel repugnans sit, colligendo: quam vim Dialecticen vocant, vel, ut propriè, distinctè, ornatè de quavis re propositâ cum quadam audientium admiratione dicamus: quæ facultas propriè est Oratorum. Sed naturæ cognitio latiùs etiam fines suos porrigit, cùm cœlum pariter elementa, atque adeò quæ in elementis sunt omnia, ambitu suos circumscribat. Vitæ verò humanæ moderatio non in hoc est tota, ut quis suos ipsius mores ad virtutis præscriptum formet: sed majus etiam quiddam præstet, nimirum ut primum nos ipsi, vitamque nostram: deinde domûs, familiæque curam: postremò civitatis ac reipub. administrationem recta ratione instituamus. Et cùm ex uno Philosophiæ velut fonte innumerabiles disciplinarum humanarum rivi promanarint: & nullus scriptor, quantumvis Ethnicus, tam sit inanis, ut non scriptione sua in aliquam Philosophiæ partem incurrat, quæ (malum!) insania est, eum qui Ciceronem in omni Philosophiæ parte summâ cum laude versatum, diligenter legat, perinde criminari, ac si Philosophiæ terminos sit egressus? Quodsi Philosophiæ pars est Cicero; & qui Philosophiæ student, vel ve-

Philosophia omnus ex quibus constet.

ſtro judicio, non ſolùm non flagra, ſed præmia merentur: qua, quæſo, fronte fingitis nobis Hieronymum, cui præmium debebatur, cæſum flagris? Neque verò libet hic quicquam exprobrare vel Thomæ Aquinati, vel Ioanni Scoto, quos tantopere venerari cuique per me ſanè licet: illud tantùm dico, me nec ſanctitatem detrahere Thomæ, nec Scoto ſubtilitates invidere: ſed quod additis, non curæ fuiſſe iis novitates, videlicet per novitates Ciceronis lectionem intelligentes: agnoſco Atticam iſtam veſtram eloquentiam, & acumen miror, quòd, quæ annis ſupra mille ſexcentis in eruditorum manibus fuerunt, ea præ nugis veſtris nuper natis exiſtimetis nova. Atque utinam vobis, quibus tantum diſplicent nova, nunquam novus contingat cucullus, nunquam novæ crepidæ; ſed ſemper pannis annisque obſitis, putridi piſces, & antiquata ova ſint cibus! At ſuavius etiam eſt, quòd quo probabilius eſſet mendacium, cauſam lecti Ciceronis adjungunt; quia (inquiunt) placebant ei pulchra verba. Ecce verò alterum ſermonis ſophiſtici florem! Quid autem peccatum eſt, malle pulchra, quàm ſpurca? Video, quorſum tendatis. Hieronymum veſtri ſimilem optatis, hoc eſt, infantem. Deinde ullumne verbum per ſe eſt pulchrum: an potius, ut quodque rei pulcræ vel turpi inditum eſt; ita vel pulcrum vel turpe habetur? Quodſi pulchra ſunt verba, quæ pulchras res velut veſtiunt & ornant; nonne in contrarium res vobis exit, ut quod pro vobis adduxiſtis, hoc maximè vos oppugnet? Iam, ut demus, cauſam hanc aliquid valere, illud quomodo conſiſtet, quod, quæ in

A conſulatu enim Cicer. ad Chriſti natalem anni 61. interceſſere.

in aliis laudat Hieronymus, eorum culpâ ipſe plectatur? Annon idem in epiſtola ad Magnum oratorem & fatetur, ſe profana legere, ſacrisque intertexere, & qui hoc ante ſe fecerant, ſuove etiamnum tempore facerent, eorum exempla non modò non reprehendit, verùm etiam imitanda proponit. Nonne Lactantium hoc nomine miratur, quòd ad Ciceronis eloquentiam cæteris propiùs adſpiraverit? Non Baſilius, ſummus meâ ſententiâ Theologus, nepotibus ſuis adoleſcentibus, quos ad divinæ ſapientiæ perfectionem erudiebat, omne genus profanorum ſcriptorum prudenter legendum ſuaſit? Imo, annon Auguſtinus in futuro Theologo omnium pænè humanarum literarum cognitionem deſiderat? Nonne idem, Ciceronis Hortenſio (ſic enim inſcriptus eſt liber) velut duce, ad ſapientiæ Deo dignæ ſtudium primùm ſe perveniſſe, palàm teſtatur? Et Hieronymum lecti Ciceronis pœnas graves adeò dediſſe, credi vobis adhuc poſtulatis! Illi laudibus attollunt induſtriam eorum, qui ad æternæ ſapientiæ templum ornandum, populi Iſraëlitici exemplo, peregrinas conferunt opes: vobis non ſatis eſt, vos ipſos velut fucos quosdam in alvearium nihil importare; inſuper aliis in hoc genere laborantibus obſtrepitis, & ficti exempli horrorem opponitis. Sed quid ego horum exempla commemoro? Ipſe adeo Paulus, qui Chriſti ſuo ore loquentis periculum miratur, Ethnicorum poëtarum verſibus in Euangelii gloriam abuſus eſt. Quid autem, ſi oſtendam, quod vos impudenter adeo aſſeveratis, hoc ne fieri quidem potuiſſe? Quid ſi hoc ex veſtris ipſorum verbis convincam?

Quid si hoc vestrum commentum ab ipso adeò Hieronymo palàm rideri alicubi comprobem; deinceps ne tale aliquid studiosis hominibus obgannire audebitis? Per somnium vobis Hieronymus accusatur; per somnium damnatur; per somnium cæditur. O novum judicium! In Areopago olim judicia noctu habebantur, sed vigilantibus reis; hic reus cum altum adeò dormiat, ut etiam somniet, ad tribunal protrahitur, accusatur, damnatur, cæditur: & quî fieri potest, ut dormiens causam dicat; ut, omni sentiendi facultate destitutus, flagrorum ictus sentiat? Nonne ipsa somnii vox totum hoc, quod jactatis, somnium, aut si quid somnio vanius est, esse ostendit? Atqui venit in mentem, quo potissimùm nitantur fabulæ illius decantatores. Hieronymus, inquiunt, ipse scribit, tale quid sibi accidisse. Fateor: sed scripsit juvenis, calentibus adhuc in eo Rhetorum studiis, quorum professio est, fictis etiam narrationibus ad suum negotium abuti. Scripsit puellæ, cujus ingenium parum firmum, talibus terriculis ab immodico Ethnicæ lectionis studio absterrere, prudentis erat. Scripsit aptis verbis, aptis figuris, eâ præfatione somnii pariter & febriculæ, ut cauto firmóque lectori commentum ne posset quidem imponere. Scripsit in familiari privatâque epistolâ, stylo ad puellarum infirmitatem accommodata. Alioqui ter periturum facietis Hieronymum. Primum, qui post judicium illud vestrum, quo lectionem Ethnicorum abjuravit, ad libros profanos toties redierit. Deinde, qui aliis ejus generis libros non modò legendos permittat; verùm etiam suadeat. Postremò,
qui

qui in defensione sua multis annis, postea-quam ad Eustochium de somnio hoc scripserat, exactis, Rufino lectionem Ethnicorum pro crimine objicienti responderit, somnium esse quod Eustochio scripserit: somniis autem scripturarum autoritate fidem non habendam. Quid exspectatis amplius? ipse Hieronymus, jam non minus eruditione vitæque sanctimoniâ, quàm ætate provectus, quod juveni, ubi ad Eustochium scribenti exciderit, merum fuisse somnium confitetur. Sed vereor planè, ne sint, quibus prolixa hæc de somnio disputatio quendam tædii somnum adduxerit: tantum abest, ut, ne cui fabulam hanc persuadeam, metuam.

ELEGANTISSIMA M. PORCII
Catonis Consulis ad populum oratio: quâ fœdum Bacchanalium ritum reprehendit.
Ex T. Livio.

Nulli unquam concioni, Quirites, tam non solùm apta, sed etiam necessaria hæc solemnis comprecatio Deorum fuit, quæ vos admoneret, hos esse Deos quos colere, venerari precarique majores vestri instituissent, non illos, qui pravis & externis religionibus captas mentes, velut furialibus stimulis, ad omne scelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar, invenio: si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem: si omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor. Quidquid dixero, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei dictum scitote esse. Ut ad cavendum satis sit, dabitur opera à nobis.

Bacchanalia hæc Sp. Posthumio Albino & Q. Martio Philippo Coss. viguerunt.

Bacchanalia tota jam pridem Italia, & nunc per Urbem, etiam multis locis esse, non famâ modò accepisse vos, sed crepitibus etiam, ululatibusque nocturnis, qui personant totâ urbe, certum habeo. Cæterùm, quæ ea res sit, ignorare: alios Deorum aliquem cultum, alios concessum ludum & lasciviam credere esse, & qualecunque sit, ad paucos pertinere. Quod ad multitudinem eorum attinet: si dixero, multa millia hominum esse, illicò necesse est exterreamini, nisi adjunxero, qui qualesque sint. Primùm igitur mulierum magna pars est, & is fons mali hujusce fuit: deinde simillimi feminis mares stuprati, & constupratores, fanatici vigiles, vino, strepitibus, clamoribusque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires conjuratio, cæterum incrementum ingens virium habet, quod indies plures sunt. Majores vestri, ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causâ exercitus edictus esset, aut plebi consilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocâsset, fortè temerè coire voluerunt: & ubicunque multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse. Quales primùm nocturnos cœtus, deinde promiscuos mulierum ac virorum esse creditis? Si, quibus ætatibus initientur mares, sciatis: non misereat vos eorum solùm, sed etiam pudeat. Hoc sacramento initiatos juvenes, milites faciendos censetis, Quirites? iis ex obscœno sacrario eductis arma committenda? hi cooperti stupris suis, alienisque, pro pudicitia conjugum ac liberorum vestrorum ferro decernerent? Minus tamen esset, si flagitiis tantùm

tantum effeminati forent, (ipſorum id magnâ ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentem à fraudibus abſtinuiſſent. Nunquam tantum malum in Republ. fuit, nec ad pluros, nec ad plura pertinens. Quidquid his annis libidine, quidquid fraude, quidquid ſcelere peccatum eſt, ex uno illo ſacrario ſcitote ortum eſſe. Nec omnia in quæ conjuraverunt edita facinora habent, adhuc privatis noxiis, quia nondum ad Rempub. opprimendam ſatis virium eſt, conjuratio ſeſe impia tenet. Creſcit, & ſerpit, quotidie malum: jam majus eſt, quàm capere id privata fortuna poſſit: ad ſummum Reipubl. ſpectat, niſi præcaveritis, Quirites. Jam huic diurnæ legitimæ abs conſule vocatæ par nocturna concio eſſe poterit. Nunc illi vos ſinguli universos concionantes timent: jam ubi vos dilapſi domos, & in rura veſtra eritis, illi coïerint; conſultabunt de ſua ſalute ſimul ac veſtrâ pernicie: tum ſingulis vobis univerſi timendi erunt. Optare igitur unusquisque veſtrûm debet, ut bona mens ſuis omnibus fuerit: ſi quem libido, ſi furor in illum gurgitem abripuit; illorum eum cum quibus in omne flagitium & facinus conjuravit, non ſuum, judicet eſſe. Ne quis etiam errore labatur veſtrûm quidem, non ſum ſecurus. Nihil enim in ſpeciem fallacius eſt, quàm prava religio. Ubi Deorum numen prætenditur, celeriùs ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid mixtum violemus. Hæc vos religione innumerabilia decrèta Pontificum, Senatus conſulta, aruſpicum denique reſponſa liberant. Quoties hoc patrum, avorumque ætate negotium eſt ma-

giſtrati-

gistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent? sacrificulos, vatesque foro, circo, Urbe prohiberent? vaticinios libros conquirerent, comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, præterquàm more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentissimi viri, omnis divini humanique juris, nihil æquè dissolvendæ religioni esse, quàm ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Hæc vobis prædicenda ratus sum, ne qua superstitio agitaret animos vestros, quum demolientes nos bacchanalia, discutientesque nefarios cœtus cerneretis. Omnia Diis propitiis, volentibusque ea faciemus: qui quia suum numen sceleribus libidinibusque contaminari indignè ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri ut impunita essent, sed ut vindicarentur & opprimerentur, voluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi collegæque meo mandavit: nos ipsi, quæ nobis agenda sunt, impigrè exsequemur: vigiliarum nocturnarum curam per urbem minoribus magistratibus mandavimus. Vos quoque æquum est, quæ vestra munia sunt, quo quis loco positus erit, quod imperabitur, impigrè præstare; & dare operam, ne quid fraude noxiorum periculi, aut tumultûs, oriatur.

DE CONFIRMATIONE, sive Adseveratione, quæ Græcis dicitur Κατασκευή.

CAP. VI.

Confirmatio, vel Asseveratio, est propositæ rei comparatio. Confirmanda verò sunt:

quæ

quæ neque prorsus manifesta sunt, neque omnino fidem, ut fieri possint, habent: sed quæ medium ordinem servant. Qui autem confirmare intendunt, omnibus capitibus confutationi contrariis utentur. Primùm enim laudent eum, qui dixit, quod confirmandum est: Deinde rem exponant: Postea contrariis eorum, quæ diximus, comprobent ipsum:

pro	Obscuro	quidem	Manifesto,
	Incredibili		Probabili,
	Impossibili		Possibili,
	Repugnante		Cohærente,
	Indecoro		Decente,
	Inutili		Conferente.

Sanè hæc quoque Confirmationis exercitatio omnem vim artis intra se complexa est: cujus exemplum, Verisimiliá esse quæ de Daphne referuntur continens, tale erit.

Exordium à laude dicentium.

Poëtas quisquis vituperat, ipsas mihi vituperare Musas videtur. Si enim quæcunque canunt Poëtæ, Musis instincti profundunt, quidni planè Musis bellum indicit, qui poëtarum reprehendere conatur inventa? Ego quidem omnium poëtarum sententiam comprobo: illius autem maximè, qui Daphnen ab Apolline esse amatam sapienter protulit. Sed quænam sunt, quibus fidem non adhibent? Daphne, inquiunt, è Terra nata est, & Ladone.

Expositio rei à Manifesto.

Cur hoc apud Deos incredibile? Nonne rebus omnibus aqua & terra sunt origo? Nonne semina rerum omnium elementa præbent? Si verò, quicquid gignitur, procedit ex terrâ & aquâ, nimirum Daphne eisdem orta est, quibus omnia principiis Ladone & Terra genita, scilicet inde, unde cuncta procreantur. Superabat autem Daphne facie reliquas omnes: rectè quidem. Quæcunque enim

enim primò è Terra emittuntur, cum naturæ pulchritudine producuntur, & primo velut nativo, proprioque conspicua decore pulcherrima videntur. Multæ autem mutationes corporibus speciosissimis tempore accidunt: quæ verò recens nata primùm apparuerunt, ea formosissima, veluti quæ nullum adhuc decoris sui damnum passa sunt, blandissimè oculos nostros morantur. Rectè igitur Daphne formâ præstabat, primùm ex Terra procreata.

A probabili. *Ob cujus admirandam pulchritudinem Pythius amore captus est: non injuriâ. Quicquid enim in terris est, quo res ullæ sunt conspicuæ, atque admirandæ, id omne à Diis ipsis tributum est. Si verò bonorum omnium amabilis inprimis est pulchritudo; quid mirum, si jucundissimum Deorum munus, Deum quoque habuit amatorem? Quæ enim Dii donant, ea omnes amore prosequuntur.*

A possibili. *Conabatur autem amans Deus suo desiderio mederi. sic enim res habet: Virtutes non sine labore comparantur; & opus est sudore, quisquis eas assequi velit. Hinc ergo laborabat amator, nec tamen desiderans amicam comprehendit. Ingens enim est virtus, nec ad extremam ipsius metam quisquam potest pervenire. Aiunt igitur, amare Phœbum, non Terram scilicet, nec Deorum majestatem vanis commentis dehonestantes, sed virtutis ostendentes naturam: ut Apollo sit, qui virtutem quærit; ipsa verò virtus, Daphne.*

A cohærente. *Fugientem puellam mater excepit. Cuncta enim quæcunque sunt, mortalem sortita naturam, ad ea, unde orta sunt, festinant reverti. Idcirco in Terram cecidit Daphne, ex Terra prognata.*

Acci-

Accipiens autèm puellam mater, pro ipsa reddidit arbustum. Vtrumque opus Terræ proprium, ut in hanc homines cadant, & arbores ab ea nascantur. A decenti.

Procreatum autem arbustum Apollinis honori dicatum est. Dii enim extra providentiæ suæ complexum ne arbusta quidem reliquerunt: sed coronantur è natis, & primitiæ prodeuntium è terris, ipsis sacrantur. Sed & arbor divinationis facta est merces atque symbolum. Hoc autem conveniens puto. Daphnen enim poëtarum multi σώφρονα, id est, temperatam appellant, & oracula dare à temperantia provenit. A condecenti. A conferenti.

Itaque, quoniam puella voluptatum expers fuit, virtutibus consecratur. Neque enim posset futurorum esse capax, qui laborat intemperantiâ, contaminatum habens fœdâ libidine pectus: quas ob res poëtas admiror, & laudo, ipsumque veneror carmen. Conclusio.

SCHOLIA.

Confirmationem Græci vocant κατασκευὴν, à verbo κατασκευάζειν, quod est, parare, fabricari: quo utitur Apostolus ad Hebr. 9. Σκηνὴ γὰρ κατεσκευάσθη. Η πρώτη, ἐν ᾗ ἥ τε λυχνία, &c. id est, tabernaculum factum fuit primum, in quo lucernæ. Est & probare, & confirmare. Unde κατασκευὴ, probatio, adstructio, demonstratio, item structura, vocatur ab Halicarnassæo, hoc est, opificium Rhetoricum, & artifex compositio.

Quisquis vituperat, &c. In Aphthonio habetur, Ποιηταῖς ἀντερῶν, αὐταῖς ἀντερεῖν δοκεῖ ταῖς μούσαις. Vnde locum hunc sic alii vertunt:

tunt: Quisquis vatibus contradicit, ipsis Musis videtur contradicere.

Musis instincti, &c. Socrates apud Platonem de recta nominum ratione dicit, Musarum & Musicæ nomen deductum ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, id est, inquirere. si quis enim vult Musis familiaris esse, ei opus est indagine, & studio sapientiæ. Etenim qui ad Musas adspirant, opus habent non parvâ inquisitione atque labore. Unde Propertius lib. 3.

Non datur ad Musas currere lata via.

Musis autem instinctos, ait, hoc est, divino furore concitatos, & impulsos. Divinum enim poëtarum genus est, atque Diis agitur; ut ait Plato de Legibus 3. Idem de furore poëtico: Non arte, inquiunt, sed divino afflatu mente capti, omnia præclara poëmata canunt. Quem furorem ἐνθουσιασμὸν appellant, numinis adflationem, quam Budæus de Asse primo interpretatur vim dicendi, & scribendi divinitus infervefactam. Hanc libro 1. de Rap. Proserpin. Claudianus intelligens, inquit:

Raptoris thalamos audaci promere cantu
Mens congesta jubet: gressus removete, profani.
Iam furor humanos nostro de pectore sensus
Expulit, & totum spirant præcordia Phœbum.

Huc item Ovid. 6. Fast. respiciens, ait:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo;
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Idem lib. de Arte 3.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli.
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Cur hoc apud Deos, &c. Græcismus est.

Πρὸς τῶν θεῶν, πρὸς τοῦ Διός.

Hoc

Hoc est, Per Deos, per Jovem.

Superabat facie, &c. Quoniam Daphne omnium pulcherrima fuit, non dubium est, quin Apollinem potuerit in amorem sui sollicitare. Certe pulchritudinem Aristoteles dicebat quâvis epistolâ efficaciorem ad commendandum: Theophrastus silentem fraudem appellabat: Plato prærogativam naturæ, quæ paucis soleat contingere. Carneades dicebat ἀδορυφόρητον βασιλείαν, id est, regnum absque satellitio. Meminit Erasmus Apophthegmat. 6. Sunt qui pulchritudinem in tria distinguunt: aliam referunt laudabilem esse; ut formosam faciem: aliam usui deservire; ut instrumentum & domum, quæ præterquam quod speciosa sunt, usibus nostris commoda etiam sunt. Tertiam legibus studiisque constare, eamque humanæ vitæ commodis maximè consulere. Cujus meminit Diogenes Laërtius, lib. 3. de vitis Philosophorum. Hæc in æternum perdurans omnium est preciosissima. Unde Ovidius 3. Tristium eleganter ait:

Nempe dat, & quodcunque libet fortuna, rapitque:
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.
Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingeniique, bonis.

Multæ mutationes, &c. Hoc est, pulchritudo recens producta peramabilis est, temporis autem cursu vitiatur. Hinc pulcherrimè Ovidius de arte amandi secundo ait:

Forma bonum fragile est: quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.

Nec

Nec semper violæ, nec semper lilia, florent,
Et riget amissâ spina relicta rosâ.
Et tibi jam venient cani, formose, capilli,
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret, & adstrue formam;
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Idem 3. Tristium ad filiam Perhillam:
Ista decent. facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiquâ fronte senilis erit.
Injicietque manus formæ damnosa senectus,
Quæ strepitum passu non faciente venit.

Notabis obiter, Aphthonium juxta suas præceptiones non ea confirmare, quæ omnino fidem, ut fieri possint, non habent. Et Quintilian. 3. cap.6. Illud frequens est, inquit, ut ea quibus minus confidimus, omittamus. Hinc silentio præterit, ac transit, Daphnen in undis educari, aut in mediis Terræ matris visceribus vitam exigere potuisset. Tractari tamen exercitationis gratiâ possun, cùm confirmatio atque refutatio sint veluti quædam imagines rerum illarum, quæ in veras & justas causas incidunt; hic seorsim, quasi per lusum, tractatæ, ut in his juventus exercita possit ad veras ac graves causas agendas accommodatior reddi.

Quæ dii donant, &c. Sic argumentatur:

Qui amat pulchritudinem, non hominum, sed Deorum munus amplectitur.

Pythius amat pulchritudinem.

Ergo non hominum, sed Deorum munus amplectitur.

Virtutes labore comparantur, &c. Transit ad eam fabulæ partem confirmandam, qua poëtæ dicunt, Daphnen ab insequente Phœbo, tene-

teneramque puellam à Deo non fuisse comprehensam. Quod difficile confirmatu visum reliquit, & ad allegoriam transit. Per Daphnen (inquit) virtutem intelliges, per Apollinem virtutis sectatorem. Quemadmodum is qui virtutem sequitur, non facilè comprehendit eam: ita Daphne captu difficilis erat Apollini. Etenim difficilia, quæ pulchra.

Et via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primò spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.

Mater excepit, &c. Etenim Terræ propter merita indiderunt venerationem materni nominis. Nascentes enim excipit, sustinet: postremò complectitur gremio. ut Plinius ait lib. 2. cap. 65. *Terra omnium communis mater.*

Apollinis honori, &c. Triplicem (inquit) potissimùm utilitatem adfert Daphne in laurum conversa, honorem & decus Apollini, Diis reliquis coronas, quibus exornantur: & divinandi artis indicium insigne.

Primitiæ, &c. Novæ fruges. Quas olim veteres non degustabant, nisi prius τὰς ἀπαρχὰς Diis Sacerdotes immolassent. Vide Erasmum in proverbiis, Μηδ' ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιῤῥέκτων ἀνιόντα Ἔσθειν μηδὲ τε λούεσθαι. *Nec ab ollis fractis redeuntem comedere, neque lavari.* id est: Non est à servilibus negotiis comedendum in honorem deorum, nisi te ipsum prius purgaris.

CON-

CONFIRMATIONIS EXEMplum paulo copiosius à Petro Mosellano tractatum.

ARGVMENTVM.

Quòd verum sit, quod Virgilius scriptum reliquerit, Didonem amoris impatientiâ mortem sibi consciisse. Confirmationis exemplum.

Quanta fuerit priscorum hominum industria in comparandis sapientiæ monumentis quæ posteris suis relinquerent, cùm aliis rebus multis constat; tum vel maximè per hoc indicatur, quòd quæ eximiæ cujusdam Philosophiæ documenta existimabant, ea non temerè literis mandabant, sed Musicâ numerorum suavitate conditâ, posteris legenda tradebant. Cujus laudis, ab Hebræis ad Græcos derivatæ, ut Latini quoque homines participes fierent, si quisquam alius, Virgilius certè effecit. Nam is cùm humanarum rerum imaginem in Ænea suo mortalibus proponere, ac per hunc, quod cuique vel sequendum vel fugiendum esset, docere statuisset, non satis habuit fictis interim personis veros affectus repræsentare, id quod alioqui poëtæ spectare solent: verum etiam vera pleraque admiscuit, inter quæ verissima esse censenda sunt, quæ ut ab insano amore adolescentes deterreat, de Didone Carthaginensium Regina, amoris impatientiâ mortem sibi consciscente, commemorat: graviusne an jucundius, necdum statuo. Narrat enim, Æneam, parte classis naufragio amissa, Carthaginem in Africam delatum: ubi cùm hospitio Didonis uteretur, Reginam pulcherrimi viri primùm

oſtentantem, longeque etiam plura pollicentem, Herculem ſecum ducere tentaviſſe. Alteram verò aſperam, ac duram, ſevereque intuentem, hujuſmodi verba contrà feciſſe. Polliceri ſe nec voluptatem aliquam, nec quietem; ſed labores, pericula, ſudoreſque infinitos, terrâ marique tolerandos. Præmium autem illorum immortalitatem fore. Quare omni ſublata dilatione huic Herculem adhæſiſſe memorant. Alexander ille Magnus interrogatus, quo conſilio uſus tot ac tanta tam brevi geſſiſſet, Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, reſpondit. Quæ verba ſignificant, moram ac dilationem, ipſamque deſidiam, rebus eſſe gerendis longe pernicioſiſſimam: quippe quæ maximarum ſæpe rerum prætermittant occaſiones. Vetus eſt adagium, Dii facientes adjuvant. Quod ſignificat, divinam opem non ceſſantibus, ſed induſtriis, & pro virili conantibus, auxilio eſſe ſolere. Ariſtoteles nunquam tantum ſibi inter Philoſophos nomen comparaſſet, niſi ſapientiæ ſtudio diutiſſimè inſudaſſet. Cyrus Medorum imperium animi virtute ac ſolertia ad Perſas tranſtulit. Lycurgus, Solon, Darius, immortales habiti. Quare cùm cætera fere omnia incerta ſint ac caduca, virtus verò ipſa altiſſimis defixa radicibus, nulla unquam vi labefactari poſſit: omnes ſubire labores, omnia perpeti incommoda æquo animo debemus, ut eam pro virili conſequamur. Eſtque poëta hic eminentiſſimus diligentiſſimè lectitandus, atque in primis obſervandus, quòd certum nobis miniméque ancipitem, ad comparandam virtutem, tramitem indicaverit.

Alexander Magnus.

CHREIA II.

Cum intermiſſis negotiis familiaribus ad literarum ſtudium me tandem revocaſſem, eſſetque in animo tam Græcos, quàm Latinos poëtas percurrere, Homerum ſtatim, quòd inter vates omnium eruditorum teſtimonio principatum facilè obtineat, aggreſſus ſum, extemploque Ἰλιάδος primo huic divino occurrimus carmini:

Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.

Quæ verba ſignificant, Deo optimo Maximo in primis eſſe obtemperandum, ſi ab eo in diverſis rebus exaudiri concupiſcimus. Quæ quidem ſententia quantopere ſit ab omnibus probata, nemini eſſe dubium cenſeo. Quis enim uſque adeò mente alienatus eſt, quin ſibi perſuadeat, Deo, omnium moderatori, omnium primùm obtemperandum, quum facilius ejusdem præſens rebus anguſtis auxilium conſequamur, cùm præſertim divinis morem gerere mandatis volenti, quàm facilimum ſit, idque præter omnia faciendum videatur? Nam ſi potentioribus imbecilliores ſedulò parere conantur, aſſiduamque ac diligentem eorum in mandatis exſequendis propterea operam exhibent, ut longis ac frequentibus obſequiis boni tandem aliquid adipiſcantur: quantâ uti diligentiâ debemus, ne quid præter ejus voluntatem faciamus, cujus nutu tam cœleſtia, quàm terreſtria gubernantur, cujusque munera non modò non rejicienda, verùm etiam ſummopere exoptanda ſunt? quippe quæ (ut Trojanus Alexander apud eundem Homerum teſtatur) nullus unquam Diis ipſis non præbentibus ſponte ſua ſume-

ſumere poſſet. Nam quod vulgò dici ſolet, Deus undecunque adjuvat, ſi modò ſit propitius, quid ſibi aliud vult, quàm ut omni pietate, omnibus obſequiis, pura denique ac ſincera mente Deum nobis conciliemus? cujus natura non ejuſmodi eſt, ut muneribus perinde atque improbus fœnerator capiatur, ſed ſolâ vitæ integritate, pientiſſimisque placetur precibus, nec ullo pacto iniquorum ac flagitioſorum muneribus corrumpatur? Hinc eſt quod Porphyrius ait:

Θεοῖς δὲ ἀρίστη μὲν ἀπαρχὴ νοῦς καθαρὸς καὶ ψυχὴ ἀπαθής.

Quæ verba ſignificant, nullas Deo Optimo Maximo gratiores offerri poſſe primitias quàm puram mentem: & affectibus ac perturbationibus liberum animum. Nam quod Ovidius ait:

Munera crede mihi placant hominesque, Deosque,
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.

& Euripides in Medea:

Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.

id eſt, Donis vel ipſos dictitant flecti Deos. ad bonorum virorum dona referendum eſſe videri poteſt. Quodſi quis fieri poſſe nonnunquam crederet, ut Deus ſceleſtorum hominum donis moveretur, is profectò canibus pecudum cuſtodibus Deum ipſum aſſimilaret, quibus lupi rapinæ particulam concedunt, ut his muneribus placati atque allecti, diripi greges patiantur. ſed longè ſecùs res habet: ſolos namque bonos reſpicit Deus, iiſque quàm libentiſſimè opitulatur. Nec fieri poteſt, ut viro bonitate prædito mali quicquam accidat, nec dum vitam degit, nec poſt mor-

tem, ejus res à Deo Optimo Maximo unquam negligantur. Æſopus interrogatus, Quid dii faciant? reſpondit:

Τὰ μὲν οἰκοδομεῖν, τὰ δὲ καταβάλλειν.

Quod ſignificat, Deum ipſum alios quidem extollere, ac celebrare, alios verò pro meritis obſcurare ac deprimere. Vnde haud immeritò Ariſtoteles de Magno Alexandro ad Antipatrum ſcribens, ait, dicere ipſum, non propterea magis ſibi placere quòd multis imperaret, quàm quòd de Diis optimè ſentiret. Nam qui bonam habent de Diis opinionem, illisque quàm libentiſſimè obſequuntur, pientiſſimi ab omnibus exiſtimantur, & numinum vice coluntur. Æneam, quòd in Deos pientiſſimus fuiſſet, inter numina recenſuit vetuſtas. Numa Pompilius cum omnium maximè, ac religioſiſſimè Deos coleret, ac veneraretur, tutiſſimam finitimorum pacem divinumque Egeriæ Nymphæ commercium meruit. At deorum contemtor Mezentius, in prælio impiè commiſſo, fœdiſſimè trucidatus eſt. Capaneus, Hipponi filius, cum Thebana mœnia, diis etiam invitis, ſe conſcenſurum jactanter gloriatus eſſet, fulmine ictus, delapſus eſt. Quare uni eſſe Deo omnium maximè parendum cenſemus: ſummisque egregium hunc poëtam laudibus afficiendum arbitramur, qui divino afflatus ſpiritu, unico verſu nos, quomodo Optimus Maximus ſit placandus Jupiter, admonuit.

Alexander Magnus.

Numa Pompilius.

Mezentius.

Capaneus.

CHREIA III.

MAgna eſt profectò Latinorum poëtarum cohors, candidiſſimi auditores, multi-

multique nominis : sed longè major ac præstantior haberetur, ni oblivionis situ, rerumque edaci tempore, quàm plurima veterum poëtarum monumenta intercepta fuissent. Quorum jacturam ne perpetuò lugeamus, eorumque desiderio maceremur, divinus poëta Virgilius causam præbet: quippe qui multorum instar habeatur. Cujus eximia opera, licet innumeris sint referta sententiis, quæ proverbiorum vice in omnium ore funguntur, hæc tamen in primis memoratu digna visa est: Omnia vincit amor.

Quæ usque adeò omnium consensu jam probata est, ut nullus sit tam literarum ignarus, quin eam & memoria teneat, & quàm sæpissimè prædicet; cum præsertim non modò cuncti mortales, sed & bruta ipsa immania, amoris violentiæ cedant, ejusque imperium etiam invita patiantur: cujus mehercule rei nullâ adduci admiratione debemus. Magnus est enim Deus Amor, nec minus apud Deos, quàm apud homines mirandus, cum multis aliis de causis, tum vel maximè ob ejus vetustissimam originem: nam inter antiquissimos Deos recensetur. Hesiodus: Omnium (inquit) primum natus est chaos. inde terra, tartara, & Amor. Parmenides ante Deos omneis natum Amorem autumat. Acusilaus Hesiodo adstipulatus. Euripides Tragicorum supremum esse Amorem his trimetris indicat: *Amor.*

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν,
Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
Ἢ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἄμοιρος ὤν,
Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Ovidius quoque de amore locutus addit:

Regnat, & in dominos jus habet ille deos.

Quid de Lacedæmoniis ac Cretensibus dicam? Nonne ipsi, quantam inesse amori vim arbitrarentur, evidentissimè indicarunt? Quorum alteri priùs quàm cum hostibus manus consererent, Amori ante structas acies sacra faciebant, perinde atque in instructarum cohortium amicitia ipsa esset victoria collocata. Cretenses verò, formosissimos in acie pueros exornantes, Amori per eos sacra faciebant, ut Sosicrates scriptum reliquit. Samii (ut Herxias auctor est) Amori gymnasium consecrarunt, cujus festum Eleutheria propterea cognominabant, quòd per ipsum Deum Athenienses libertatem consecuti fuissent. Apud Thebanos (ut Athenæus testatur) ὁ ἱερὸς λόγος appellatus, ex amatoribus atque amatis constabat, τὴν τοῦ θεοῦ σεμνότητα ἐμφαίνων.

Alexis, Cupidinem ipsum, nec feminam, nec marem; non Deum, non hominem; sed multas in unam formam compactas species esse indicans, eosque qui amoris simulacrum affingere conantur, maximè arguens, de Amore in Phædro hæc scribit: Ἔστι γὰρ οὔτε θῆλυς οὔτ' ἄῤῥην, πάλιν οὔτε θεὸς, οὔτ' ἄνθρωπος, οὔτ' ἀβέλτερος, οὔτ' αὖ τις ἔμφρων, ἀλλὰ συνενηγμένος πανταχόθεν, ἑνὶ τύπῳ πόλλ' εἴδη φέρων. ἡ τόλμα μὲν γὰρ ἀνδρὸς, ἡ δειλία γυναικὸς, ἡ δ' ἄνοια μανίας, ὁ δὲ λόγος φρονοῦντος, ἡ σφοδρότης δὲ θηρὸς. ὁ δὲ πόνος ἀδάμαντος, ἡ φιλοτιμία δὲ δαίμονος. Plato igitur omnium Philosophorum præstantissimus, maximam amoris vim ac sapientiam cupiens indicare, in convivio hæc dicit: Amor poëta est adeò sapiens, ut alios quoque poëtas efficere possit. Quilibet enim, licet

licet ante rudis, in poëtam evadit egregium, cùm primum Amor afflaverit. Ex quo perspicue conjectare licet, amorem peritum esse poëtam, omnesque musicos poësis numeros continere. Idem de eodem: Sagittandi, medendi, divinandi peritiam duce amore invenit Apollo, qui amoris est discipulus. Musicen similiter Musæ; fabricam ærariam Vulcanus; texendi artificium Minerva; Jupiter Deorum hominumque gubernationem. Quare, cum Deorum vetustissimus ac maximus sit Amor, non immeritò æquè in cæteros Deos, atque in omnes homines suum semper exercuit imperium. Nam Jovem ipsum modò in cygnum, modò in taurum transformavit, quandoque in aurum conflavit: Neptunum equi, Mercurium hirci formam induere coëgit. Apollinem, ut Admeti pasceret armenta, compulit. Venerem, ut ad Idæ montis radices Anchisen quæreret, quàm sæpissimè adegit. Quantopere autem miseros sit ludificatus mortales, veterum scriptorum monumenta evidentissimè indicant. Unde colligere licet, nunquam ferè humanum genus in extremas tam publicè, quàm privatim incidisse calamitates, quin Amor ipse causam ac materiam suggesserit. Nam ut à publicis, ac perniciosis bellis exordiamur, Iliacum incendium mutuus atque incestus Alexandri & Helenes amor excitavit. Græcorum exercitum illa exitiosa pestis propter Chryseida graviter invasit. Achilles ad iram plurimis Græcorum perniciosissimam Briseidis desiderio commotus est. Belli inter Thebanos ac Phocenses per decennium conflati, quod ἱερὸν, hoc est, sacrum appellatum est,

rem ipsum tam apud Deos, quam inter homines plurimum valere, illi omnino, quam commodissimè fieri potest, cedendum est: Virgilio poëtarum principi, perquàm assiduè studendum, quòd hujusmodi undecunque scateat sententiis.

CHREIA IV.

QUanto sæpius ac frequentiùs Mantuani Virgilii volumina repeto, tanto illum magis & suspicio & admiror. Unus enim Virgilius characterum diversitate, ea complexus est, quæ viri tres, Græcorum præstantissimi, vix consequi potuere. Nam Bucolico carmine Theocritum æquavit, Georgico Hesiodum antecessit, Heroico divinum illum Homerum ad amussim expressit. Quæ quidem omnia, cunctis fuisse Græcis præstantiorem Virgilium, eo indicant, quod Græcorum nullus triplicem hanc aggredi materiam ausus adhuc fuerit; sed unusquisque intra suum scribendi genus sese continuerit. Est præterea in Virgilio dicendi facilitas, & in rebus enarrandis candor, ut nemo sit tam rudis, & à re literaria alienus, quin Virgilianâ lectione mirum in modum oblectetur: cum præsertim aureis ac divinis inter legendum quàm sapissimè occurratur sententiis, quæ legentium animis usque adeò blandiuntur, ut vix dum perlecta memoriæ inhæreant, nec unquam amplius excidant: qualis est, Non omnia possumus omnes.

Quæ verba significant, mortalium neminem tanto esse ingenio præditum, ut solus omnia sapiat atque intelligat, nihilque eum

penitus lateat: cuncta enim ſcire, divinum eſſe potius quam humanum, noverat poëta. Nam quandoque bonus dormitat Homerus. Hinc celebratum eſt apud Græcos proverbium: Εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. Hoc eſt, Vnus vir, nullus vir. Quaſi velit innuere, nihil egregium ab uno homine præſtari poſſe, ſi aliorum auxilio fuerit deſtitutus. Quod autem legitur apud Euripidem: Εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ· id eſt, Vnus vir haud videt omnia: id ſanè ſignificat, neminem unum, ne maximo quidem rerum uſu atque experientia, tantam unquam conſequi poſſe peritiam ac ſollertiam, ut omnia per ſe diſpiciat, nec ulla in re hallucinetur atque decipiatur. Socrates, qui Apollinis oraculo ſuæ ætatis ſapientiſſimus judicatus eſt, ſe nihil omnino præter exiguam quandam amandi diſciplinam ſcire ingenuè fatebatur. Hercules Jove genitus, quem Marathonii, ut refert Pauſanias, omnium primi in Deorum numerum propterea recenſuere, quod non minùs animi quàm corporis virtutibus excelleret, eodem tempore & adverſus Hydram ſophiſticam mulierem certare non valuit; cui, ut Plato refert, propter ſapientiam pro uno ſermonis capite amputato multa repullulabant: & adverſus Cancrum ſophiſtam quendam ex mari adventantem; à quo, cùm ad ſiniſtram urgeretur, verbiſque acriter morderetur, nepotis ſui Iolai auxilium imploravit; cujus ope vehementer adjutus, victoriam vix tandem conſecutus eſt. Quare, cum ii quoque quibus ne cœlum quidem negatum eſt, per ſe omnia non potuerint, poëtarum præſtantiſſimo procul dubio credendum eſt, Virgilianæque lectioni eſt omnium maximè

ximè

ximè inserviendum, unde hujusmodi sententias haurire quàm sæpissimè licet.

CHREIA V.

NIhil est profectò, quod hominum quispiam tam propenso ac libenti agat animo, quin quandoque fastidium pariat, si modò nulla àdhibita intermissione, diutissimè in eodem versatus fuerit. Hinc factum est, ut Aristophanis illud jam diu apud vulgum proverbii vicem obtineat: Ἁπάντων πλησμονή. hoc est, Omnium rerum satietas. Quod ita esse, cùm sæpè aliàs, tum vel maximè nudius tertius supra modum expertus sum. Nam cum in prædio nostro, quod haud multum ab Urbe distat, unà cum amicis, Dianæ studiis, quæ à teneris unguiculis mihi semper plurimum placuere, toto animo incumberem, cæterarumque rerum oblitus, uni venationi operam impenderem, tanta me venationum extemplò cepit satietas ac fastidium, ut relaxandi animi causa, ad Minervæ studia me statìm contulerim, Virgiliumque quem forte mecum attuleram, aggressus sim: in quo quidem lectitando, multæ mihi memoratu dignæ passim occurrerunt sen tentiæ. Inter quas hæc maximè, & quam sæpissimè memoranda visa est:

Vsque adeone mori miserum est?

Qua poëtarum prudentissimus nos admonuit, mortem etiam ipsam minimè forti viro recusandam: quippe quæ, modò honesta sit, vitam quoque turpem quandoque soleat exornare; cùm contra vita turpis, ne morti quidem honestæ locum relinquat.

Quis nisi penitus mente captus, honestæ morti turpem præferat vitam, cùm præser-

tim in tot ac tantis humanæ vitæ procellis ac tempestatibus tutissimus nobis portus appellanda sit? Hinc est, quod Ajax ille Telamonius apud Sophoclem ait:

Οὐκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς λόγου βροτὸν, ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται.

Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή.

Quid enim in morte est, quod sit jure formidandum? quam, si Euripidem divinum poëtam sequi voluerimus, animi pariter ac corporis interitum existimabimus. cujus hæc verba sunt:

Ἄκουσον ὥς σοι τέρψιν ἐμβαλῶ φρεσί·
Τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω.

Quodsi fas est credere, non magis esset post mortem metuendum, quam, priusquam nasceremur, unquam timuimus. Sin autem in morte ipsa non interitus, sed animi à corpore migratio est, cur non potius meliora, bonis præsertim viris, speranda, quàm deteriora verenda sunt? Neque enim fieri potest, ut viro bono mali quicquam accidat, nec vivo, nec mortuo: nec ejus res à Diis immortalibus negliguntur. Plato in Socratis Apologia: Mortem (inquit) timere nihil aliud est: quàm sapientem videri eum, qui non sit sapiens: quippe cum id sit, scire videri quæ nescias. Nemo enim scit, utrum mors omnium bonorum summum homini contingat: Metuunt autem perinde, ac si eam malorum esse maximum non ignorarent. Cui verò dubium esse debet, quin hæc ipsa inscitia sit maximè vituperanda, per quam aliquis se putat scire, quæ nesciat?

Stultum est igitur, id temerè formidare, quod

quod & quale sit omnino nescias, & nullis precibus ac muneribus, nullisve maximis quidem viribus declinari unquam potest. Omnibus enim ex æquo moriendum est. quod Horatianum illud facilè indicat:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres, ô beate Sesti.

Et Homerus hoc carmine non inficiatur:

Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα.

id est,

Nec vis Herculea fatum evitavit acerbum.

Quod autem horrida mors muneribus non capiatur, senarius hic indicio est:

Μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ.

id est, *Mors sola donis non evitatur.*

Itaque forti ac libenti est animo obeunda, & ut gradum acceleret, nec ultimam atque imbecillam exspectet senectutem, summis est precibus optandum.

Ὃν γὰρ φιλεῖ θεὸς, ἀποθνήσκει νέος.

id est, Quem enim Deus diligit, in juvenili moritur ætate. Quæ utique verba significant, optimè atque pulcherrimè cum illo actum esse, qui hujusce miseræ atque infelicissimæ vitæ calamitatibus quàm celerrimè ereptus fuerit, & ad sempiternam illam felicitatem, qua animi post mortem fruuntur, quam primùm migraverit. Quod cygni, utpote qui ab Apolline, cui dicati sunt, divinationem accepere, planè providentes, tunc dulcissimos ac suavissimos edunt cantus, cùm se citò sentiunt morituros. Codrus ille Atheniensium Rex, & Macaria, Herculis ac Deïaniræ filia, non propterea tantùm voluntariæ se morti diversis bellis obtulere, ut

civibus suis adversus Lacedæmonios pugnantibus victoriam relinquerent, famamque apud posteros assequerentur; sed quod in morte non modo nihil mali, verùm etiam summam esse mortalibus felicitatem arbitrarentur. Quod apud Romanos & M. Curtius, juvenis bello egregius, qui se armatum in altissimam illam voraginem immisit: & duo illi Decii, qui, cùm Coss. essent, se pro legionibus Romanis devoverunt, mihi procul dubio sensisse videntur. Neque enim tam alacri animo se perinde ac victimas Reipublicæ præbuissent, si quid mali post mortem sibi futurum sperassent. Quare & mortem minimè miseram esse credendum est, & Virgilius non modò assiduè in manibus habendus, sed & memoriæ thesauro commendandus: quippe qui sui studiosos tam belle instituat.

DE SENTENTIA,
quæ Græcè Γνώμη dicitur.

CAPUT IV.

Sententia ex eo nomen accepit, quòd similis sit consiliis, aut decretis, sicuti & γνώμη. Quintil. lib. 8. cap. 5.

SEntentia, est oratio, brevi complexu aliquid quod ad hortandum dehortandumve pertinet, explicans. Sententiarum verò alia exhortans, alia dehortans, alia enuncians. Est item alia simplex, alia composita: præterea alia probabilis est, alia vera, superlata alia.

Exhortans sententia est, ut:

Oportet amicum præsentem amare, volentem abire verò amittere.

Dehortans, ut:

Turpe quiete Ducem totas deperdere noctes.

Enun-

Enuncians, ut:

Pecuniis opus est, sine quibus nihil eorum, quæ necessaria sunt, rectè fiet.

Simplex, ut:

Optimum id augurium est, patriam tutarier armis.

Composita, ut:

Multos esse malum Reges: Rex unicus esto.

Probabilis, ut:

Quales amicos quisque habet, talem scias.

Vera, ut:

Expers malorum vita nulli contigit.

Infirmius nihil homine.

Hoc ergo pacto sententia dividitur. Tractabis verò ipsam eisdem capitibus, quæ in usus explicatione diximus. Laudabis primùm, deinde explicabis: tum confirmabis ex Causa, Contrario, Similitudine, Exemplo, Testimoniis veterum. Demum brevi Epilogo concludes. Differt autem sententia ab usu. eo quod usus persæpe activus est: Sententia verò semper in oratione consistit. Deinde quod usus semper habet additam personam: Sententia sine persona effertur.

EXEMPLVM SENTENTIÆ exhortativæ Theognidis.

In mare cetiferum ne te premat aspera egestas;
Desili, & à celsis corrue, Cyrne, jugis.

Indignum Theognidi visum est, Poëticam velut rem ineptam accusare. Itaque relictis fabularum commentis, ipse ad formandos mores, vitamque instituendam ipsam traduxit. Cùm videret enim poëtas compositis fabulis, veluti præclaro aliquo invento, gaudentes, ipse satius duxit, *A laudabili.*

xit, quomodo rectè vivatur, carmine complecti. Laudandus certè ob utrumque: & quòd metri gratiam observavit, & quòd meliorum admonens, institutionis attulit fructum. Sed hujus, ut alia omnia, ita hoc inprimis meritò quis laudaverit,

Expositio. quod de paupertate dixit. Quidnam igitur dixit? Qui vitam in miseria ducit, mori potiùs amet. Multo enim melius, à vita discedere, quàm Solem sui dedecoris testem habere. Hæc sunt, quæ ex Philosophorum dogmate protulit. Licet autem considerare, qua ratione motus, ista tam pruden-

A causa. ter ediderit. Degens enim in paupertate, cùm adhuc minor natu est, nequit exerceri ad virtutem; ut verò ad virilem pervenerit ætatem, improbissima faciet. Legatus enim pro patria, pecunia corrumpetur: concionaturus, quò spes lucri duxerit, eò flectet orationem. Ius verò dicturus, pro largiente pronunciabit, suscipietque pro suffragiis dona.

A contrario. Vacui autem paupertatis curis, & pueri ad spem protinus honestissimam virtutis attolluntur, & viri facti cuncta splendidè administrant, jam in pace sumptum edendis publicè muneribus faciendisque ludis præbentes, jam in bello impensas intoleranda militiæ onera conferentes.

A simili. At verò quemadmodum gravibus adstricti vinculis, quominus liberum ipsis sit, quod velint agere, vinculis prohibentur: sic in paupertate degentibus obstat, quominus exercere libertatem possunt, ipsa paupertas, & inopia rerum.

Ab exemplo. Irum vides, qui cum Ithacensium unus esset, non tamen id juris sibi, quod reliquis civibus, erat. Cui tam molesta paupertas fuit, ut nomen quoque inopia permutaret. Arnæus enim primò vocatus est, postea Irus appellatus. Id ab administratione cognomentum assecutus. Et quid oportet

oportet Irum dicere? Ipse qui Ithaca quoque potiebatur Vlysses, postquam domum rediens paupertatem simulabat, (ipsius enim sensit mala,) domi suæ à temulentis ministris percussus, & injuriâ adfectus. adeò paupertas meo judicio dura est.

Præclare ergo, recteque Euripides inquit, Malum esse nihil habere, neque paupertatem nobilitate levari posse. *A testimonio veterum.*

Quomodo ergo quis satis & pro dignitate laudabit Theognidem, talia tamque graviter de paupertate monentem? *Epilogus.*

SCHOLIA.

Sententiam, auctore Quintiliano, veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. Nos autem hoc loco dicimus orationem, quæ ad mores & communem hominum vitam pertinet, ostenditque quid aut fiat in ea plerumque, aut fieri oporteat. Vt: *Lib. 8. cap. 5.*

Feras, non culpes, quod vitari non potest.
Comes facundus in via pro vehiculo est.
Furor fit læsa sæpius patientia.
Nimium altercando veritas amittitur.

Harum Publii sententiarum meminit Gellius, lib. 19, cap. 14.

Aliquando refertur ad rem. Cicero pro Ligario: Nihil est tam populare, quam bonitas. Aliquando ad personam. Vt illa Afri Domitii: Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. Quintilianus, lib. 8. cap. 5.

Oportet amicum, &c. Locus desumtus est ex Homeri 15 Odysseæ: ubi Menelaus ad Telemachum ita loquitur:

Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Non

Non ego te longius, inquit, hic morabor redire cupientem.

Ægrè utrumq; feram, si me nimis hospes amabit,
Oderit aut nimis: at medium servantia laudo.
Nam semel exceptum ut nolentem impellere durum;
Sic retinere malum fuerit properare volentem.

Oportet igitur & hospitem præsentem amare, & volentem dimittere: ut interpretatur Raphaël Volaterranus. Admonet autem Menelaus, incivilem eum esse, qui non sit hospitalis. Incivile item qui nimium hospitalis, abire contendenti penulam (ut aiunt) sciderit, atque nolentem pertinacius retinuerit. Invitum servare nec est mentis puto sanæ. ut ait Erasmus in expositione nominis Jesu.

Hospitalitas.

Turpe quiete, &c. Locus habetur in Iliados lib. 2.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Id est, Haud dignum duce sit, noctem dormire per omnem. ut reddit Erasm. in Proverbiis. Non decet principem solidam dormire noctem. Docet, vigilantiam ac solicitudinem maximè convenire principibus, ut qui tantam negotiorum sarcinam sustineant humeris. Sapienter ille judicii subtilis Rex, qui traditum sibi diadema, priusquàm capiti imponeret, retentum, diu consideravit, inquiens: O nobilem magis, quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis solicitudinibus & periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet. Hæc Valerius, lib. 7. cap. 2.

Pecu-

Pecuniis opus est, &c. Locus ex 1. Demosth. Olynthiaca. Quem in proverbium, Pecuniæ obediunt omnia, sic vertit Erasm. breviter. Opus est pecuniis, neque citra has quicquam eorum, quæ facienda sunt, confici potest. Quippe mortalibus nihil est carius pecunia. Hæc una inter mortales plurimum valet. Unde 1. Epist. Horatius: *Pecunia.*

Scilicet uxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat.
At bene nummatum decorat Suadela, Venusque.

Bellerophon apud Euripidem inquit, pecuniarum usum contemplatus:

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.
Nemo an bonus, an dives omnes quærimus.
Non quare & unde; quid habeas, tantum rogant.
Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.

Sine quibus, &c. Fuerunt enim, qui dixerunt, Impossibile, pecuniis indigentem bene principari, studioque vacare posse. Atque ubi non honoratur virtus, ibi non est possibile, firmum optimorum esse in Republ. statum. Cujus rei meminit Arist. 2. Polit. cap. 9. *Optimum id augurium, &c.*

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Sumtus est ex Homer. 12. Iliad. ubi Hector auguria reliqua negligens loquitur (Erasmo interprete) ad hunc modum:

Aligeris avibus tu me parêre jubes nunc,
Quarum nulla mihi cura aut respectus, utrumne
Ad dextram Eoi veniant mihi Solis ad ortum,

An lævam, ad Solem occiduum, noctisque tenebras.

Verùm nos Iovis arbitrio parere necessum est

Altitonantis. hic imperium tenet unus in omnes,

Quotquot mortales, quotquot sunt morte carentes.

Vna avis optima, Pro patria pugnare tuenda.

Et Q. Fabius Maximus cùm augur esset, dicere ausus est: Optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ salute fierent: quæ contra Remp. ferrentur, contra auspicia fieri. ut ait Cicero in Catone majore.

Cæterùm olim apud Gentes auguria vel auspicia summis studiis observabantur, ac major illis adhibita fides est propter miraculum Actii Navii. Quo tantus honor accessit, ut nihil belli domique postea, nisi auspicato gereretur, ut ait Livius lib. 1. Hinc damnatus fuit L. Junius, quòd auspiciis neglectis, classem tempestate amisit: Et P. Claudius quòd, cùm auspicia more majorum petenti pullarius non exire pullos caveâ nunciasset, eos in mare jusserit abjici, dicens: Quia esse nolunt, bibant. Valerius, lib. 1. cap. 4.

Sunt autem sententiæ simplices, quæ simpliciter sine rationis subjectione proferuntur. Vt: Liber est is æstimandus, qui nulli turpitudini servit.

Item, Egens æquè is est, qui non satis habet, & is cui nihil satis potest esse.

Item, Optima vivendi ratio est eligenda; eam jucundam consuetudo reddet. Quæ sententiæ non sunt improbandæ, propterea quòd habet brevis expositio, si rationis nullius indiget, magnam delectationem. Sed illud quoque

que probandum eſt genus ſententiæ, quod confirmatur ſubjectione rationis. hoc modo: Omnes bene vivendi rationes in virtute ſunt collocandæ, propterea quòd ſola virtus in ſua poteſtate eſt, omnia præter eam ſubjecta ſunt fortunæ dominationi. Vide Ciceronem 4. ad Herennium, & Quintil. 8. cap. 5.

Fortuna.

Compoſita, &c. Sunt ſententiæ, quæ duplices efferuntur. hoc modo: Sine ratione. Errant, qui in proſperis rebus omnes impetus fortunæ ſe putant fugiſſe: Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus adverſos reformidant. Cum ratione, hoc pacto: Qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea quod ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis: At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant, ut quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima velint comparare.

sententia

Monarchia.

Multos eſſe, malum, &c. Ulyſſes Iliad. 2. loquitur ad Therſiten: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος ἔστω. Quod Eraſmus (in proverbio: Imperatorum multitudo Cariam perdidit) ita vertit:

Multos imperitare malum eſt. Rex unicus eſto.

C. Cæſar Caligula, cum audiret fortè, Reges, qui officii cauſa in urbem advenerant, concertantes apud ſe ſuper cœnam de nobilitate generis, exclamavit: Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. ut ait Sueton. Unus dominus ſit, unus Rex. Eſt autem triplex Reipubl. ſtatus. Δημοκρατία, id eſt, principatus populi, μοναρχία, id eſt, unius principatus, & ὀλιγαρχία, id eſt, ſtatus Reipublicæ à paucis adminiſtratæ. Atque nihil eſt pejus licentiâ multitudinis, qua nulli paretur, ſed pro ſua quisque libidi-

ne

ne rem gerit. Hanc Græci vocant ἀναρχίαν, malum fermè tyrannide pejus. Par malum πολυαρχία.

Probabilis, &c. Priscianus verisimilem appellat. Ut; Si quis cum malis conversatur libenter; Nunquam de hoc bene interrogavi viro; sciens, quoniam talis est, quales illi, cum quibus conversatur.

Consuetudo contagiosa.

Quales amicos, &c. Unde Psalm. 17. Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum perverso perverteris. Celebratur & hic senarius à Græcis: Κακοῖς ὁμιλῶν κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός. id est, Malus ipse fies, si malis convixeris. Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava. Et si juxta claudum habites, subclaudicare disces. Vide Erasmi proverbia. Plutarchus in commentario de ratione dignoscendi verum amicum ab adulatore, scribit, tantam habere vim assiduam consuetudinem, ut imprudentes etiam imitemur vitia eorum, quibuscum vivimus. Sic Platonis familiares ejus gibbum imitabantur.

Expers malorum, &c. Aphth. Ἄλυπον βίον habere, vitam, inquit, sine tristitia nulli licet invenire. Rectè Hesiodus:

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ.

Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est. Proinde Plinius se dubitare dicit, utrùm natura sæpius noverca sit, an mater; ut quæ tot venena, tot item remedia progignat. Vide Chiliades Erasmi. Nemo est, qui semper in tranquillitatis portu naviget. Quotusquisque est hominum, quos non teneat aliud atque aliud tanquam in Panegyri malorum infortunium? Ut sapienter Solon

pro-

protulerit : Si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum acervo portionem non suam ferre mallent ; ut ait Valerius, lib. 7. cap. 2.

Superlata, &c. Priscianus superlativas sententias vocat : ut

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, &c.

Infirmius nihil, &c. Versus Homeri est :

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

Quem Erasmus in proverbio, *Homo bulla est*, ita transtulit : Nihil homine enutrit tellus in- *Homo*
firmius alma. Catanæus : *bulla.*

Debilius nil terra facit mortalibus ipsis.

Glaucus Iliad. 6. verè loquitur in hanc sententiam: Tale genus est hominum, quale foliorum, &c.

Indignum Theognidi, &c. Nomen est poëtæ Græci, cujus (ut Tertullianus ait) sæpe memenit in legibus Plato. Et Erasmus in proverbio, *Optimum, non nasci* : carmen hoc ejus citat.

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον.

Idem proverbiali figurâ dixit :

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος.

Qui vitam in miseria, &c. Hoc argumentum & styli & ingenii exercendi causa tractari solet, non ut paupertati (quæ juxta proverbium sapientiam sortita est) suspendio sit arbor deligenda; aut desiliendum à quinque scopulis, vel rupibus, in undam. Verius est, quod S. Chrysost. in Epist. ad Hebræos scriptum reliquit : Paupertas est manuductrix in via, quæ ducit ad cœlum. Sed hoc malum in-

influxit humanis mentibus, ut honori sit pecunia, & nemo, nisi dives, honore dignus habeatur. ut ait S. Ambrosius 2. Offic. c. 21.

Nequit exerceri ad virtutem, &c. Etenim, ut Juvenal. Satyr. 3. inquit:

Haut facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Et Satyr. 7.

-- Neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere sana
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
Corpus eget.

Paupertas.

Quippe (ut Aristot. 1. Ethic. inquit) fieri non potest, aut non facilè fit, ut is agat res præclaras, cui facultates desunt. Multa namque per amicos, per divitias, per civilem potentiam, tanquam per instrumenta aguntur. Et in decimo scribit, sapientem & justum rebus his indigere, quæ necessariæ sunt ad vitam. Idem (ut Laërtius Diogenes scribit, libro de Vita Philosophorum quinto) dixit: Virtutem ad beatam vitam sibi maximè sufficere; quippe corporis bonis, exterioribusque indigere.

Improbissima faciet, &c. Unde Horat. in Odis, lib. 3. Oda 24.

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ.

Mantuanus in Bucolicis:

Pauperies inimica bonis est moribus: omne
Labitur in vitium: culpæ, scelerumque, ministra est.

Pecunia corrumpetur, &c. Sed hæc sunt exercitii gratiâ dicta, cum è contrario divitiæ malorum sint irritamenta, stimulos majores subdant,

mùm admiratione, deinde & amore captam. Poſtremò amorem conſuetudine mutuâ adeò confirmatum, ut cùm Æneam aliò vocantibus rebus perſequi non liceret, amoris impatientiâ furere inciperet, ſeque ipſa interimeret. Quid, obſecro, apertius probabiliusque narrari poſſet? Quid omnino eſt in toto hoc narrationis contextu tale, quale in fictis argumentis eſſe ſolet? Cohærent omnia, uſitata ſunt omnia, & jam multis conſimilibus exemplis probabilia. Nec ullum eſt verbum, quod mendacii ſuſpicionem facere poſſit. Conſtat enim, Trojâ captâ, Æneæ unà cum ſociis domo profugi claſſem mari ſurſum ac deorſum jactatam. Conſtat, Didonem fratris iram fugientem in Africam veniſſe, Carthaginem condidiſſe, regnum novum inſtituiſſe. Et quid novi, ſi regina ſimilibus caſibus jactata profugum Æneam hoſpitio excepit? Si tanti Herois virtutes, tum ex ipſius formæ dignitate, tum verborum gravitate, mirata eſt? Si quem admirabatur, ejus etiam amore paullatim ardere cœpit? Primùm mulier annis pariter & corpore virens? Deinde regalis luxus ſtrepitu laſciva; & cui, quod libuit, etiam licuit? Poſtremò guſtatæ quondam genialis dulcedinis deſiderio, jam dudum æſtuans, ac maritum ſibi deſtinans? Ipſe muliebris ſexus per ſe infirmus, naturâ ſuâ lubricus eſt, & cùm aliis affectibus, tum verò maximè amoribus eſt obnoxius. Nam ii, quanquam triſtem fere exitum habent, tamen cùm ad ſe homines incautos invitant, primâ ſpecie mirum quantum ſuavitatis, quantum deliciarum, quantum mellis pollicentur. Et quid attinet hîc exempla com-

memorare multorum, quæ non, ut Dido, ignoscendo, sed illiberali planè, & pudendo amore superatæ sunt? Quis nescit, Pasiphaën, Cretensis Regis filiam, Tauri amore correptam insanivisse; Quis ignorat, Clytæmnestram Ægisthi adulteri amore pollui, quàm Agamemnonis mariti laudatissimi principis triumphalem reditum exspectare maluisse? Et credibile non erit, Didonem, ab omni parentum ac maritali jure liberam, Reginam luxu barbarico diffluentem, Æneæ regii hospitis amore tactam fuisse? Sed datis, Æneam Carthaginem appulisse, hospitio Didonis usum, Didonem hospitis amore inflammatam. At flammæ ejus tantam vim non fuisse, ut cum Ænea suo potiri illa ampliùs non posset, tum vim ipsa sibi attulerit: hoc verò incredibile vobis videtur? Quasi verò non sit tantus amoris furor, ut ad moriendum viros etiam compellat, nedum feminas. An non audistis, Herculem ipsum, fortissimum Heroëm, quo nomine in Deorum numerum à superstitiosa antiquitate positus est, amoris impatientiâ incendium sibi ipsi struxisse? Et qui affectus fortissimum viri pectus expugnavit, feminam ad suam ipsius necem adigere non poterit? Vanum autem sit hoc exemplum, nisi minores etiam affectus hoc à viris sapientiæ opinione clarissimis impetrarunt. Quis inter Philosophos laudatior Aristotele? At is cùm, quamobrem toties se reciprocaret Euripus, invenire desperasset, ipso desperationis mœrore scribitur exstinctus. Quot autem nobiles Romani gloriæ studio mortem voluntariam suscepere? Non Cato Uticensis superatarum partium ignominiâ ad suam ipsius cædem impulsus est?

Amoris furor.

est? non Lucretia, ereptæ pudicitiæ dolore, ferrum in se ipsa defixit? Quid autem quòd & levissimi affectus, nempe gaudii immoderatus sensus, matronas aliquot Romanas exstinxit? Credendum est enim incorruptis Titi Livii gravissimi rerum humanarum scriptoris monumentis. Quod ergo viris & fortitudinis, & sapientiæ gloriâ spectatissimis leviores animorum motus extorserunt, hoc vehementissimus omnium affectuum amor non efficiet? Quis ita desipiet, ut hoc credat? Quis non audit vulgò jactari proverbium, Amanti nihil esse difficile? Quis non videt, hac causa cæcum pingi Cupidinem, quòd qui hujus sagittis sunt saucii, sine sensu vel mortis vivant, nihil revereantur, neque parentes neque amicos, nihil exhorreant, neque infamiæ probra, neque vitæ pericula, sed cæcorum more ipsi se præcipitent? Sed enim poëta fuit Virgilius, & vulgare est, poëtas fingere omnia. Ridiculum verò, non quid, sed à quo quid dicatur, attendere, perinde ac si dictorum factorumque veritas à dicentium scribentiumve persona pendeat. Poëtam esse Virgilium, non negamus: sed nihil veri ab eo scriptum esse, hoc verò contendere, magna est impudentia. Quid enim eorum, quæ in Æneæ sui clypeo de Romanis expressit, vanum est? Neque si aliquoties fictis imaginibus veritatem adumbrant poëtæ, propterea & quicquid versu scribitur, pro ficto habendum est. Alioqui si versuum mensura non nisi mendaciis adhibetur, quid faciemus Empedocli, quid Lucretio, qui rerum naturas versibus sunt prosecuti? Quid Lucano belli civilis historiam Hexametris numeris canenti! Imò quid Da-

Cupido cur cæcus pingatur.

vidi, & quibusdam aliis, qui divino ſpiritu afflati, divinæ ſapientiæ arcana vario carminum genere contexuêre? Errant ergo qui veri fidem poëtis detrahunt, in primis Virgilio, ut quem cùm alia multa, tum quæ de Didonis amore commemorat, veriſſimè tradidiſſe, poſthac non niſi impudentiſſimus negare poſſit quisquam.

ALIVD CONFIRMATIONIS *exemplum.*

ARGVMENTVM.

Arion. *Verum eſſe, quod Herodotus ſcripſit; Arionem, fidicinem, à delphino Tænarum devectum.*

Exordiũ ab autoris laude. Iniquus rerum æſtimator, & ad faciendam injuriam natus videri poteſt, qui mendacii coarguere audeat Herodotum. Cujus hiſtoriæ magna ſemper cum voluptate atque commodo ſunt lectæ. Quem dulcem & candidum accerrimi vir judicii Quintilianus prædicat. *Lib. 10. cap. 1.* Hujus vel unius cenſuram longè pluris, quàm iniqua multorum Zoilorum judicia facere meritò debent omnes ſtudioſi, & credere, omnia, quæ memoriæ prodiderit Herodotus, ut candidiſſima, ſic veriſſima eſſe, maximè quæ ſuper Arione conſcripſerit.

Citharœdum Arionem multas arte muſicâ divitias contraxiſſe memorat; eumque ab inhiantibus prædæ naútis Corinthiis in mare deſilire compulſum, ceciniſſe. *Ab expoſitione.* Præcipitem autem datum, à delphino exceptum, & cum pretioſis veſtimentis, atque citharâ, ſalvum in terram Laçonicam devectum.

Satis

Satis admirari non queo, tam obtusi quempiam ingenii esse, cui subobscurum videatur, Citharœdum ditari; maximè eum, qui in summo precio habitus, ob singularem artis Musicæ cognitionem, oculos omnium in se converterit; qui non deliciis diffluens, nec prodigus, sed virtutis studiosus fuerit, amans patriæ, & amicorum, ad quos redire, ut copiâ suâ illorum inopiam sublevaret, decreverat. Et electro pellucentius est, nautas hominum ejusmodi sentinam esse, qui lucri gratiâ omnium facinorum genera patrare non exhorrescant. Delphinos autem placidissimos hominum amore capi, atque gestatores peramico vehendi studio patienter hominem adscensorem ferre, non est novum, nec obscurum. Nam & Athenæus refert, dilectum à delphino puerum, qui, ubi cum aliis ex palæstra ad mare processisset, natabat: natanti autem ex pelago delphinus occurrebat, & dorso susceptum in altum ferebat, deinde continenti restituebat. Et Pausanias lib. 1. memorat; Melicertam, in mare cadentem, susceptum à delphino, & vectum usque ad Corinthiacum Isthmum. Hæc si cui nondum aperta satis videbuntur, paullo pòst adjiciam quibus intelliget longè planiora facta.

A manifesto.

Nautæ naturâ sceleratissimi.

Atqui non versimile est, (inquiunt) hominem in supremo capitis periculo, summoque luctu canere potuisse. Sed ignorant stolidi, virum (qualis sine controversiâ fuit Arion) sapientem, nullis adversis casibus succumbere, nec animum despondere, sed omnia fortunæ truculentioris ludibria, veluti jocos meros, ac ludos, æstimare solitum. ut non immeritò Horatius dixerit:

A credibili.

Ad summum sapiens, uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent,
Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus.

Cur igitur à fide alienum videatur, adversitatis tempore talem Arionem apparuisse, qualis fuerit prospero? Cur non verisimile sit, in mortis contemtu se, velut ad nuptiales epulas iturum, vestimento exornasse, cecinisse item voce lætâ, quo viri fortioris intrepidum animum declararet? Imbutus philosophico studio, didicit, mortem non fore timendam, nec malam putandam, quam bona vita præcessisset. Arridebat exemplum Socratis, qui moriens etiam jocatus est. Nam cùm frigerent ei præcordia, Debemus, inquit, ô Crito, gallum Æsculapio. perinde quasi sumpta potione medicâ convaluisset.

A possibili. Sed quo pacto fieri potuit (inquiunt) ut à bellua & eadem velocissima, potuerit per fluctuum procellas deportari? Memorabilium cunctarum rerum expertes viri nimis ignorant, dorsum delphini repandum esse, quo veluti receptaculo Arionem à procellarum impetu atque impulsu tutum consedisse. Ignorant, delphinum, non tantùm hominis amicum animal, verùm & Musicâ arte mulceri symphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli sono capi. Hominem non expavescit ut alienum, pro voce gemitus humano similis, obviam navigiis venit, alludit exsultans, certat etiam, & quamvis plena præterit vela. Divo Augusto prin-

principe, Lucrinum lacum invectus delphinus, pauperis cujusdam puerum ex Bajano Puteolos in ludum literarium itantem, cùm meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine sæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit: quocunque dici tempore inclamatus à puero (quamvis occultus, atque abditus) ex imò advolabat, pastusque è manu præbebat adscensuro dorsum, pennæ aculeos velut vaginâ condens, receptumque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat. Simili modo revehens pluribus annis, donec morbo exstincto puero subinde ad consuetum locum ventitans, tristis, & mœrenti similis, ipse quoque (quod nemo dubitabit) desiderio exspiravit. Alius in Africo littore Hipponis Diarrhyti simili modo ex hominum manibus vescens, ferensque se tractandum, & alludens natantibus, impositosque portans, unguento peruntus à Faviano Proconsule Africæ, & sopitus, ut apparuit, odoris novitate, fluctuatusque similis exanimi, caruit hominum conversatione, ut injuriâ fugatus, per aliquot menses: mox reversus, in eodem miraculo fuit. Similia de puero in Iasso urbe Cariæ memorantur, cujus amore captus delphinus, dum abeuntem in littus avidius sequitur, in arenam invectus, exspiravit. Puerum Alexander Magnus Babylone Neptuni sacerdotio præfecit, amorem illum numinis propitii fuisse interpretatus. In eadem urbe Iasso Egesidemus scribit, & alium puerum, Hermiam nomine, similiter maria perequitantem (cum repentinæ procellæ fluctibus exanimatus esset) relatum, delphinumque causam leti faten-

tem, non reversum in maria, atque in sicco exspirasse. Hoc idem & Naupacti accidisse, Theophrastus tradit. Nec modus exemplorum. Eadem Amphilochii & Tarentini de pueris delphinisque narrant. Quæ faciunt, ut credatur, esse possibile, Arionem, citharœdicæ artis peritissimum, interficere eum nautis in mari parantibus ad intercipiendos ejus quæstus, eblanditum, ut priùs caneret citharâ: congregatis cantu delphinis, cum se jecisset in mare, exceptum ab uno, Tænarumque in littus pervectum; ut ait Plinius, libro 9, cap. 1. Plura apud Plinium, libro Epistolarum 9. ad Caninium. Eadem habet Gellius, libro 7. cap. 8.

A consequenti. Quare non hiulca, nec dissoluta videantur Herodoti scripta, veluti pulverem, ut aiunt, oculis offundentia, quibus asserit, infracti pectoris Arionem in summo discrimine rerum cecinisse, præclarumque virtutis suæ specimen atque documentum dedisse: A musices item amatore delphino citharœdum per maria vectum, incolumemque conservatum.

A decoro. Jam inter vehendum quid magis Arionem decere potuisset, quàm grati animi specimen exhibere, atque animalium amicissimum homini vectorem dulcedine cantûs oblectare? Et quid delphino magis convenire, quàm, quòd cum hominibus habere gaudet amicitiæ fœdus, ipsis rebus comprobare, officioque vehendi gratiam, quàm optimè novit atque potuit, referre? Testimonio sit Cœranus ille Milesius, qui delphinum à piscatoribus captum, jam interficiendum precio redemtum, mari reddidit. Postea navi, in qua Cœranus erat, submersâ, & omnibus necatis, ab eodem

dem delphino conſervatus fuit. Deinde illo in patria Mileto mortuo, ac in littus elato, delphinorum agmen apparuit non procul, tanquam funeri præſens, & opem laturum; ut ſcribit Athenæus.

Quodſi præſentis hiſtoriæ memoratu digniſſimæ nullus alius eſſet uſus, aut commoditas; tamen magna ſatis illa, quòd non ſolùm minimarum, verùm etiam maximarum beſtiarum naturas ſcrutati nos diſceremus ipſum rerum conditorem Deum Opt. Max. in ſuis operibus admirari, atque in mirabilibus ejus exercitiis glorificare. Etenim, cui tam Bœotica (quod aiunt) auris eſt, vel ingenium, qui contemplatus formicarum, aut apum naturas, non admiretur ipſum Creatorem? Et qui conſiderans docilitatem, clementiam, & intellectum in elephantis, atque delphinis, non rapiatur ad Dei omnium productoris obſervantiam? Deinde judicii ſanioris adoleſcens, cum perpenderit tantam in beſtiis manſuetudinem, ſtatim colliget, ſe, cùm homo ſit, humanitate ſingulari præditum, hominemque non homini lupum eſſe debere, ſecum reputando, cætera animantia rationis expertia non tantùm in ſuo genere probè vivere, ſed etiam diſſimili tantam benevolentiam exhibere. At (quod turpe relatu) nulla rabies major, quàm hominis. Bruta congregari videmus aliquando, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat. Serpentum morſus non petit ſerpentem. At hercule plurima homini ſunt ex homine mala, ut Plinius ait lib. 7. *Ab utili.*

Finem dicendi faciam, nihil ambigens, quin apud omnes veritatis, rerumque memo- *Concluſio.*

rabilium studiosos, Herodoti scripta sacrosancta, velut Apollinis oracula sint futura.

ALIVD CONFIRMATIONIS *exemplum.*

ARGVMENTVM.

Verum esse, cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.

Exordium à laude. Cùm in Poëtis Numen quoddam effulgeat, & eorum spiritus sedibus æthereis veniat; quis tam impudens vitilitigator, qui maledictis audeat illos proscindere, divinosque homines Theonino dente mordere? Ego certè vates ut sacros veneror, & exosculor eorum scripta, maximè quæ memoriæ prodiderunt de Elpenore.

Ab expositione. Quam pulcherrimo veritatis involucro finxerunt, unum sociorum Ulyssis in porcum à Circe per pocula transformatum!

A manifesto. Et puero perspicuum est, καὶ τυφλῷ δῆλον, id est, & cæco clarum, belluinis moribus ac ingenio ferino præditos homines, ab omni humanitate atque ratione vacuos, in brutorum animalium naturas transire.

A credibili. Ratio præstantissima hominis pars est: atque lumen unicum. Quam si libido vel ebrietas exstinxerit, quid aliud, quæso, nisi sub humana specie latitans Epicuri de grege porcus, relinquetur? *A possibili.* Etenim in pecudum, ferarumque animalium numero habetur, quisquis est ferinis voluptatibus prævinctus.

Vinum dolosus luctator. Cum dolosus luctator vinum non modò pedes soleat constringere, sed etiam omnes animi vigores profligare, atque mente captos tenere, ut ab antiquis significantissimo vocabulo *Temetum enim ex*

bulo temetum sit appellatum; Præterea cum animi, clavo cupidinis transfixi, rationis omnis expertes evadant; Cur, quæso, Elpenor, ad pocula & libidinem proclivis, sub hominis figura porcus, hoc est, ratione carens animal, esse non potuit? *eo appellatum est, quod tentet atq; labefactet mentem.*

Sus gaudet volutabro luti; fœdus, ut Elpenor, homo voluptates belluinas sectatur, ac porcinam vorandi aviditatem, cumque Philoxeno gruis collum exoptat. Vide Gellium, lib. 19. cap. 2. *A cohærenti.*

Porci natura maximè quadrat in libidinosos & ebriosos, quos proverbio porcos Acarnanios vocant; qui, sensus tantùm cum bestiis communes habent, in pecudes suâ sponte conversi per libidinem, &, quam Seneca vocat insaniam voluntariam, ebrietatem. *A decenti.*

Jam, quæ commoditas ex præclaro isto Poëtarum figmento promanet, audi. Elpenor in pecudem transformatus monet omnes bonarum literarum atque virtutis studiosos, ut pocula Circes, hoc est, voluptatis illecebras, tanquam nocentissimam pestem fugiant, ac ipsum Elpenora, non secus atque Helotarum Spartiatarum unum, detestantes, turpissima libidinis & ebrietatis crimina devitent, illud Virgilii semper fixum in pectoribus habentes. *A consequenti.*

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum:
Ne te muneribus perdat uterque suis.

Merito igitur honore prosequi debemus, ut alia, sic præsentia de Elpenore scripta Poëtarum; quos non injuria sacros, & Divûm curam, Ovidius appellavit. *Epilogus.*

Exempla variis ex auctoribus multa con-

ſimilia, & ingenii & ſtyli exercendi gratiâ poteris colligere, atque juxta præſcriptos ab Aphthonio locos tractare. Vt, Verum eſſe, quòd Horatius Cocles, armorum pondere gravatus, Tyberim tranaverit. Cujus meminit Livius, lib. 2. ab urbe C. Valerius, lib. 3. cap. 2. Item, Verum eſſe, quòd M. Valerius Corvinus pugnæ victoriam auxilio corvi obtinuerit. De quo Livius ab urbe C. ſeptimo, Valerius, lib. 8. cap. 16. Gellius, lib. 9. cap. 11. Vel etiam, falſum eſſe, ex Quintiliano, lib. 2. cap. 4.

DE LOCO COMMVNI, qui Κοινὸς τόπος.

Cap. VII.

Locus communis, eſt oratio bona, aut mala, quæ alicui inſunt, augmentans. Dictus autem eſt communis; quod omnibus, qui ejus rei, de qua agitur, participes ſunt, communiter conveniat, atque congruat. Oratio enim in proditorem omnibus in commune proditioni obnoxiis aptatur. Deuterologiæ, id eſt, argumentationi jam peractæ, & epilogo, ſimilis eſt. Quare locus communis non habet procemium, attamen, juniorum exercendorum cauſa, quandam procemii formam licebit fingere; cui ſubdere capita, primùm ex contrario, hinc rei expoſitionem, non tanquam docens, (res enim nota eſt,) ſed ut auditorem incites, aut exaſperes; poſt hanc afferes comparationem, qua ex collatione id de quo agitur, in majus extollas. Poſtmodum collocabis ſententiam, vel mentem, caput ſic vocatum, exprobrans, aut calumnians agentis intentionem. Deinde conjectu-

rali

rali digressione vitam præteritam in criminum suspicionem devocabis: deinde misericordiæ exclusionem. In fine autem hujus praexercitionis pones capita finalia:

Legitimum,
Iustum,
Vtile,
Possibile,
Honestum,
Eventurum.

Exemplum Loci Communis contra tyrannidis affectatorem. Cujus procemium primum tale est.

Quemadmodum legibus constitutum est, ipsaque apud nos judicia censuerunt, Legibus pœnas luat iis, cujus scelere leges nullæ fuerant amplius permansuræ. Quodsi præsenti liberatus supplicio, foret æquabiliorem sese præbiturus, aut vitam popularem ducturus, illi forsitan aliquis pœnam remittere posset: cum verò elapsus in præsentia sit longè violentior evasurus, injustum certè fuerit, insecuturæ tyrannidis initium præsenti delicto condonari.

Secundi Procemii Forma.

Ex aliorum absolutione reorum non magnum fortasse judicibus periculum fuerit emersurum: Verùm si Tyrannus abierit impunitus, certum est, ad ipsos Iudices præcipuum discrimen devolutum iri, quos cum ipsis legibus è medio tollent potientes rerum Tyranni.

Videmini autem mihi, Iudices, in ejus solùm, *A contrario.*

quod in præsentia est, contemplatione mentem habere defixam, virtutis, severitatisque majorum nostrorum obliti: quorum justius erat reputare, animoque proponere sententiam, qui nobis velut maximum, incomparabileque munus, Remp. omni damnatione vacuam, solutamque, reliquerunt. Optimè quidem illi atque rectissimè. Quando enim fortuna ipsa varietate suâ inconstantem se, diversamque hominibus præbet; proinde mentes quoque hominum ad rectè secusque agendum multiplici flexu trahuntur. Hinc inæqualitati fortunæ legum æqualitatem opposuerunt, institueruntque Rempubl. velut unam civium omnium sententiam facientes, ut fortunam, nunc prementem res cujusque, nunc extollentem, legum constantia æquaret, esšetque in civitatibus lex correctio malorum, quæ fortuna patrasset.

Ab expositione. *Cujus iste aut immemor, aut contemtor potiùs, scelestissimo secum consilio instituit, ut Rempublicam deleret, taliaque secum disserebat: Quorsum hos ergo, per Deos immortales? Supra omnes positus omnibus me patiar æquari? Frustraque permitto cumulare divitias mihi fortunam, si eadem quæ vulgus faciam? eadem feram? & quod collecti pauperes judicant, quodque multis videtur, id mihi tanquam lex observandum erit? Quousque ergo hæc? Quis modus erit, aut horum quæ liberatio? Occupabo arcem, & pessimè perituras longè abigam leges, eroque reliquis ego lex potius, quàm reliqui mihi. Hæc ipse secum revolvebat, nondum verò votorum suorum finem assecutus: obstitit enim benevolentia Deorum. Quid ergo? non iniquissimum est, si propter ea, quæ frustra conatus est, summam Diis gratiam debemus, propter eadem hæc hunc hodie conservari?*

Scele-

Sceleratus est homicida; sceleratior tamen multo Tyrannus. Ille enim unum, quisquis is fuerit, perimit: hic verò totas convellit civitatis fortunas. Quanto ergo minus est, parum offendere aut unum necare, quàm omneis occidere: tanto minus est homicidæ malum, quàm atrox Tyranni crimen. *A comparatione.*

In aliis autem reis evenit plerumque, ut tametsi gravißima admiserint, mentem eximant delicto, animoque defendantur. Solus autem Tyrannus fiduciam non habet, ut invitum se dicere queat tantum scelus suscepisse. Itaque si invitus tyrannidem fuisset aggressus, esset fortasse ratio aliqua hujus ipsum conatus absolvendi. Verùm cùm ante rem attentatam ipse multum secum diuque deliberaverit, quomodo justum cuiquam videtur, culpâ carere ipsum, qui ante opera, mente quoque factus est Tyrannus? *A sententia.*

Alii ergo, quicunque in jus vocantur rei, præsentis solùm criminis rationem reposcuntur, & propter prioris vitæ rectè facta sæpiùs absolvuntur, præsentibusque delictis ignoscitur. Solus verò Tyrannus utriusque temporis judicium subeat oportet. Liquet enim quàm immoderatè vitam præteritam & quàm crudeliter præsentem exegerit ipse. Itaque utrorumque det pœnas, & eorum quæ ante, & eorum quæ præsentis sceleris conatu deliquit. *A digreßione in conjecturalem causam.*

Libet autem videre, cujus preces præsenti ipsum discrimini sint exemturæ. Liberi nempe. Verùm cùm supplicantes vobis, flentesque illos videbitis, putate, vobis aßistere leges, quarum vos respectu moveri multo rectius est, quàm liberorum ipsius. Illis enim speratæ dominationis fuerat relicturus hæredes: leges verò, quòd judicandi, decernendique de ipso potestatem habetis, præstant. *Ab exclusione misericordiæ.*

præstant. Itaque per quas, quòd judices estis, vobis datur, pro eis justius fuerit vos sententiam ferre.

A legitimo. *Si enim rectè leges jubent, eos, qui patriam in libertatem asserunt, honoribus afficiendos esse; necessariò relinquitur, eos, qui in servitutem redigere conantur, esse puniendos.*

A justo. *Iustum autem est, ut tantum vobis det pœnarum, quantum ipse scelera admisit.*

Ab utili. *Quodsi Tyrannus occubuerit, id magno vobis usui futurum est. Quoniam firma præstructio confirmandi leges erit.*

A facili & possibili. *Facile autem & expeditum erit, de ipso sumere supplicium. Neque enim, quemadmodum ipse ad asserendam tyrannidem satellitibus; ita vos ad opprimendum ipsum, auxiliis opus habetis. Sed sufficiat (judices) sola vestra sententia: cujus cùm à Republica jus potestatemque acceperitis, pulcherrimum quoque erit, pro Reipublicæ salute ipsam experiri.*

Conclusio ab eventuro. *Qua facili cognitione totam hanc præsentem tyrannidis potestatem auferetis.*

SCHOLIA.

Locus communis, &c. Principiò loci communes sunt, quas rerum formas appellant, quæ fere in usum rerum humanarum & literarum cadunt: ut, fortuna, opes, honores, vita, mors, virtus, prudentia, justitia, liberalitas, temperantia, & his contraria, ut ait Melanchthon, 1. Rhetoricorum. De quorum usu optimè scripserunt, Rodolphus Agricola, in epistola de ratione studii; & Erasmus, secundo Copiæ.

Sunt item alia, quæ in causis à defensoribus,

ribus, alia ab accuſatoribus communiter tractantur. Horum locus communis, Augere peccati atrocitatem ; & dicere, Malorum non oportere miſereri: Illorum miſericordiam captare, & illata crimina extenuare.

Item: communes loci cùm accuſatorum, tum defenſorum : A teſtibus contrà teſtes ; à quæſtionibus contra quæſtiones ; ab argumentis, à rumoribus ; & contrà. De quibus Cicero ad Herenn. 3. Georgius Trapezuntius Rhet. 2.

Item: communes loci (de quibus potiſſimùm Aphthonius loquitur) ſunt, quibus citra perſonas in ipſa vitia moris erat perorare ; ut in adulterum, aleatorem, peculatorem. ut ait Quintilianus lib. 2. cap. 4.

Communes autem dicti ſunt ideo, quia quamvis contra hunc aut illum dici videantur, tamen ad univerſos criminis reos efferantur neceſſe eſt ; ut ait Trapezuntius.

Augmentans, &c. Hoc eſt, per locum communem amplificamus vel augemus virtutes, quæ bonis ; vel crimina, quæ ſceleratis inſunt: illis per conqueſtionem miſericordia captatur, his peccatorum atrocitas exaugetur. Quod quibus rationibus fieri debeat, oſtendit Cicero in fine libri 2. ad Herennium.

Deuterologiæ, &c. Agricola ſecundam orationem reddidit. Quoniam locus communis poſt accuſatorum argumentationes, quibus primò noxii manifeſtantur, & convicti ſuppliciis digni relinquuntur, ſolet tractari. Unde Quintilianus ait, ex mediis judiciis eſſe. Et Priſcianus ita definit : Locus communis exaggerationem habet manifeſtæ rei, quaſi ex argumentationibus jam peractis. Non enim

Lib. 2. cap. 4.

enim quærimus in hoc, An iſte ſacrilegus, vel vir fortis ſit? ſed rei convictæ, & manifeſtæ exaggerationem facimus, cui tamen legibus ſupplicium ſit definitum, vel præmium. Rodolphus Agricola lib.2. cap.14. Loci communes, inquit, ut Rhetores vocant, non ſunt aliud, quàm majores ratiocinationum propoſitiones, ut quæ in proditorem, in veneficum, adulterum, ſicarium dicuntur. Cùm volumus enim probare, Cælium damnandum; oſtendimus, veneficum eſſe: quod ubi explicatum eſt, quid reſtat aliud, quod ratiocinationi deſit, niſi major? Veneficus eſt damnandus.

Epilogo ſimilis, &c. In Concluſione præter Enumerationem ſunt Amplificatio & Commiſerátio. Illa per locos præſcriptos à Cicerone communes, inſtigationis auditorum, augendique criminis cauſa, ſumitùr: Hac item per locos ſuos commovetur miſericordiâ animus auditoris. Ergo concluſioni ſimilis eſt locus communis, quem item bonorum & malorum, quæ alicui inſunt, nos amplificativum ſermonem appellamus, λόγον αὐξητικὸν Græci.

Res enim notæ ſunt, &c. Hoc eſt, poſtquam forma quædam procemii fuerit poſita, & à contrario locus, tum ſubjunges ἔκθεσιν, id eſt, expoſitionem, ut auditorem in odium maleficii rapias: ac inſtiges, non probes, nec doceas rei declaratum antea crimen.

In majus extollas, &c. Hoc eſt, flagitium, in quod fueris invectus, oſtendes longè gravius eſſe, atque atrocius, illo cum quo contuleris, ut ſacrilegum peculatore deteriorem.

Senten-

Sententiam, vel mentem, &c. Sententiam veteres, quod animo ſenſiſſent, ut ſupra dictum eſt, vocaverunt; Græci γνώμην appellant. Quod conſilium mente conceptum atque voluntatem quoque ſignificat. Vult igitur Aphthonius, ut aperiamus, quo animo, vel rationis impulſu, & quibus conſiliis reus ad maleficium acceſſerit.

Conjecturali, &c. Conjecturam à conjectu, id eſt, directione quadam rationis ad veritatem, appellatam, ait Quintilianus, lib. 3. cap. 7. Hinc *Conjecturalis* cauſa, cujus Cicero ponit ſex partes. Et primam vocat argumentationem probabilem, dividitque in cauſam, & in vitam; illa ratiocinationem, hæc ex antè factis ſuſpiciones adminiſtrat. *Conjecturalis.* *Conjecturalis cauſa.*

Miſericordiæ excluſionem, &c. Ἐλέου ἐκβολήν. Amovendam ait miſericordiam eſſe, & neminem juſtum oportere malorum miſereri.

Leges nullæ, &c. Tyranni periphraſis eſt, in quem præſens hic locus communis eſt inſtitutus. Verùm Tyrannus olim dicebatur fortis, & dominus bonus, plenam in ſubditos poteſtatem habens. Unde Virgilius in 7. Æneam ſuum (quem pium ſemper eſſe voluit) Tyrannum dixit, inquiens:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe Tyranni.

Poſtea viribus imperii per ſuperbiam cœperunt abuti. Unde *tyranni* nomen ad eos reſtrictum eſt, qui per inſolentiam abutuntur imperiis, & Rempub. opprimunt, rediguntque in ſervitutem. Cum his, inquit Cicero Offic. 3. nulla nobis eſt ſocietas: ſed potiùs ſumma diſtractio. Omne hoc genus peſtiferum

rum atque impium ex hominum communitate exterminandum est,&c. Idem 11. Philippic. Satis est viris fortibus,didicisse, quàm sit pulchrum, beneficio gratum, famâ gloriosum, tyrannum occidere. Idem pro Milone: Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui Tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis, quæ aliis in urbibus Græciæ; quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmina? Propè ad immortalitatem, & religionem, & memoriam consecrantur, &c. Præterea lex olim erat: Tyrannicidæ imago in gymnasio ponatur. Cujus meminit Quintil. lib. 7. cap. 8.

Videmini, &c. Aphthonius: Δοκεῖτε δέ μοι μᾶλλον περὶ τῆς τοῦ παρόντος διανοίας ἀκριβέστερον κρίνειν, εἰ τὰς τῶν προγόνων λογιεῖσθε γνώμας.

Longè (inquit) diligentiùs, & exactiùs (mea sententia) judicaretis in re præsenti, si majorum nostrorum judicia ante oculos vestros ponere velletis. Judices nimium indulgentes ac remissos arguit. Majores autem è contrario diligentiores asserit enituisse. Illos pati Rempub. opprimi; hos in libertatem adseruisse, & legum justiciam opposuisse injustis fortunæ impulsibus ad maleficia. Est enim locus à contrario.

Fortuna. Hinc illud Hor. l.3. car. od. 29. Fortuna sævo lata

Fortuna varietate sua, &c. Fortuna potens, ac variabilis appellatur à Virgilio: quam Deam veteres arbitrati, in tota ratione mortalium solam utramque paginam facere credebant; & omnes casus humanos adsignabant illi, ut hominum mentes impellenti, nunc ad maleficia, nunc ad virtutum studia. Unde Q. Cur. lib. 3. de rebus Alexandri, inquit,

quit, Etiam naturam plerumque fortuna corrumpit. Et lib.8. Quis negat, eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ, quàm virtutis esse beneficium? Hinc Aphthonius ait, prudenter à majoribus institutum, ut leges decernerent malis pœnas, bonis autem præmia virtutis.

negotio, Ludum insolentem ludere pertinax, Transmutat incertos honores, &c.

Attentatam rem, &c. Id est, Misericordiam Tyrannus mereretur, si peccasset imprudenter & inconsultò: sed cum factus sit studiose, atque deditâ operâ tyrannus; erit puniendus: voluntario enim crimini nulla debet esse veniæ spes, nec ignoscendi facultas parata.

Invitum se dicere, &c. Hoc est, crimini suo nihil poterit prætexere, non dicere, quòd invitus, vel per imprudentiam scelus susceperit. Et in Testamento veteri legimus, iis urbem profugii paratam fuisse, qui nescientes aliquem percussissent: ut si ferrum in sylva manum succidentis ligna fugerit, & occiderit hominem. Deut 19.

Liberorum ipsius, &c. Hoc est; filiorum atque filiarum. Vide Gellium, lib. 2. cap. 13.

Quorum respectu moveri, &c. τὴν ψῆφον ἐπενεγκεῖν, id est, suffragia ferre. Multo justius est, (inquit) pro legibus suffragia ferre, easque defendere, quàm tyrannorum liberos favore prosequi. Illarum enim beneficio justitia floret, & Judices liberè sententiam pronunciant; sed horum maleficio cum Judicibus æquitas è medio tollitur.

LOCUS COMMUNIS
in villarum ac urbium incensores.

EXORDIUM.

Hominum impiorum nulli gravioribus ſuppliciis afficiendi ſunt, quàm ii, quorum maleficio contingit, ut funditus per incendia pereat, quod à juſtitia ſuum unicuique fuit attributum.

A contrario. Quorſum attineret, Deorum clementiâ datas eſſe facultates; ſi liceret impunè maleficis eas per crudeliſſima ſcelera tollere, vel omnino flammis abolere?

Ab expoſitione. Quid in rerum natura poterit atrocius eſſe, quàm omnia loca miſerabilibus lamentis, cunctaſque domos ejulationibus querulis complere, urbes incenſionibus, internecione cives, vaſtitate regiones, ruinâ crudeliſſimâ Reſpublicas perdere; & breviter, omnia, quibus humana vita carere non poteſt, flammis abſumere?

A comparatione. Quibus longè mitiores ſunt fures, aut ſicarii. Hi unius atque alterius bona diripiunt, aut rerum inopiâ protruſi, unum aliquem occidunt: at Reſpub. omnes evertunt, & univerſa tollunt è medio.

A ſententia. Facinori voluntario nulla eſſe debet parata excuſatio; imprudentiæ juſta eſt deprecatio. Nullâ igitur veniâ digni ſunt iſti, qui conſulto maleficia ſuſceperunt, ac ſuâ ſponte omnia immaniter exuſſerunt ſolâ nocendi libidine, & perverſitate mentis impulſi.

A conjecturali digreſſione. Cùm vitam præteritam adeò turpiter exegerint, ut nulla ſpes melioris ſit inſequentis; Judices, injuſtè facietis, ſi eos dimiſeritis.

Quippe

Quippe vix unquam ad bonam frugem perventuri ſunt, quos ad omnia flagitiorum genera rapuit aſſidua peccandi conſuetudo.

Quis poterit iſtorum miſereri, quos non publicus luctus ad miſericordiam traxit; non tot matronarum ac puerorum ejulatus flexêre; non tot virorum ſingultus atque calamitates maximæ promovere, nedum à teterrimo crimine potuerunt deterrere? *Ab excluſione miſericordiæ.*

Fas & jura ſinunt, voluntque, ut ii pœnas ſe dignas exſolvant, qui juſtitiæ leges violando crudeliter univerſam Remp. afflixerunt, fortunasque omnium irreparabili damno funditus perdiderunt. *A legitimo.*

Quis tam perverſi judicii poterit eſſe, cui videatur iniquum, eos tantis incommodis atque pœnis adficere, quanta bonis innocentibus intulerunt; tantisque ſuppliciis excruciare, quanta meruerunt eorum maleficia? *A juſto.*

Sumto de ſceleratiſſimis hominibus ſupplicio, fiet, ut Reſpubl. liberata poſſit reſpirare: item boni cives, quibuſcunque rationibus valuerint, ſua tecta reſtaurare, & in meliorem, aut ſaltem priſtinam conditionem, atque dignitatem reſtituere. *Ab utili.*

Tanta vobis, Judices, eſt divinitus conceſſa poteſtas, ut citra magnum negotium maleficos tollere, tanta item facultas, ut pro jure veſtro Rempubl. afflictam ſuffulcire poſſitis, & libertatem aſſerere. *A poſſibili & honeſto.*

Nihil magis poterit Judices æquiſſimos decere, quàm Rerumpublicarum hoſtes opprimere: nihil magis glorioſum æſtimari, quàm proſpicere, ne quid damni boni cives capiant. *Hoc enim eſt proprium ejus officium, qui ad Reipub. adminiſtratio-*

Poſtquam pœnas de reis hiſce dignas ſumpſeritis;

nem accedit. pſeritis; feneſtram criminibus reliquis clauſuri eſtis. Nam eorum exemplis multi deterriti ceſſabunt à peccando, qui aliàs ad nocendum promtiores ſunt futuri. *Ab eventu.* Reſipiſcent multi, ubi cognoverint, mala conſilia conſultoribus peſſima cedidiſſe.

ALIUD LOCI COMMUNIS *exemplum, in ebrium.*

EXORDIUM.

Ebrietas. In Republ. veſtrâ, Judices, prudenter inſtitutâ, non ferre ſoletis ulla etiam levia crimina: quanto minùs vobis toleranda eſt ebrietas, omnium ſcelerum teterrima: unde, velut alto gurgite, profluunt omnia vitiorum genera, promanatque corporum & animarum pernicies certa.

A contrario. In homine rem præſtantiſſimam novimus eſſe rationem, bonamque valetudinem: utrumque obnubilat, imò diſperdit fœda temulentia; utrumque conſervat divina ſobrietatis virtus; quæ omnium bonorum eſt origo; ſicut illa malorum.

Ab expoſitione. Tolerabilior rei præſentis eſſet cauſa, ſi vino rariùs ſeſe ingurgitaret: ſed nullam meretur veniam, cùm beſtia quotidie cothoniſſans ſeſe poculis obruat. Qui toties ab amicis admonitus non deſinit, ab adfinibus objurgatus non ceſſat ebrietatem ſectari, & (juxta proverbium) canis ad vomitum reverti, & ſus ad volutabrum cœni. Noctes atque dies in ganeis, in luſtris pergræcatur, clamat, rixatur, pugnat.

A comparatione. Quemadmodum amor turpis nihil boni procreare poteſt: ſic item ebrietas, ingenio-

rum

rum teterrima pernicies. Et reliqui morbi partem aliquam corporis solent corripere, non divinam in homine particulam adoriri: pestilentissimus omnium est ebrietas, hoc est, rationis privatio, quæ *temulentia* dicta, quod animi vigorem debilitet. Veteres enim *temetum* appellavêre vinum, ex eo, quòd tentet, atque labefactet mentem.

Alios imprudentia, casus, atque fata ad peccandum trahunt: ebriosi sponte sua rapiuntur ad malefaciendum. Unde Seneca ebrietatem nihil aliud ait esse, quàm voluntariam insaniam. Epist. 12. *A sententia.*

Non potuit vitam præsentem honestè transigere, qui præteritam turpissimè traducendo, se puteo (quod aiunt) argenteo non desiit ingurgitare. Documento sunt libidines portentosæ, pallor, genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, quas aliquando vidistis effundere plena vasa. Hæc omnia præmia sunt ebrietatis, & vitæ turpiter exactæ evidentia signa. Vide Plinium, lib. 14. capite ultimo. *A vita antecedente. Incontinentiæ incommoda vide ex Socrate apud Xenoph. Memor. 1.*

Nulla ratione parcendum est illi, qui consulto facinus patrat, & suâ sponte se convertit in bestiam: quod facit ebriosus homo, cujus turpissima flagitia sine ullâ misericordiâ reprimere debetis, & exemplis in nocentem editis reliquos à peccando deterrere. *A misericordiæ exclusione.*

Cùm, juxta Ciceronis sententiam, Lex sit recti præceptio, pravique depulsio; rectissimè feceritis, si (quod leges vestræ volunt) teterrimum hoc ebrietatis crimen è medio sustuleritis: quo facto, vitiis omnibus repurgatam Rempub. estis habituri. *A legitimo.*

Vos ideo magistratu fungimini, & gladios geritis, *A justo.*

honesto, utili, possibili. geritis, ut sontes puniatis, & innocentes tueamini. Nihil igitur justius, nihil honestius facere poteritis, quàm si fortiter officio vestro functi, in bestiam hanc ebriosam graviter animadvertetis. Nec erit, quod ab illa vobis metuere debeatis; cùm neminem sui criminis defensorem habeat, & ejus omni vigore corpus exhaustum, vinoque debilitatus sit animus. Noxium igitur dignis modis tractate: quod non solum Reipub. vestræ futurum est utile exemplum atque salutare; sed etiam gratum Deo, qui maximo odio prosequitur ebrietatem. Unde apud Esaiam inquit: Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. &c.

Gladios cur gerant magistratus.

Epilogus. Sed non opus ratione longâ vobis, quibus persuasum esse scio, ebrietatem crimen esse teterrimum, nec levi supplicio tollendum.

PETRUS MOSELLANUS VENUSTIUS *ac copiosius tractavit.*

ARGUMENTUM.

Vereor plurimum, ne, qui sobrii sunt, operam hanc meam in ebrios dicendi, ceu supervacaneam, rideant: dicent enim, sobriis castigatione hac nihil opus esse: ebrios autem sic vino sepultos, ut nullius vocem exaudiant, nullius admonitionem intelligant, nullius objurgationis asperitatem sentiant. Nimirum quòd, ut corpus mortui nullis punctis; sic ebrii animus nullis monitis excitari posse videatur. Quanquam autem optabile esset, non sæpe operam ludi in corrigendis iis, qui in vitiis suis sic obduruêre, ut omnem medi-

cinæ

cinæ spem excludant: tamen, quia sunt, qui certis intervallis ex tanti mali sopore expergefacti, ad se redeunt, seque sanabiles per hoc, quod morbum subinde agnoscant, præbent; vel horum gratiâ, quanta sit in hoc vitio pernicies, paucis ostendam. Nam ut pulchrius nihil est homine sobrio, & ad quidvis quovis tempore, quovis in loco, parato: ita nullum monstrum fœdius ebrio; cujus, ut Terentianus Chremes ait, neque pes, neque manus satis suum officium facit. Principio mirari succurrit Græcorum prudentiam, qui suæ etiam linguæ proprietate, quanta virtus, quamque ingens bonum sit sobrietas, satis declarant. Siquidem, ut ostenderent, mentem humanam in sua dignitate consistere sine sobrietate non posse, virtutem hanc insigni vocabulo σωφροσύνην nominavere.

Quid enim aliud sonat σωφροσύνη, quàm mentis conservationem? ut quantum homo animalis rationis expertia mentis dignitate antecellit, tantum quoque hæc virtus cæteris omnibus sit sublimior censenda. Quanquam autem Stoicorum disputatio est, qui unam virtutem habeat, ei cæteras non deesse: tamen in usu vitæ humanæ sæpe compertum est, fortitudinem habuisse eum, qui amicitiæ jura non præstiterit. At sine sobrietatis fundamento nullus unquam virtutum domicilium in animo suo construxit. Nam ut ea oculorum acies sola colorum discrimina discernit, qui nullo vitiosi humoris fluxu lippiant: ita, quid quaque in re vel fugiendum, vel sequendum sit, ea tantum mens cernit, quam cibi ac potûs moderatio ab omni onere semper servarit expeditam. Hæc prudentibus

Σωφροσύνη.

consiliorum omnium mater: hæc rectè consulta maturè exsequitur. cum hac florent Respub. hac discedente sensim optima quæque dilabuntur. ut vel hinc appareat, quanta sit pestis in Rep. civis ebrius, qui neque virtuti ulli locum apud se relinquat, nec ullum in rebus dubiis consilium, aut invenire ipse, aut ab aliis inventum rectâ ratione exsequi possit: qui nec præterita recordari, nec præsentia moderari, nec futura prævidere rectè queat: qui denique nihil aliud sit, quàm quod de otiosis ait poëta, *Telluris inutile pondus*. Pinge autem tibi cogitationis penicillo talis hominis vitam. A vespera ad multam noctem clamatur, bibitur, luditur, cantatur, ululatur, pugnatur, franguntur scyphi: mensæ vomitu conspuuntur: succedit somnus alii gravis, adeò ut morti plusquam similis appareat: alii somniorum terrificis spectris irrequietus: tum æquissimum ebrietatis supplicium, vehemens capitis dolor ac membrorum omnium debilitatio. Manè dolor & nondum edormitum vinum surgere vetat, & in medium usque diem in stratis detinet. Quodsi quid operis urgeat nimis, fracti, & vel semimortui, ad illud accedimus. Quis autem cum laude in negotio aliquo gravi versatur, ad quod invitus, fractus, ac totus languidus ingreditur? Quid expediet impeditus ipse? Quid fortiter faciet languidus? Quem laborem feret hesterno mero non solum fatigatus, verùm totus fractus? Attrectandum est aliquid? tremunt manus. Eundum aliquo? genua labant. Res poscit eloquentiam? lingua hæret, vocis meatus est impeditus. Quid multis? inter tot morborum genera, quot humanæ naturæ mi-

ſeria eſt obnoxia, vix ullum eſt, quod ſemel adeò totum hominem ſibi eripiat, & animum pariter atque corpus proſternat. Bona morborum pars cùm vel corporis aliquam partem affligat, tamen immortalem hominis partem, nempe animam, impetere non audet. Sunt qui ſoporem, ſunt qui torporem, ſunt qui frigus, ſunt qui æſtum immittant, ſalvâ tamen interim rationis dignitate. Atq; illud ipſum, quod commune habemus cum Diis immortalibus, quo ſolo homines & ſumus, & rectè appellamur, quo à brutis differimus, hoc verò labefactare ebrietas & poteſt, & ſolet. Atrox ſanè, & horrenda peſtis eſt ἐπιληψία, quâ correpti plerique aliquoties vim ſibi ipſi afferunt; dum ſua ipſorum membra pulſant, dum capillos ſibi vellunt, dum ſe in luto volvunt ipſi. At nullis verbis conſequi queas, quanto fœdiori, quantoque immaniori malo laboret ebrius. Quem ἐπιληψία corripit, hunc paullo momento deſerit, atque ei mentis uſum reddit: ebrius autem, cùm diu multumque per ébrietatem jactatus fuerit, ſeque indigna multa tum fecerit, tum paſſus fuerit, (ſi non, quod ſæpenumero accidit, in totum exſtinguatur) totumque penè triduum ſepulto ſimilis jacuerit; vix tandem ad utrumque redit. Illi mali ſenſum lenit, quod nulla ſua culpa, ſed morbi vehementia pœnitenda multa tum dicit, tum facit: huic verò malum conduplicatur, quando, quò mali culpam à ſe transferat, non habet: & minùs premere ſolent, quæ nihil commeritis gravia accidunt. Jam inter animi vitia nullum eſt tam noxium; nullum, ex quo tanta malorum aliorum ſeges pullulet. Quid enim tam eſt horrendum, quod non

Animum cum Diis communem habemus, eoque ſolo à brutis differimus.

ebrii audeant? Fide & taciturnitate in rebus humanis nihil ſanctius eſſe debet. Ebrio nihil rectè credideris: effutit omnia, neque quicquam tam religiosè arcanum eſt, quod celare is poſſit, qui ad cujusvis compotoris ſtultitiam invitatus, mentis ſuæ dignitatem ipſe prodit. Quid enim non proderet is qui illud, quod cariſſimum habet, ad alienum affectum, eumque ſtultum, amittere vel cum aviditate paratus eſt? Cui autem ignotum eſt, rixarum, vulnerum, ſtuprorum, adulteriorum, homicidiorum uberrimum fontem eſſe ebrietatem? Quis enim neſcit, pugnam Lapitharum factam (ut Horatius ait) ſuper mero? Quis neſcit, Tarquinios mero calentes primum ad ſtuprum nefandum proceſſiſſe, mox & regno ampliſſimo excidiſſe? Quis ignorat, Alexandrum Macedonem, cetera quidem Regem laudatiſſimum, compotandi ſtudio eo prolapſum, ut iis, quibus familiariſſimè utebatur, interfectis, & per hoc procerum ſuorum omnium animis à ſe alienatis, veneno tandem exſtingueretur? Sed næ ego ineptus, qui, quod vitium finem nullum nocendi habet, hoc orationis meæ anguſtiis complecti ſtudeo.

In vino veritas. hinc Horat. Ser. 1. Sat. 4. & 10. Condita cùm verax aperit præcordia Liber. Vide Curt. l. 10. & Plut. in vita Alex.

ALIUD EXEMPLUM LOCI
communis in ſacrilegum, juxta præſcriptos ab Aphthonio locos, cujus bona pars ex Priſciano depromta eſt.

EXORDIUM.

In omnes maleficos oportet animadvertere; maximè in eos, qui contra Deos aliquid audent, ſacra violando.

ALIA

ALIA EXORDII FORMULA.

Quod si vultis committere, Judices, ut cæteri quoque homines vestrâ indulgentia pessimi fiant, sacrilegum impunitum relinquite: sin hoc non placet, suppliciis adficite.

ALIA PRINCIPII FORMA.

Qui in conspectum vestrum adductus est reus, videtur solus in periculum venisse. sed vos quoque in discrimen præcipitamini. Juris enim contemtio, & religionis violatio, impunita relicta, deorum iram in homines excitat.

Ut Dii placarentur, majores nostri ceremonias instituerunt, aras condiderunt, templa Diis immortalibus voverunt, hostiis donariisque exornarunt, ac festis diebus redeuntibus celebrarunt; iste autem ut Deos exacerbatos in capita nostra instigaret, aras spoliavit, templa profanavit, & omnia donaria crudeliter abstulit. *A contrario.*

Et quid aliud animo revolvit, quid aliud machinatur sacrilegus, quàm Deos irritando universæ civitati malum accersere, publicisque ac privatis rebus incommodare? Etenim ex sacrilegio, & Deorum contemtu, solet agrorum sterilitas provenire, omniumque rerum penuria: item seditiones, prælia, regionum devastationes, urbium excidia, atque pestes. *Ab expositione.*

Ex reliquorum maleficiis tolerabilius malum videmus enasci. Latrocinium ac furtum in paucos committuntur: stupratorum adulterorumque crimina iis solùm qui faciunt, molesta & acerba fiunt, & eos maximè, quorum *A comparatione.*

rum intereſt, excruciant: ſacrilegus autem omnibus ex æquo plurimum incommodat, qui Tyrannis eſt ſimillimus; ſed tamen ex illis non omnibus, ſed peſſimis omnium. Illorum enim facinus eſt ſæviſſimum, quo Deorum immortalium donaria ſpoliant, ſacraſque divitias auferunt. Iniquiſſimum igitur eſſet, furem vel injurioſum adfici ſupplicio, ſacrilegum verò abſolvi.

A ſententia. Sed quid, ſuis ut prætendat flagitiis, habere poteſt? invitus ad ſcelera non acceſſit, ſed cùm mala ſemper in eo mens, malus animus fuerit, non ſine multis, ſed impiis conſiliis atque conatibus fores templorum effregit. Jam quali præditum animo cenſeatis eum, qui Deos immortales, quos omnes creaturæ venerantur, ac adorant, contemſerit, imò divina ſacraria profanando exacerbaverit? Quid deſignare ſolent, qui Bomolochorum peſſimi, nunquam laboribus honeſtis, ut victum acquirerent, operam impenderunt, ſed per impias artes atque ſacrilegia maluerunt ad divitias pervenire. *Bomolochi.*

A digreſſione conjecturali. Imò naturâ potentiorem conſuetudinem aſſerit Q. Curt. lib. 5. Homines alii qui peccant, maleficii præſentis labem vitæ prioris melius exactæ ſanctimoniâ vel excuſare, vel expugnare poſſunt: at qui tam horrenda crimina committunt in Deos, ſatis oſtendunt, ſeſe habere pectora, quæ ab ineunte ætate nulli pietati adſueverunt, ſed aſſiduo criminum uſu tam contaminata ſint, ut ad meliorem frugem, ſi cupiant etiam, nequeant reduci. Lignum enim tortum haud unquam fiet rectum. Et difficile eſt reſiſtere conſuetudini: quia aſſimilatur naturæ:

Quam

Quam licet expellas furcâ, tamen usque recurret.

Quare nihil jam aliud restare constat, quam dignum meritis supplicium; ut sic arbor mala semel excidatur, ne malos fructus producere pergat.

Unde si cum maximo ejulatu ad pedes vestros sese abjecerit, nihil opploratione ejus commoveamini oportet, ne crimen impunitum aliis similiter peccandi fenestram aperiat, & inconsulta misericordia vestra Deorum iram in publicæ dispendia calamitatis exacuat. *A misericordiæ exclusione.*

Quodsi leges volunt, ut qui status hominum inquietant, pacemque publicam interturbant, puniantur: quanto magis animadvertendum erit in eos, qui nobis immortales Deos iniquos & hostes faciunt, ut eorum amicitiâ spoliati, funditus intereamus? *A legitimo.*

Et quid magis æquum esse poterit, quàm Deos placare, religionem tueri: ædiumque sacrarum expilatores damnare, ac meritis suppliciis adficere? *A justo.*

Quod si feceritis, Deos placatos habebitis, & Reip. statum longè tranquilliorem atque prosperiorem. Etenim in iis imperiis feliciter omnia solent succedere, in quibus religio vera conservata, scelera punita, & ante omnia regnum Dei fuerit quæsitum. *Ab utili.*

Nec erit, quod vindictæ vestræ justissimæ impedimento esse possit: neminem enim iste habet, cujus patrocinio nitatur; nec credo fore aliquem, qui tam sit Divûm contemtor, istum è manibus vestris ut cupiat eripere; sed potiùs omnes instabunt & vigebunt, ut reus, omnium suffragiis morti destinatus, meritas *A possibili.*

pœnas exſolvat, ne ex eo conſervato κακῶν πανήγυρις impendeat.

Epilogus. Quid igitur moramini? quid ceſſatis in eo tollendo, qui jam pridem omnibus videtur eſſe damnatus?

ALIUD LOCI COMMUNIS *exemplum in contumacem, aut δύσκολον.*

EXORDIUM.

Contumacia. Inter varia criminum genera non infimum eſt contumacia, atque moroſitas, omnium diſſidiorum uberrimùs fons & origo.

A contrario. *Glutinamentum.* Morum æqualitas amicitiæ vinculum atque glutinamentum eſt, unde natum proverbium: *Æqualitas haud parit bellum.* Et obedientia vel ſola virtus eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit. At moroſitas, & contumacia pertinax, amicitiæ pacta reſcindunt, omnemque concordiam è medio tollunt: ut Pythagoras rectè dixit, Æqualitatem amicitiæ parentem, & altricem; contra, inæqualitatem diſcordiarum, bellorumque matrem eſſe.

Ab expoſitione. Ab omni manſuetudine & obedientiâ dyſcolus abhorrens, in animum induxit, bene monentibus nunquam obtemperare, neminemque ad honeſta vocantem audire. Secum igitur aſſiduò loquitur, atque exſequitur iſta: Ego ſatis ſapio, ſatis eſt judicii, ut queam cum aliis certare, imò vincere: nolo alicui morem gerere, cùm longè melius, quàm alii, noverim, quæ conveniant ætati meæ: nec maximopere alienam ſapientiam optârim.

Valeat

Valeat monitorum odiosa prudentia: ego, quod mihi visum erit, aggrediar, præceptoribus, cum se feroces præstiterint, oppedam: quæ vetuêre, faciam: rejectis etiam libris indulgebo genio, pergræcabor indies; & mihi nomen insigne comparaturus, nocturno tempore, veluti grassator, aut sicarius, in plateis pervagabor, obviam venientes lacessam, atque prosternam, aut, velut Achilles, in fugam compellam: exclamabo etiam, ut Stentora vincere possim,

—— aut propriâ mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaque æra secutus,
Torva Mimallonis implebo cornua bombis.

Hæccine digna sunt adolescentibus exercitia? Melancholicorum est, studiis impallescere, & demorsos sapere ungues.

Grave crimen est ambitio, sed multo gravius obstinatio, & pertinacia procax, quam αὐθάδειαν appellant. Illud subtile malum, secretum virus, & occulta pestis, infestans solos cupidos, quorum animos invasit. At homo contumax, in perversa ratione persistens, exemplo pessimo multis est aliis, quos veluti contagione vitiosa corrumpit, & ad seditionem Reipubl. perniciemque instituit, atque trahit. *A comparatione.*

Nihil habet contumax, quod inflexibili mente prætexat. Facilè, si vellet, bene monentes audire posset: sed pervicax, & obstinatus animus reluctatur, ac velut asinus calcitrosus reverberat. Cæterùm ut πειθαρχία μήτηρ τῆς εὐπραξίας: sic inobedientiæ crimen & pertinaciæ scelus omnium in Repub. perversitatum origo. *A sententia.*

Præsentis criminis pœna remitti posset, si non *A digressione*

conjecturali. non turpem ex vita præteritâ labem, adeoque ἕξιν contraxiſſet, nec vitium ex prava conſuetudine verſum eſſet in naturam; ex cujus genuina malitia nihil, niſi quod Reipubl. peſtilentiſſimum, poteſt enaſci.

A miſericordiæ excluſione. Quis judicii tam perverſi vir eſſe poterit, qui rubo (quod aiunt) arefacto rigidiores atque præfractiores à meritis pœnis liberatos velit; id effecturus, ut omnis bene monentium, ac gravium virorum autoritas in ſummum adducatur diſcrimen?

A juſto. Quodſi non in facta modò, ſed in voces etiam petulantiores olim publicè vindicatum eſt, ut C. Fundanius & Tiberius Sempronius Ædiles Appii Cæci filiæ mulctam ob incivilia verba duntaxat dixerint; ut Gellius lib. 10. cap. 6. quanto æquius erit conſtringere os infræne, & coërcere peſtiferam rebellandi libidinem ejus, qui reſponſator teterrimus, oblatratione, factoque ſuo ſcelerato omnia civilitatis atque pietatis officia tollit?

A legitimo. Quodſi veſtrûm nonnulli judicaverint, vitium contumaciæ non capitale crimen eſſe; arguerint igitur, leges jubere, ne major pœna ſit, quàm culpa. Officiorum 3. Non petam, ut in reum exempla crudelia nimis edatis, ſed per νουθεσίαν aut τιμωρίαν occurſuri vitiis, ita puniatis, ut accepto malo reſipiſcat, peccandique licentiam cohibeat, atque compeſcat.

Ab utili. Ad crimina leviora etiam nihil connivere, ſed aliquando ad vivum reſecare, quantum in Republ. bonæ afferat frugis, vel cæco manifeſtum eſt.

A poſſibili. Res ardua non erit, de præſenti reo judicium cenſuramque facere, ſola ſufficit auctoritas

ritas vestra, qui nullis in hoc negotio perficiendo copiis auxiliariis opus habituri estis, cùm vel solo nutu confundere possitis, cumque nemo sit, qui cupiat illi subvenire.

Si præsentis peccati scelus reliqueritis impunitum, multos habebitis ad idem flagitium alacriores factos, quos adhuc exspectatio judicii vestri remoratur. *Ab eventu.*

ALIUD LOCI COMMUNIS *exemplum, in avarum:*

Exordium.

Vetus dictum est, Judices, *avarum, nisi cùm moriatur, nihil rectè facere.* Quod vel solum vobis persuadere poterit, ut hunc hominem, ipsam avaritiam, si non capitali pœnâ adficere, saltem extra patriam aliquo, unde ad nos vel contagio, vel hominis fama non possit accedere, statuatis ablegare.

Admodum bene ac prudenter olim Romani sapientes instituerunt, ut in Ægei maris insulam Gyaros noxii deportarentur; ne lacesserent, ac divexarent innocentes, pauperum sudores atque sanguinem hauriendo. Contra, vos perperam ac imprudenter feceritis, si hunc reum in patria reliqueritis, & non potiùs hominem pestiferum & injurium ex hominum communitate exterminaveritis; ne ejus præsentia perniciosa miseri cives non modò violentur, sed etiam perdantur. Universum enim mortalium genus devorare, & omnibus, ut sibi solis prosint, esse maximo detrimento solent avari, per omne genus injuriarum suos explendo loculos, alienos expilando. *A contrario.* *Devoratur is, inquit Quintil. l. 6. c. 8. cujus patrimonium consumitur.*

Ab expositione. Cujus rei gratia secum animo revolvere solitus: Quorsum virtutes? quorsum probitas? quæ laudatur quidem, sed alget. Unicum ego pecuniæ studium amplectar. Hæc rerum omnium Regina donat formam, nobilitatem, uxorem locupletem. Huic obediunt omnia: hac vel Dii capiuntur.

In pretio pretium nunc est; dat census honores, qui divitiis parantur. Has igitur consecutus ego, omnibus (qui nunc quæstus uberrimus) assentabor, defraudabo, terminos proximi transferam, furabor, rapiam, nihil vel Deos, vel homines curaturus.

A comparatione. Luxuriosa quidem res est vinum, & tumultuosa ebrietas, sed longè nocentior avaritia fuerit; qua nihil scelestius esse, Rex sapientissimus Salomon asserit. Et quo liberalitas gratior, omniumque studiosorum encomiis celebratur atque laudatur magis, tanto detestabilior avarus est, qui non amicis, non patriæ, non reliquis omnibus, sed sibi soli natus, quasi hominis portentum vivit. Se solum pascit, & (horrendum dictu) nunquam satiatur: quemadmodum infernus, & perditio non replentur. Prov. 28.

A sententia. Ebrius post factum agnoscit delictum, ac pœnitentiam agit: homicida in furoris vim ac iram transfert crimen, & factis maleficium assignat. Et uterque non semper, sed raro & casu quodam & inviti peccant. At avarus nihil habet, quo noxium repurget animum; cùm avaritia penitus insita permeet in venas, & in imis pectoribus inhæreat, ut avelli non possit, nullum relinquens pœnitentiæ locum, nullamque de hominum genere bene merendi facultatem.

Præter-

Præteritæ vitæ sanctitas aliis sæpe reis non vulgarem apud Judices æquos benevolentiam conciliat: verùm si totam hujus rei vitam ad amussim excusseritis, ipsissimam invenietis Αὐγείου βουστασίαν, monstrum non unâ gravi correptione vel supplicio dignum. *A conjecturali digressione.*

Quare neminem arbitror fore tam stolidum, quem hujus rei misereſcat. Familiam, quam sui simillimam habet, ad pedes fortasse vestros provoluturam videbitis: sed vos legum & justitiæ ratio magis permoveat, quàm iniqua sceleratorum hominum hypocrisis, & ipsissimæ Crocodili lachrymæ. *A misericordiæ exclusione, atque justo.*

Cum leges Reipubl. gratiâ conservandæ jubeant in sontes animadvertere; non illegitimum fuerit, imò justissimum, acriter hunc reum à vobis castigari, vel procul ablegari: cùm nihil eo scelestius, ut dixi, reperiatur. *A legitimo.*

Quo facto, nihil officio vestro dignius effeceritis. Nec, quid judicium vestrum possit remorari, video: nam, modo volueritis, dictum ac factum reddetis. *Ab honesto & possibili.*

Duplicem inde Reipublicæ commoditatem promanaturam experiemini. Primùm Judices integri, teterrimâ peste Rempublicam liberasse prædicabimini. Deinde prudenter effecisse, ut præsentis rei supplicio deterriti reliqui, ad consimile maleficium non facilè sint accessuri. *Ab utili.*

Plura dicere non arbitror operæ pretium: cùm ipsi satis intelligatis, non levibus pœnis afficiendum avarum; cùm eo nihil sit in Republicâ pestilentius, atque magis perniciosum.

DE LAVDE, QVÆ ἐγκώμιον Græcè dicitur.

CAP. VIII.

Proprium est laudis, res amplificare, & ornare. Quintil. l. 3. c. 7.

LAus est Oratio, bona alicujus enumerans.

Laudanda verò sunt:
- Persona: ut Thucydides, aut Demosthenes.
- Res: ut justitia, aut temperantia.
- Tempora: ut ver, æstas.
- Loci: ut portus, horti.
- Ratione carentia animalia: ut equus, aut bos.
- Planta: ut vitis, aut oliva.

Laudamus verò & communiter, & singulatim. Communiter, ut omnes simul Athenienses. Singulatim, ut Atheniensem unum aliquem. Hæc verò divisio est laudis.

Dispones autem ipsam hoc pacto:

Primùm proœmion pro qualitate rei pones:

Deinde subjicies genus. quod dividitur in
- *Gentem,*
- *Patriam,*
- *Majores,*
- *Patres.*

Post educationem explicabis quæ continentur
- *Institutione,*
- *Arte,*
- *Legibus.*

Comparationis exercitatio duplicat mate-

Hinc subdes præcipuum laudum omnium caput, res gestas; quàs divides in ea quæ sunt
- *Animi: ut quæ fortitudinis sunt, quæ prudentiæ.*
- *Corporis: ut pulchritudinem, velocitatem, robur.*
- *Fortunæ: ut principatum, potentiam, divitias, amicos.*

Ad-

Addes deinde comparationem ; qua id quod laudatur ; alteri collatum tollatur in majus. Postremò epilogo, qui precationi similior sit, concludes.

tantùm naturam, sed etiam modum tractat. Quintilianus, lib. 2. cap. 7.

riam, & virtutum vitiorumque non

EXEMPLVM IN THVCYDIDIS laudationem.

Æquum est, eos, qui utilia nobis adinvenire, suis ipsorum inventis ornare, laudibus prosequi, & quod ab illis est proditum, iisdem quoque ceu auctoribus cum gratia reponere, acceptumque referre. Non igitur injuriâ Thucydides oratione mihi celebrandus est, qui ipsi plurimum attulerit ornamenti. Omnes enim de aliqua humanarum rerum parte bene meritos decet venerari. Thucydidem verò eo magis, quod pulcherrimo omnium illustrando curam suam impendit. Neque enim quicquam eloquentiâ pulchrius, neque Thucydide quenquam bene dicendi gloriâ præstantiorem invenire est.

A patria.

Nactus autem Thucydides eam est patriam, quæ & vitam pariter illi, & eruditionem præberet. Neque enim in alio loco natus est, quam unde omnis bene dicendi ratio profluxit, originemque vitæ sortitus Athenis.

Athenas inventrices & altrices bonarum artium vocat Cicero.

A majoribus.

Reges generis sui habuit auctores. Itaque ab ultima protinus origine, clariore majorum fortunâ est illustratus. Vtraque ergo habens, & generis amplitudinem, & civitatis statum popularem, quo clarior utrinque fieret, est ab utroque adjutus. Etenim, ne ad injustas opes, potentiamque delaberetur,

retur, æqualitate legum prohibitus est; neve obscurâ reliquæ plebis vilitate delitesceret, felicitatis genere est consecutus.

Ab educatione. Talibus igitur procreatus parentibus, in Republica Atheniensium, interque leges educatus; quas certò optimas esse vitæ magistras, in confesso est:

Leges vitæ optimæ magistræ. inter leges autem armaque vivere instituens, eruditioni simul atque rei militari operam dare decrevit, neque studia armis deferens, neque arma (ut præcipuam prudentiæ partem) relinquens; unoque conatu duarum diversarum artium curam habebat, conjungens ingenio pariter ea, quæ naturâ sunt separata.

A rebus gestis. Vt tandem ad virile pervenit robur, occasionem quæsivit proferendis eis, quæ pulchrè fuerat in ætate meditatus. Nec defuit casus: bellumque protinus est ortum; ipseque res ab universa gestas Græciâ literis complexus, posteritati mandavit, conservator eorum, & veluti restaurator, quæ bellorum delevit injuria. Nec passus est, quod quisque gessit, temporum situ aboleri. Ex ipso ergo cognoscitur, captam esse Platæam; scitur, Atticam esse vastatam; tenetur, Atheniensium classibus Peloponnesi oras esse navigatas; certatum esse navali prælio apud Naupacton, non est nos Thucydides id passus latere. Lesbum ab Atheniensibus esse captam, id quoque ab ipso indicatur: cum Ambraciotis pugnatum esse, hoc & ne diuturnitas aboleret, effecit. Iudicium Lacedæmoniorum non ignoratur. Sphacteria, & Pylos, ingentes Atheniensium labores, non latent. Concionantur Corcyræi Athenis, Corinthii ipsis contradicunt. Æginates, ut Athenienses accusent, Lacedæmona proficiscuntur. Iam verò à belli concilio Lacedæmonios Archidamus absterrens, contra Stheneleidas ad bellum suscipiendum impellens.

llens: Adhæc Pericles legationem Laconicam contemnens, neque passus deficere animo propter pestilentiam Athenienses. Cuncta hæc Thucydidis opera, ingenioque, in omne ævum ab oblivione vindicantur.

A comparatione.

Quis autem Herodotum illi comparaverit? Ille enim ad voluptatem legentium scripsit; hic omnia ex rebus ipsis, atque veritate depromsit. Quanto verò quod ad alienam fit gratiam, infra id est, quod fit ad veritatem, tanto post se Thucydides Herodotum relinquit.

Herodoti & Thucydidis comparationem pulcherrimam vide apud Quintil. l. 10. c. 1. Epilogus.

Erant alia quoque permulta, quæ de Thucydide dicerentur, nisi quò minus omnia diceremus, laudum suarum nobis obstaret multitudo.

ALIVD EXEMPLVM.

Laus sapientiæ.

PROŒMIVM.

Sapientiam adipisci, felicitatis est: laudare autem pro dignitate ipsam, majus est, quàm ut nostris id viribus adsequi possimus. Tantum enim illi superest gloriæ, ut commune quoddam Deorum immortalium bonum esse credatur. Cùm enim Deorum unusquisque velut descriptam officii sui tueatur partem; Iuno nuptiis præsit, bellis Mars cum Pallade; Vulcanus inter ignes fabrileis suas exerceat parteis; ducat Neptunus navigantes; quisque alius aliud sibi vendicet: sapientiam in commune sibi asserunt omnes; præcipuè verò præ omnibus Iupiter, quanto reliquis major est, tanto omnium quoque sapientissimus æstimatur.

Vnaque sapientia est, quæ vel maximè æter-

nam

nam Iovi præstat potestatem. Et Dii quidem nativam ipsam cognatamque sibi habent; munere autem ipsorum in terras quoque delata est, & Deorum filii sapientiâ suâ maximam humanæ vitæ utilitatem attulerunt. Quapropter poëtæ laudem merentur, qui Palamedem & Nestorem, & si quis alius sapiens olim fuisse canitur, Deorum fuisse filios tradiderunt. Non quidem illi vano commento Deorum naturam velut permutare conati, quam ne Dii quidem ipsi permutare possent; sed generis permixtione communicationem indicantes virtutis: ut, qui divina quadam cæteris admiratione præstarent, Deorum filii crederentur. Nec immerito illorum in Deos referebant genus, quorum sapientia major, quàm humana, originem videbatur adfirmare divinam.

Vt Herculem, Minoa, Perseum, & reliquos.

A sapientiæ effectu.

Sola autem ipsa utroque rerum statu æquas habet rerum vires. Nam reliquarum aliæ bello solùm probantur, aliæ laudamus in pace. Sapientia verò præcipua est utriusque temporis moderatrix. Sic in bello versatur, tanquam prorsus artium pacis ignara; sic pacem continet, tanquam nunquam agitata strepitu bellorum. Denique tam aptè utrique sese accommodat, ut in utro horum æstimes, ei soli videatur esse dicata. Fert pacis temporibus leges, & omni tranquillitatis utitur more: in bello verò victoriam prabet. Neque armis solùm superiorem facit: sed in concionibus quoque præstat invictum. Itaque & inter bellantes & inter pacatos sola præcellit primasque sibi vendicat sapientia. Sola quoque divinitatis proximè exprimit similitudinem: sola enim, velut Deus, futura prospicit. Quin ipsa quoque terram agricolis attribuit, navigantibus aßignavit mare: adeò non fruges colligere sine sapientia,

sapientia, non navim nisi sapientis gubernatoris præsidio freti ascendere auderemus. Itaque quicquid exhibet mare, quicquid hominum usibus terra profert, meritò sapientiæ munus cuncta censentur. Ne cælum quidem, & si quid in ipso latet, dimisit in occulto: quantum Solis se porrigit ambitus, quod spatium stellarum unaquæque circumscribit, ipsa pervestigavit. Despexit intra terras etiam, & quo pacto vitâ defuncti agemus, ipsa nobis aperuit. Trojam, quam capere temporis diuturnitas non potuit, sapientiæ astus subegit; & unius consilium adepta, universam Persarum potentiam dissolvit. Cyclopis oculus erutus est prudenti Vlyssis invento: sicque quicquid est, quo quisquam vincat, ab ipsa sapientia derivat.

A comparatione.

Quis ergo ipsi fortitudinem comparasse velit; cùm quicquid viribus fieri possit, ipsa etiam sapientia præstet? Adeoque si ipsam fortitudini ademeris, per se fortitudo culpanda videatur.

Epilogus.

Erant & multa alia, quæ de sapientia dicerentur, nisi majora essent, quàm quæ posset modica oratio complecti.

SCHOLIA.

Laus, &c. Alii laudationem vocant, hoc est, orationem bona exprimentem, quæ alicui sunt. Ἐγκώμιον Græcè appellatur, quod juxta Aphthonii sententiam dictum eo quòd ἐν κώμαις, id est, in viis, antiquitus canebant. Nam antiqui κώμας angiportus dicebant. Differt ab Hymno & Epæno; quòd Hymnus Deorum sit, Encomion verò mortalium. Præterea Epænus paucis verbis fit; Encomion autem secun-

secundùm Rhetoricæ artem profertur. Postremò, cùm in loco communi quoque laus sit, hoc differunt; quòd in loco communi, pro viro forti dicentes, eo consilio dicimus, ut præmium petamus: Laus autem per se virtutis testimonium; ut ait Priscianus.

Laudandæ sunt, &c. Porrò præterita, instantiaque, atque adeò omnia, quæ nunc laudamus, nunc contra vituperamus, res sunt omnis generis: quæ aut cerni tangique, ut homo, equus, urbs, flumen; aut animo intellectuque cognosci, atque percipi possint, ut facta dictaque. Virtutum item, vitiorumque, tum artium varia genera. ut prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, eloquentia, medicina, architectura, scientia rei militaris, aliaque id genus multa. Vitia autem quæ sint, hinc cognosci facilè possunt: nempe injustitia, luxuria, invidia, &c. Ipsius autem Dei laus (quanquam quid huic aut nostrâ laude accedat, aut vituperio adimatur, non video) tota huc pertinet. Rerum autem, quæ cerni tangique possunt, primas partes homines tenent: qui cum cæteris animantibus brutis rebusque mutis ratione & sermone, tum multis aliis animi naturæ dotibus antecellant, laudem inprimis sibi vendicant. Laudamus igitur præcipuè personas, urbes, portus, loca, & his similia: præclarè item facta dictaque, quæ cum virtutibus conjuncta, atque inde orta esse constat. Jam & juxta virtutes artesque, aut in certis hominibus, aut seorsum, suis ipsas laudibus exornamus.

Res, &c. Ut Erasmus laudavit Moriam: Et ad ingenii vires periclitandas, artemque ostentandam, Phavorinus laudavit quartanam

nam febrim. Eum enim constantius valiturum, qui febri liberatus vires integras recuperaverit. Laudavit etiam Thersitem. Cujus meminit Gellius, lib. 17. cap. 12. Et Politianus, in Epistolis.

Loci, &c. Ut Bajæ, Tempe.

Porticus, &c. Ut in Liguria Lunæ. Vel Carthaginensium. Cujus meminit Virg. in 1. Item laudari poterit Stoa porticus Atheniensis, Pœcile ex varietate picturæ dicta: in qua Zeno philosophus discipulos docebat: unde & secta *Stoica*. Item Aulis Bœotiæ, cujus meminit Ovid. 12. Metam.

Horti, &c. Ut Adonidis; qui proverbio locum fecerunt. Item Hesperidum, quos amœnissimos in Africa fuisse memorant. Item Senecæ prædivitis horti: ut ait Juvenalis Satyr. 10. Item Alcinoi sylvæ, quarum Virgilius Georg. 2. meminit.

Idem:

Adeste, Musæ, maximi proles Iovis:
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus salubres corpori præbet cibos &c.

Equus, &c. Equos laudare poterimus. Ut Pollucis equum Cyllarum; & Graii quorum meminere poëtæ; ut ait Virgil. Georg. 3. Item Bucephalum Alexandri, de quo Gellius, lib. 5. cap. 2. Item Solis equos. &c.

Bos, &c. Virgilius in Georgicis:

——— Optima torvæ *Bos pulcher.*
Forma bovis, cui turpe caput; cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent:
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, & camuris hirtæ sub cornibus aures.

Vitis,

Vitis, &c. Ut Thasiæ vites. Sunt & Mareotides albæ. ut ait Virgilius. Vide Plinium, lib. 14. cap. 3.

Olea, &c. Quæ laudari poterit ab inventrice Minervâ; & quod signum fuerit pacis. Unde Virgilius in 7.

——— Ad mœnia Regis
Ire jubet ramis velatos Palladis omnes.

Item: Brassicam laudat Cato; malvam & albucum Hesiodus.

Subjicies genus, &c. Sunt qui hoc loco jubeant, addenda esse ea, quæ nativitatem vel miracula, vel prodigia præcesserunt. Ut si laudaturus Scipionem, dicas, in matris cubiculo anguem visum; unde conceptus & Jovis ille filius fuerit creditus. cujus meminit Livius, lib. 6. belli Punici. Item in encomio Hecubæ recenseas facem, qua prædixerit incendium, & excidium Trojanum. Item, quid natis evenerit, enumeres: ut Midæ formicas, apes Platonis. Val. lib. 1. cap. 6.

DE LAVDIBVS DVCTIS *ab animi, corporis atque fortunæ bonis, ex Bucoldiano.*

LAVS HOMINIS À FORTVNIS.

Hominis laus. Advertendum, fortunæ, corporisque bona non ideò laudari,

De fortunis, quæ externa bona sunt, subinde nobis est dicendum. Hæ autem quantæ sint; quot numero prædia; quo sita in loco; quo tempore, sive dono data, sive suorum testamento legata, parentibusve relicta acceperit, emeritve: ex adjunctorum loco narrandum locupletandumque erit. Deinde ex descriptionis loco situm prædiorum atque hortorum ad flumina, seu fontes, & factas hîc ad volu-

voluptatem ſtructuras, pluribus licet verbis depingas: quemadmodum Homerus Alcinoi hortos: & maximè ſi is, quem laudas, Princeps ſit, urbesque, in quas imperium habet, deſcribas. Quin & hujus fortunas cum aliorum facultatibus conferendo, ex comparatorum loco mirè locupletabitur oratio: oſtendendoque, aut genere, numero, fertilitateque majores amplioresque putandas, aut ſitu ad flumina, ſeu fontes, rebusque manufactis, atque ad voluptatem ſtructuris, jucundiores amœnioresque. Quodſi verò eorum, quibuscum noſtras conferimus, omnium judicio ampliſſimas eſſe copias conſtiterit, pares oſtendiſſe contenti eſſe poſſumus. Spectandum etiam; atque cum materia deliberandum, ecqua & à diſſimili contrariiſque copia peti poſſit. A diſſimili, hoc pacto: noſtra prædia eſſe, agrosque ſuburbanos, unde certus ferè quotannis fructus redeat: illos non modò longiùs domo; ſed & alienâ in ditione ſitos, iisque expoſitos fluminibus, quæ ſæpius inundando ſata omnia obruant, atque convellant. A contrariis: noſtros flumina fonteſque irrigando agros, utilitatem adferre maximam: illis in ſata erumpendo, eademque convellendo, incommodum adducere ſummum: huic aquarum curſum prodeſſe, illis eundem ipſum obeſſe: huic voluptatem adferre, illis mœrorem triſtitiamque dare: huic vel exorto bello omnem ex agris fructum redire, illis nullum: hujus prædia urbis horreum alimentumque in hoſtes eſſe, illorum contra hoſtium in urbem; his patriam defendi, illis oppugnari. Quodſi verò principem laudandum ſuſcipias, potentiamque ejus, gentis ſuæ urbiumque

quòd quis habuerit ea; ſed quòd iis non fuerit indignus.

que genere & numero prædices, quo res major illustriorque fuerit, hoc magis his ex locis extendas.

QVÆ CORPORIS BONA IN *homine ex locis amplificandi ratio sit.*

Hactenus de externis bonis ejus, quem laudamus: quæ quidem pro personarum varietate alia atque alia exsistunt: quæ persequi, cùm infinitum, tum minus fructuosum foret. Quare ad fontes ipsos ducere consilium fuit, usumque locorum in iis, quæ omnibus communia sunt, laudemque merentur, monstrare; ut horum usu cognito, pro causæ conditione, quantam quisque velit, moram ubique facere in augendo possit. Corporis autem bona esse diximus staturam, figuramque corporis, valetudinem roburque, ipsam denique formam. Hæc quanquam leviora sunt, suam tamen laudem merentur, certaque interim animorum indicia esse solent. Unde Homerus, cum in Thersite garrulitatem, animique vitium nobis depingi vellet, nescio quomodo non tam malefacta, quàm corporis deformitatem vitiaque explicando, vitiosissimum ipsum introduxerit. Idem staturam grandiorem, roburque in principibus magnopere prædicat: ut qui Agamemnoni staturam magnam, cui majestas inesset regia, tribuit, Ulyssem illo quidem minorem, sed latissimis humeris & pectore describit. Jam verò Ajacem illum non ambobus modò his, sed cæteris Achivis omnibus corporis staturâ & robore antecellentem introduxit. Nec noster Homerus hanc in suis laudem neglexit: qui cùm

Vide Quintil. dicto loco l. 7. c. 7.

cùm & in cæteris, tum maximè in Ænea & in Turno principibus, corporis dona laudat. Et Dareta cùm altâ ſtaturâ, latiſſimisque humeris (quod certum virium argumentum eſſe ſolet) in ſingulare certamen produxiſſet, ejus tamen antagoniſtam Entellum vel ſenem, magnitudine corporis viribusque adeò ſuperiorem facit, ut illum non ſecus ac qui fruſtra urbem, aut caſtellum oppugnet, hunc temere infeliciterque aggreſſum dicat. Forma plus laudis meretur: præſertim in principibus viris gravitas oris, majeſtasque in vultu: hæc in primis pondus orationi autoritatemque tribuit: tantumque in animis Gallorum hoſtium valuiſſe Titus Livius ſcriptum reliquit, ut, cùm urbe captâ, avidi prædæ in principum atria irruerunt, cernerentque hos cùm ornatu habituque paullo humano auguſtiore, tum maximè oris gravitate atque majeſtate Diis ſimillimos domi ſedentes, ante horum ora, ſicuti deorum ſimulacra, velut venerabundi conſtiterint: nihilque in hos ferro gravius facturi fuerint, niſi M. Papyrius principum unus prior iram moviſſet. Atqui & hinc augendi modum, uſumque locorum explicemus. Staturam, robur corporis, orisque decus quantum ſit, ubi ab adjunctis ſatis expreſſerimus, à cauſis & eventis deinde dilatemus. Fuiſſe hujus majores, homines cùm inſigni ſtaturâ & robore, tum quâdam modeſtiâ, orisque gravitate præditos; ſemperque operam dediſſe hunc, ut quæ à natura ad ſui nominis dignitatem amplitudinemque acceperit, certâ vivendi ratione aleret proveheretque, nulla ut Venus, Bacchusque immoderatior, corporis vires vi-

Livius Dec. 1. cap. 5.

goremque auferret. Quare eâ jam valetudine eſſe, ut nulla corporis imbecillitas obſit, quo minùs in rebus cum gravitate agendis, ſuo, amicorum, & Reipublicæ tempori ſerviat. Quin etiam comparatione rem extendas, ſi cum aliis ampliſſimis hominibus conferas; oſtendasque, in hoc noſtro aut ſimilitudinem aut exceſſum eſſe, aut etiam diſſimilitudinem: ſi aut proceritate, ipſoque robore, & valetudine, aut ipſius vultûs gravitate, majeſtateque multis partibus ſit ſuperior.

QVÆ RATIO ANIMI *bona ex locis amplificandi.*

Idem Quintil. l.3. c.7. Vtra ſit autem horum via utilior (inquit) cũ materia deliberabimus: dum ſciamus, gratiora eſſe audientibus, qua ſolus quis, aut primus,

Reſtant animi bona. Quæ, ut cujusque propria ſunt; ita præ cæteris laudem mereri ſuo jure maximam ſolent. Hæc laudandi duplex via eſt: aut enim ad ſua virtutum genera (ut ſuprà viſum eſt) quæque referentur; ſua prudentiæ, juſtitiæ, fortitudini, & temperantiæ tribuendo facta; aut, quod non minùs commodè fiet, temporum ſervabitur ordo. Itaque dicendum, quî pueritiam adoleſcentiamque transegerit, quî ſequutus ſtudia: quantumque in iis, & quàm brevi, ſit aſſequutus. Atque hic, ſi fortè inſigne ingenii ſpecimen indoliſque haud vulgaris bonitas eluxerit, pluribus erit verbis extollendum: quo videlicet tempore, quo in loco, apud quos, qua in re; aliiſque id genus additis circumſtantiis, quos adjunctorum locus ſuppeditat. Quodſi fortè operæ-pretium videatur; & hæc ipſa per plures ducendo locos plurimum extendas. Ætate autem jam magis invaleſcente, ſi qua ſcripta honeſti ſui ſtudii,

volun-

voluntatiſque teſtimonia in lucem dedit, primùm qualia quantaque ipſa ſint, narrandum; quantusque inde ad plures fructus redeat. Quæ item ſeu doctorum, ſeu multitudinis, ſeu univerſorum, de iis teſtimonia judiciaque exſiſtant. Quæ ubi ex adjunctorum teſtimoniorumque loco, quem eundem eſſe diximus, proſequutus fueris, à cauſis ſubinde augebis: quòd à multis magnique nominis hominibus ſive rogatus, ſive ultro, juvandi ſtudio ad ſcribendum ſe contulerit. Ab eventis: non modò hominum de ſe exſpectationi reſpondiſſe, ſed & viciſſe; nec in una atque altera, ſed in pluribus nationibus ipſius ſcripta legi laudarique. Atque hîc etiam enarrandum, quorum exſpectatione majora emiſerit; quibusque in provinciis plurimum probentur. Jam verò & hujus cum probatis magnorum auctorum ſcriptis conferas: oſtendasque, potiora multò, melioráque hominum conſecuta eſſe judicia: aut maximis ſummorum autorum monumentis paria eſſe, atque judicari. A diſſimili etiam amplifices: ſi in iis, quibuscum conferes ſcriptis, diſſimilitudinem eſſe oſtendas: ut ſi Hippocratis & Galeni medicorum opera, cum Pauli & Pomponii Juriſconſultorum ſcriptis conferas: illos rerum naturalium; hos civilium ſcientiam tradidiſſe: illos de vita; hos de fortunis ſollicitis bene conſuluiſſe: illos præcepta dediſſe, ne morbus vincat, & æger moriatur; hos ne avarus triumphet, & ſuum alteri eripiat: denique illos caviſſe, ne ipſa præmaturè vita; hos ne ſua cuique res injuſtè auferatur. Hinc mirè Cicero non ſine delectatione corpus orationis auxit, diſſimilitudinem ſtu-

aut certè cum paucis fuiſſe dicetur.

ſtudiorum Murenæ & Sulpicii pluribus verbis explicando. Hunc in modum ſingula quidem tam domeſtica, quàm publica facta, quæ laudanda videbuntur, ſervato temporis ordine, enarranda amplificandaque erunt, qua ratione domi vixerit, liberosque educaverit; ad quæ ſtudia miſerit, liberaliterque aluerit; quos in viros aut abierint, aut ſe evaſuros certam de ſe ſpem patri patriæque præbuerint. Quæ ſi perſequaris omnia, ducasque per locos, incrementum res ipſa ſumet maximum. Jam & quid commodi ipſi ſive re operâque, ſive conſilio Reipublicæ præſtiterit. Quale eſt, ſi, dum aliquando, ut ſæpe, maximis de rebus bene Reipublicæ conſulendum fuit, inopsque conſilii multitudo ea facili momento ſequenda putaſſet, quæ probata Reipublicæ ſtatum everſura penitùs fuiſſent, hunc in concionem prodiiſſe dicas, & prudenti oratione, quæ ex his aut illis inceptis commoda, malave Reipublicæ impenderent, edocuiſſe, eaque ſuſcipienda perſuaſiſſe, quæ cum ſingulis tranquillitatem, utilitatemque, tum univerſis nomen, gloriamque attulerunt. Atque hæc aperienda, pluribusque verbis ex locis aliis atque aliis explicanda erunt, quæ res ad ita conſulendum animum potiſſimùm impulerit: quæ ſi honeſta utilisque fuit, eventa votis reſpondiſſe pulchrum erit. Quanta autem gloria emolumentaque inde Reipublicæ evenerint; quis item ad conſultorem fructus honosque ab univerſis viciſſim redierit, copiosè erit exponendum. Poſtremò comparationibus rem extendas: cum urbis conditoribus, aut munitoribus hujus factum conferendo, & aut majus, aut ſimile, diſſimileque

que oſtendendo. Illos urbem quidem condidiſſe; hunc conditam prudentiâ ſuâ ab exitio conſervaſſe: illos partim fundamenta jeciſſe, partim mœnia turresque, in hoſtes propugnacula, non ſine ſummis oppidanorum impenſis laboribusque, altiùs eduxiſſe; hunc unum ipſa modò ratione conſilioque, non mœnia ſolum, urbemque, ſed & fortunas omnium, vitamque, ſervaſſe. Quantum etiam cives grati viciſſim poſtea huic honorem, gratiamque habuerint, cum iis conferas licet, quibus ob præclariſſima in Rempublicam merita non ingrati exſtiterunt; doceasque, aut majora, aut paria huic contigiſſe omnia. Quodſi verò is, quem laudas, princeps ſit, exercitumque duxit, præterquam quòd ex his locis omnibus, ab adjunctis, quæ latè patent, paſſimque uſui ſunt; à teſtimoniis, à cauſis, ab eventis, ex comparatione majorum, minorum; à ſimili, à diſſimili, à contrariis, copiam petas, etiam à deſcriptionis loco amplifices maximè: cùm aut ſtrategemata genusque militum, & armorum, aut urbes, quas cepit, regionesque, & gentes, mores, aliaque id genus ſuo quæque loco deſcribas. Porrò, cùm temporis hîc ſervandus ſit ordo, danda eſt opera, ut leviora aut omittāmus, aut paucis perſtringamus. Quæ verò magna ſunt, & prudenter, & juſtè, & fortiter, modeſteque facta, laudemq; in animis hominum maximam merentur, per plures dicendi locos, plurimumque dilatanda erunt. Quæ autem laudari facta oporteat, horumque numerum, perſonæ, quas laudandas ſuſcipies, ſecum adferent, in quibus ſingulis augendis, cognitis his locis, quantam ipſe voles, moram trahas.

VT EA EX LOCIS AVGENDA; *quæ post mortem acciderunt.*

Cùm igitur hunc in modum, quæ toto vitæ cursu rectè fecit, verbis extuleris, dilataverisque; non negligendum, quomodo excessit è vivis, & quæ vitâ jam defuncto virtutis ergò magna acciderunt. Nam cùm magnis viris, dum vita manet, laudemque sequentibus, comes sit invidia; fit, ut morte jam sublata, ereptisque quos nocitura sequitur, sese evertat, patiaturque, mortuis, quem vivis noluit, suum honorem deferri. Quare si & huic vitâ defuncto, aut tumba publicè magnificentiùs sit exstructa, aut statua erecta, aut denique quotannis, ad sempiternam hujus memoriam, rerumque ab ipso gestarum, aliquid statis diebus fiat: quanta hæc sint, quo tempore fiant, quo in loco, à quibus, quantis impensis, quanto studio, aliisque id genus explicatis circumstantiis, quarum adjunctorum locus non admonet, copiosè erit exponendum. A causis item & hæc (si voles) amplifica: quæ ipsius in Rempublicam merita constent: cur tantum vel mortuo honorem constituerint. Ab eventis hic nihil sumas, cùm explicata ex adjunctorum loco causas suas præcesserint: nisi propterea hæc defuncto contigisse dicas, ut, statuto præclarè factis summo honore, plures ad imitandum pellicerentur; exponasque, ea ita ex sententia evenisse, pluresque honoris præmio incitatos, ipsam virtutem sequendo nominis immortalitatem venari. Quin etiam ex comparationis loco locupletari res potest maximè: si virtutis præmia, monumentaque huic

huic post mortem constituta, cum Regum parentationibus funebribusque honoribus conferas; atque ostendas, studio hominum ultro hæc præstantium illos superasse, rerum autem magnificentia æquasse. A dissimili item: illis à regiis, regiaque pecunia, funebria magnificentiùs adornata, huic ab universo populo, æreque publico, splendidè instructa: illis, quia Reges vixerunt, mortuique sunt; huic, quod patriæ conservator exstitit, mortuusque sit, habitus est honos: illis, ne regium nomen leve in animis vulgi putaretur; huic, ne sua virtuti præmia deesse viderentur. A contrariis: Illos subditi maximè oderunt; hunc sui summo honore prosecuti sunt: illos nova constituendo vectigalia, annonam, victumque communem aggravasse agnoscunt; hunc virtute, prudentique consilio plurimum levasse intelligunt: illos vivos Tyrannos exsecrati sunt; hunc patriæ patrem, conservatoremque, appellantes, amplexi sunt. Illos post mortem, vel ab aliis honorari ægrè ferentes, quantum in sua positum potestate impediverunt; hunc contrà universi æquali studio summis honoribus ultrò affecerunt. Quæ ratio sit personas laudandi, ab externis corporis, animique bonis, atque adeò ab iis, quæ has tempore antecedunt, simul juncta, & post insecuta sunt, ostendimus. Antecedunt autem homines tempore, patria, parentes: cum iis conjuncta sunt fortunæ, corporis animique bona omnia: post autem insecuta sunt, habiti post mortem honores, præclaráque de iis hominum judicia. Quâ autem viâ singula ex locis copiosè, instrui, augerique possint, utcunque aperuimus, non quidem eo

Laus hominũ in tria tempora dividitur: in tempus quod ante eos fuit, quo ipsi vixerunt, & quod factum eorum est insecutum. Quintil. l.3. c.7.

consilio, quod tantam copiam (quanquam paucis rem perstrinximus) in cujusvis hominis laudem (quis enim finis?) temere adducendam putemus: sed ut monstrato locorum usu pro causæ conditione, quantam quisque inde velit, copiam peteret. Neque enim hic cuiquam, quid fieri debeat, præscribemus, sed quid possit.

EADEM, QVÆ LAVDANDI *& vituperandi hominis ratio.*

Porrò vituperandi quæ ratio sit, hinc facilè intelligi potest. Siquidem idem ordo, eademque, per omnia, via in vituperandis externis corporis animique malis erit sequenda. Patriam igitur, parentesque bonos habuisse, atque inde degenerasse, patrimoniumque dilapidasse, * tam vitium dedecusque est, quàm cui hæc mala obtigerunt. In corpore autem si qua sit deformitas, ut in Thersite, suis erit verbis exaggeranda: si nulla, formâ viribusque malè usum fuisse, odio, dedecorique erit magno. Ab animo autem profecta vitia, flagitiaque, servato temporis ordine, nisi in sua vitiorum genera spargere quæque mavis, perpetuâ oratione (quod in L. Pisone facit Cicero) erunt explicanda atque exaggeranda. Quodsi fortè & jam vita defunctis aliquid accidit, quo turpitudo odiumque augeantur, non erit silentio prætermittendum. Singula autem eâdem ratione, quâ superiora, ex locis augenda amplificandaque erunt.

* Ut Catilina. *Hac in re idem præceptum, quod in laudatione servandum.*

Postremò epilogum, &c. Sunt, qui prætermittendum esse tradant vitæ modum; item mortis qualitatem; item, quæ mortem sint con-

consecuta,ut communem luctum,honores,exsequias, statuas, sepulturam magnificam.

DISPOSITIO LAVDIS *tetrasticho comprehensa.*

Principium sequitur genus: ut gens, natio, patres,
Vita micans studiis, legibus atque bonis.
Res gestas animus, corpus, fortuna ministrant.
Comparat in majus, votaque finis habet.

Thucydides, &c. Hic (ut ait Cicero de claris Oratoribus) erat Atheniensis summo loco natus, summusque vir, qui ad Olorum Thraciæ Regem, ceu ad progenitorem suum, retulit Numen: affinem habuit Miltiadem, necessarium Cimonem, ut ait Marcellinus Græcus, & Plutarchus in Cimone. Hoc auctore fuit adeò delectatus Demosthenes, ut eum octies transcripserit.

Thucydide quantum delectatus Demosthenes, Offic. 1.

Athenis, &c. Cicero de Oratore, lib. 1. omnium doctrinarum inventrices Athenas vocat, ubi omnis dicendi vis inventa sit, & exculta: & ad filium scribens, ait, urbis auctoritatem eam esse,quæ possit exemplis augere, &c. Quòd autem Attici sint acutiores, in causa aiunt esse tenue cœlum,quod qui crassium habent, crassos censeri, ut in libro de fato Cicero. Porrò Atheniensis patriæ celebritas multum faciebat ad nomen illustrandum: unde apud Ciceronem de Senectute, Seriphius Themistoclém non suæ, sed patriæ gloriâ splendorem assecutum affirmabat. Et apud Romanos magnificum erat, & gentibus venerabile, civem Romanum fuisse. Unde Divus Paulus se Romanum esse dicebat, quam

Idem in urbem Tribunus maxima summa compararit.
Cicer. in Actor. 22.
epist. ad *Eloquentia, &c.* Nihil (inquit) admirabi-
Brutum lius & magis populare, quam eloquentia. Hanc
& Quin. Cicero de Orat. 3. vocat unam de summis
l.2.c.20. virtutibus, & de claris Oratoribus, ingenii lumen.

Vitæ magistras, &c. Leges enim conditas esse constat ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam, & tranquillam. ut ait Cicero, 2. de leg.

Posteritate mandavit, &c. Id est, memoriæ prodidit. idque lib. 8. quos scripsit de bello Peloponnes. & Atheniensium.

Platæa. *Platæam, &c.* Platæa, vel Platææ, pluraliter, clarissima fuit Bœotiæ civitas: quam Stephanus dictam ait ἀπὸ τῆς πλάτης, hoc est, à remo. Statius lib. 7. Thebaid.

Nunciat excubiis vigiles arsisse Plataas.

De bello Platæensi Thucydides, lib. 2. & 3. Et Plutarch. in vita Aristidis, & Cimonis.

Attica. *Atticam, &c.* Ditio vel regio fuit Attica, in qua Athenæ civitas, philosophorum alumna: ubi primus omnium regnavit Cecrops; unde Athenienses *Cecropidæ,* ut infrà patebit.

Peloponnesus. *Peloponnesi, &c.* Peloponnesus Græciæ regio, alio nomine *Achaja,* alio *Pelasgia*, dicta. Vide Plin. 4. cap. 4. Nomen habet à Pelope Rege, Hippodamiæ viro, Tantali filio, quasi Pelopis insula. Sita fuit inter duo maria, Ægæum & Ionium, platani folio similis. De bello Peloponnesiaco Thucydides, lib. 2. Plutarchus, in Nicia.

Naupactus. *Apud Naupactum, &c.* Naupactus Ætoliæ, quæ Acarnaniæ, Phocidi, & Locris contigua, civitas, nomen habet à navium compagina-

paginatione: ναυπηγέω, navim fabrico; ναυπηγὸς: fabricator navium. Meminit Erasmus in Proverb. Excubias agere in Naupacto. Cujus navale prælium apud Thucydidem, lib. 1.

Lesbos, &c. Celeberrima fuit Ægei maris insula ante Troadem. Vide Plinium, lib. 5. cap. 31. Athenienses, duce Nicia, receptos Lesbios multarunt, muros demoliti sunt, naves & agros ademerunt. de qua re Thucydides, lib. 2. *Lesbos.*

Ambraciotis, &c. Ambracia urbs Epiri fuit aspero subjecta tumulo. ut ait Livius, lib. belli Macedonici. Hujus cives Ambraciotæ: quorum historiam Thucydides lib. 2. complexus est. *Ambracia.*

Iudicium, &c. Hujus meminit Thucydides, lib. 4. & 5. Aphthonius habet:

Δίκη Λακεδαιμονίων ἐκ ἀγνοεῖται παρόνομος.

Id est, Lacedæmoniorum sententia injusta non ignoratur.

Sphacteria, &c. Σφάττομαι, jugulo, vel macto est: unde Sphacteriam insulam ab Heracleotarum mactatione dictam esse, Stephanus ait. Historiam Sphacteriæ, Thucydides habet lib. 4. *Sphacteria.*

Pylos, &c. Hæc fuit olim urbs Nestoris, à Neleo condita. unde Ovidius: *Pylos.*

Nos Pylon antiqui Neleïa Nestoris arva
Misimus.

Distabat a Sparta stadia circiter 40. in agro Messenio. Hanc olim Demosthenis consilio munitam, Lacedæmonii oppugnarunt. Meminit Thucydides, loco citato.

Corcyrai, &c. Corcyra (secundùm Thucydidem) Peloponnesi civitas fuit. Item, insula *Corcyra Corinthiorum*

fuit colonia, quam ii deduxerunt circa Olymp. 18.

Alcinoi patria. Lucan. lib. 2. *Vela ferantur in portus Corcyra tuos.*

Hujus cives Corcyræi Athenis orationem habuerunt, qua contra Corinthios petebant auxilia; quibus compertis, & Corinthii miserunt Athenas Legatos, qui Corcyræorum orationes refellerent. Vide primum Thucydidis.

Æginates, &c. Αἰγινῆται, alii vertunt Æginenses, qui Athenienses accusaturi Lacedæmona profecti fuerunt: ut ait Thucyd. lib. 4. Æginam autem Peloponneso contra Atticam civitatem adjacentem aiunt; & insulam Pyræeo portui propinquam, ab Ægina Asopi Bœotiæ Regis filia nomen trahentem. Ovidius 7. Metamorph.

Oenopiam veteres appellavêre, sed ipse
Æacus Æginam genitricis nomine dixit.

Archidami Rhetoris meminit Quintil. l. 3. c. 6.

Archidamus, &c. Hujus meminit Thucydides, lib. 1. & 2. Hic fuit Orator, dictus quasi princeps populi. Fuit & rex Spartanorum; quem cives mulctarunt, quod exiguæ staturæ feminam uxorem duxisset. ait Plutarchus in vita Agesilai. Et ab Archidamo Thucydides interrogatus, uter ipse, an Pericles, luctâ præstaret? respondit: Ubi luctando illum vicero, mox iste, dicendo se cecidisse negat; idque spectatoribus persuadet. Plutarchus in Politicis.

Absterrens, &c. Lacedæmonii bellum propter socios Corinthios injuriis affectos illaturi erant Atheniensibus. quod Archidamus dissuasit; affirmans, eorum vires pares esse adversum Peloponnenses atque finitimos: sed adversus hostes procul habibantes esse omnino impares. Quare legatos Athenas mittendos

esse,

esse, qui nomine sociorum injurias deprecarentur, atque pacem exposcerent.

Stheneleides, &c. Qui finita Archidami oratione apud Lacedæmonios verba fecit: adhortans eos, ne socios haberent contemtui; nec ultionem differrent, sed protinus arma sumerent. Fuit autem unus Ephororum. Hi apud Lacedæmonios erant Tribuni plebis, Regibus oppositi: sicut apud Romanos Consulibus. Vide Ciceronem 3. de Legibus.

Pericles, &c. Hic fuit Atheniensium Dux, Philosophus & orator, discipulus Anaxagoræ. Vide Justin. lib. 3. Valer. lib. 8. cap. 9. Quintil. lib. 12. cap. 2. *Pericles.*

Pestilentiam, &c. Athenienses, bello atque morbo pressi, Lacedæmoniis erant cessuri; sed oratione Pericles ad bene sperandum eos exhortatus est. Vide Thucydidem, lib. 1. & 2.

Ad voluptatem, &c. Quintil. lib. 10, cap. 1. inquit: Historiam multi scripsêre præclarè: sed nemo dubitat, longè duos cæteris præferendos, quorum diversa virtus laudem est penè parem consecuta. Densus & brevis, semper instans sibi Thucydides: dulcis & candidus & effusus Herodotus. Ille concitatis; hic remissis affectibus. Melior ille concionibus; hic sermonibus. Ille vi; hic voluptate.

IN SAPIENTIÆ LAUDEM.

Exordium ductum à sapientiæ præstantia, eamque laudandi difficultate. Eam Cicero offic. 2. scientiam appellat rerum humanarum atque divinarum. Vide Tusc. Quæst. 4. *Sapientia laus.*

Adipisci, &c Sapientiam adeptum asserunt

runt eum, qui cùm vituperatur, non irascitur, & cùm laudatur, non extollitur. Plato (ut scribit Laërtius Diogenes) interrogatus; quomodo quis sapientiam adipisceretur? respondit: si non exspectârit, quæ non evenire possunt; nec de præteritis recordatus fuerit.

Iuno. *Iuno, &c.* Cicero de Natura Deorum 2. dictam ait à *juvando*. Nuptiis præest; unde *pronuba*. A parturientibus invocatur; unde *Lucina*. Apud veteres nihil aliud erat, quàm aër. Vide Macrobium, de somnio Scipionis, cap. 17.

Mars. *Mars, &c.* Quem apud Thraces natum affirmarunt, hoc est, apud bellicosos, atque feroces homines. Cujus meminit Cicero de re militari.

Pallas. *Pallade, &c.* Hanc alio nomine *Bellonam* vocabant. Lactantius, lib. 1. cap. 21. *Minervam* à minuendo, vel minando: secundùm Ciceronem. *Pallas* autem, quòd hastam vibret, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Natam aiunt è Jovis cerebro. de qua plura Macrobius, 1. Satur. cap. 17.

Vulcanus. *Vulcanus, &c.* Cicero de Natura Deorum 3. scribit, quatuor Vulcanos fuisse. Quorum primus cœlo natus: secundus Nilo progenitus fertur, *Opus* dictus: tertius Jovis & Junonis filius, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse; de quo Aphthonius hoc loco videtur intelligere. Quartus Menalio natus, qui Vulcanias prope Siciliam insulas tenuit.

Neptunus. *Neptunus, &c.* Ut Portunus à portu; sic Neptunus à nando, paulùm primis literis immutatis, derivatur. Saturni & Opis filius, qui & Παλαίμων inter Deos celebratus. Vide Ciceronem, libro de Natura Deorum 2.

Dii

Dii cognatam sibi habent, &c. A Diis progenitam sapientiam asserit. Gellius autem, lib.13.cap.8.ex Afranii sententiâ, Sapientiam scribit Usûs & Memoriæ filiam, quòd usu vitæ multâque rerum experientiâ paretur prudentia. Unde proverbium Solonis nomine celebratum, Γηράσκω δ᾽ ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Quod sic vertit Erasmus: *Quotidie addiscens plurima, fio senex.* *Sapientia Usûs & Memoriæ filia.*

Palamedem, &c. Hic Nauplii Regis Euboeæ filius erat; unde Naupliades. Ovidius in Ibin: *Palamedes.*

Naupliadæque modo ficto pro crimine pœnas
Morte luas, nec te non meruisse juvet.

Deorum filius habitus, quod ingenio divino præditus, ordinem aciei, & aliquot literarum figuras invenerit. Vide Plinium, lib. 7. cap. 56. Philostratum, lib. 4.

Nestorem, &c. Hujus pater Neleus, & mater Chloris legitur. Deorum filius putatus, propter eximiam prudentiam & eloquentiam. Hunc Agamemnon sibi semper adhibuit consulem. Cicero de Senectute: Dux Græciæ non optat, ut Ajaces similes decem habeat; at, ut Nestores, quinque. Homerus Iliados α: *Nestor.*

—— Τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς, Πυλίων ἀγορητής.
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Deorum filios, &c. Ut Herculem, Æsculapium, Mercurium, Æneam, Achillem, Liberum, Cæsares. Etenim gentilitas olim magnates atque Reges *Deos* appellabat; sive ob miraculum virtutis; sive ob prudentiam, sive ob beneficia, quibus etiam ad humanitatem com-

compoſiti; ſive in adulationem. Vide Lactantium, lib. I. cap. 15.

Deorum naturam permutare conati, *&c.* Sunt qui hunc locum ita reddunt ex Græco: Non illis Deorum naturam attribuentes, ita enim veri Dii fuiſſent, communione generis commune bonum ſortiti, ſed quatenus id bonum ſibi compararunt, Deorum filii exiſtimati ſunt.

Vtriuſque temporis, *&c.* Id eſt, divinum munus ac progenies ſapientia principatum obtinet & pacis & belli temporibus. Nos exhorreſcere metu non ſinit, & hac præceptrice in tranquillitate rectè vivere poſſumus. Vide Ciceronem, de finibus bonorum & malorum.

Futura proſpicit, *&c.* Docet enim ſapientia, nihil temere & præcipitanter agendum; ſed omnia conſultò & præmeditatò. Cujus proprium eſt, nihil quod pœnitere poſſit, facere; ut ait Cicero Tuſcul. Quæſtion. 5. Et non committere, ut aliquando dicendum ſit: *non putaram*. ut inquit idem Cicero offic. I. Valerius, lib. 7. cap. 2. Porrò ſapiens aſſueſcit futuris malis, & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Præcogitati enim mali mollius ictus venit. Ideò ſtultis, fortunæ cedentibus, omnis videtur nova rerum inopinata facies: ut ait Seneca ad Lucilium, Epiſt. 77.

Cœlum, *&c.* Id eſt, Sapientia nobis revelavit, quæ ſunt in cœlis arcana, τὰ ἀπόῤῥητα, ineffabilia myſteria.

Vitâ defuncti, *&c.* Ut & Galli ſapientes, qui perſuaſum habuerunt, animas hominum immortales eſſe, ſoliti pecunias mortuis, quæ apud

apud inferos redderentur, dare. Valerius, lib. 2. cap. 1.

Actus sapientiæ, &c. Ad molem immanis equi respexit. Virgilius 2. Æn.

Instar montis equum divinâ Palladis arte
Ædificant, sectâque intexunt abiete costas.

Et unius consilium, &c. Aphthonius sic habet: Καὶ Περσῶν ὅλην διέλυσε δύναμιν δι' ἑνὸς κύρου σα βουλεύματ@. Rodolphus Agricola pro κυροῦσα videtur legisse Κύρου. Fuit quidem sapientissimus Persarum rex Cyrus, qui dicere solitus, neminem debere principatum suscipere, nisi melior his, in quos acciperet. Is Astyage, Medorum rege, avo materno victo, regnum Persicum auxerat, non ademerat. Vide Justin. lib. 1. Sunt igitur, qui hunc locum referant ad Alexandrum, qui legitur Persas in fugam convertisse. Alii malunt ad Aristidem referre: sub quo duce Persæ victi, eorumque dux Mardonius Arimnesto Spartiata saxo caput saucius, ut ab Amphiarai oraculo sibi prædictum erat, occiditur. ut Plutarchus in vitis refert. *Cyrus regnum à Medis ad Persas transtulit, circa 10. Olym. 56.*

Cyclops, &c. Dictus ab uno, quem habuit in fronte, oculo; quasi circularis oculus. de quo apud Virgilium, in tertio Æneidos libro: *Cyclops.*

Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commixta mero; Nos magna precati
Numina, sortitique vices, unà undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torvâ solum sub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Pro-

Propertius lib. 4.

Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis,
Victa Maronæo fœdatus lumina Baccho.

Vide Homerum, Odyss. 3.

Fortitudo. *Fortitudo culpanda*, *&c.* Sine Sapientia (inquit) fortitudo non est fortitudo; sed temeritas. Propterea quòd fortitudo est contemtio laboris & periculi cum ratione utilitatis, & compensatione commodorum. *Temeritas.* Temeritas est, consideratâ dolorum perpessione, gladiatoria periculorum susceptio; ut ait Cicero ad Herennium 4.

EXEMPLA LAUDATIONIS.

Et primò laus Demosthenis.

Exordium. Qui parentibus obscuris nati ad decus præclarum virtute propriâ adscenderunt, non inferiorem laudem merentur, quàm qui nobilitate majorum superbi se jactant. Major enim est gloria, virtutibus propriis niti, quàm alienis intumescere.

A genere. Demosthenis quidem pater Demosthenes fuit, vir honestus atque probus: sed plebeius, ab officina gladiorum *Macharopœus* appellatus, vix seculo suo notus: ut Valerius inquit. Atqui filius ad summum decus evectus, omnibus majoribus suis præluxit.

Diis ille adversis genitus, fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus,
A carbone & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Vulcano, ad Rhetora misit.

A patria.

Ut ait Juvenalis Satyra decima.

Demosthenem legem orandi vocat Sortitus fuit Patriam, ubi inventæ & excultæ bonæ disciplinæ. Unde, velut ex equo Trojano, complures viri celeberrimi prodierunt.

Majo-

Majores parum illustres habuit; sed eos ipsos eloquentiâ atque virtute suâ nobilissimos reddidit, oratorum princeps æstimatus. *Quintil. l.10.c.1. A majoribus.*

Honestè fuit educatus, ac bonis disciplinis institutus, sub Oratore clarissimo Isæo, & præceptore Platone; ad bonarum literarum studia inflammatus à Thrasio Eunomo. *Ab educatione.*

Ingenii specimen sub primâ juventâ statim emicuit. Vis in eo dicendi mirabilis & gloriosa Rempub. tutata fuit. Nactus in Repub. materiam uberem, & honestam, pro Græcorum libertate adversus Philippum, & in ea præclarè, decertans, confestim nomen & gloriam assecutus est, nec solùm ut disertus, verùm etiam ut fortis vir suspiciebatur, ut admiraretur ipsum Græcia, observaret Persarum Rex, plurimusque apud Philippum sermo esset, & confiterentur adversarii, sibi adversus præclarum virum esse certamen. *A bonis animi. In quem ejus Philippicæ exstant.*

Corporis quidem in eo fuit imbecillitas, quam ingenio atque doctrinâ compensavit, atque resarsit. Etenim commemorato nomine *Demosthenis*, maxima eloquentiæ consummatio audientis animo oboriebatur. Lateris quidem firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, à labore mutuatus est. Qui cùm rerum naturâ præliatus & quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa fuit, ut ait Valerius Maximus. *A bonis corporis. Humerorum jactationem quomodo ille emendârit, vide apud Quintil. l.11.c.3.*

Patrimonium abundans relictum erat: sed id tutores malè administraverant. Partem enim surripuerant, partem neglexerant. Ipse tamen satis opum studio consecutus, & iis præstantiora bona secum gestabat, non humeris, *A bonis fortunæ & à morte. Adversus tuto-*

meris, non oculis visenda, sed æstimanda animo: quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt; & ut manentibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt; ut de Bia Valerius scribit.

res suos puer adhuc pupillares actiones habuit Demosthenes: ut testatur Plutarch. in ejus vita: & Quint. l.12.c.6.

Pro salute Reipub. vitam amisit: unde ejus mortis diem omnium mœstissimam egerunt, & inter sacra Cereris jejunarunt mulieres. Populus item Atheniensis, honorem illi reddens, statuam, utque maximus natu sui generis publicè stipendia haberet, decreverunt.

ALIUD EXEMPLUM IN *laudem Philippi regis Macedonum.*

Exordium. Ex Græcorum Regibus; meo judicio, nullus fuit quem non Philippus Macedonum Rex vel ingenii dexteritate, vel virtutum meritis exsuperarit.

A genere & patriâ. Patrem habuit Amyntam, summæ prudentiæ virum, patriam celeberrimam atque regnum adeptus centum & quinquaginta populorum. Plinius lib. 4.

Ab educatione. Epaminondâ strenuissimo Imperatore, & summo philosopho usus est præceptore. (Orosius, lib.3.cap. 12.) A quo & bellicis artibus & philosophiæ præceptis præmunitus ad regnum accessit.

A rebus gestis. Thessaliam domuit, Græciam penè totam consiliis præventam viribus vicit; nec ita bellicis tumultibus præpeditus, & victoriis affectus, ut à liberali Musâ & studiis humanitatis abesset. Quin lepidè comiterque pleraque & fecit & dixit, & egregia ingenii monumenta reliquit. Argumento sunt Epistolæ, munditiæ,

tiæ, venuſtatis & prudentiæ pleniſſimæ; velut illæ quibus Ariſtoteli natum ſibi filium, & ab eodem inſtituendum, denunciavit. Quibus omnibus ea, quæ fortaſſe juveniliter patraſſe criminari poſſet, abundè ſatis delevit.

Clementia ſingularis in eo fuit ac benignitas in victos: unde quibusdam ipſi conſulentibus, ut cum Athenienſibus aſperiùs ageret, reſpondit; illos abſùrdè facere, qui homini, cuncta ad gloriam tum agenti tum patienti, ſuaderent, ut gloriæ ſuæ theatrum abjiceret. ſignificans, ſeſe hoc agere, non ut Athenas everteret, ſed ut civitati celeberrimæ, doctiſſimorum virorum copia florenti, ſuas virtutes probaret. Item: Quidam petulantioris linguæ maledicta conjicere ſolebat in Philippum. hunc, amici hortabantur, ut ejiceret in exilium. At ille negavit ſe hoc facturam. demirantibus, quid ita! Ne, inquit, oberrans inter plures malè de me loquatur. *Ab animi bonis.*

Quod maledicum non egit in crucem, vel clementiæ erat: quod ignovit, vel magnanimitatis: quod contemſit, quod noluit expellere, prudentiæ; plus enim nocuiſſet. Vide Eraſmum 4. Apophthegmatum; Diodorum Siculum, lib. 3. *A comparatione.*

Quis autem Hannibalem, Carthaginenſium ducem, Philippo cenſuerit comparandum? Ille multa quidem geſſit, ſed pleraque perfidiosè ac crudeliter; hic omnia ſapienter, ac cum animi ſummâ moderatione. *Epilogus.*

Longè plura de tanto Imperatore dicenda eſſent; ſed finem facio, contemplans, meam dicendi facultatem longè inferiorem eſſe, quàm ut tantis Philippi virtutibus par eſſe poſſit.

ALIUD EXEMPLUM, IN *eloquentiæ Encomion.*

Cùm, autore Gellio, turpius ſit frigidè laudare, quàm inſectanter vituperare; metuo, nè non encomiòn eloquentiæ minùs aptum ego dicturus, ingenii magis inopiam proditurus ſim, quàm dignis illam laudibus evecturus. Attamen, ſi libet ejus principium conſiderare; reperiemus eam honeſtiſſimâ productam origine, optimiſque rationibus profectam.

A Genere. Quintil. l.2.c.20. De eloquentiæ autem præſtantiâ vide apud eundem l. 2. c. 26. Ab iis, quas perficit, rebus:

Quæ cùm una ſit de ſummis virtutibus, (ut ait Cicero,) nemini dubium eſſe debet, quin ab illo, qui fons omnium virtutum eſt, & origo, profecta ſit: nempe à Deo Opt. Maximo; cujus (ut ſacra Scriptura meminit) dona ſunt linguarum genera, omneſque ſapientiarum ac ſcientiarum ſermones; ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia.

Cœlitus igitur demiſſa admirabilem in rebus humanis potentiam recipit, & incredibilem efficaciam facultatemque accendendi mentes ad honeſtatem, animos ad gloriam. Afflictos conſolatur, perterritos timore vacuos reddit, ſeditiones compeſcit, feros & agreſtes homines ad humanitatem deducit. Unde poëtæ Orphea & Amphiona finxerunt demulſiſſe feras, & cum arboribus montes traxiſſe. ait enim Horatius:

Agreſtes homines, ſacer interpreſque Deorum
Cædibus, & fœdo victu deterruit Orpheus:
Dictus ob id lenire feras, rabidoſque Leones.
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, &c.

Sed

Sed, inquis, eloquentia ſceleſtos pœnis eripit; falſis veritatem expugnat; ſtatus Reip. evertit: ut bono jure Lacedæmonii Rhetores videantur expuliſſe.

Occupatio.

Eſto! ſed eâdem ratione omnes bonæ artes, omneis magiſtratus, cùm utrinque aliquando proveniant mala, poſſent expelli. item, è medio tolli ignis & aqua, unde ſæpenumero maxima oriuntur diſpendia. atqui bonæ res malæ non ſunt, ſi bene utamur.

Hac de re uberrimè apud Quintil. deca. 16. lib. 2.

Redditio.

Quis eloquentiæ prætulerit liberalitatem? hæc paucis poterit prodeſſe; illa ſuas in omnium mortalium ſalutem vires extendit.

Comparatio.

Rerum magnitudine deterritus finem facio: etenim maximis eloquentiæ laudibus vix ullius dicendi facultas reſponderit.

Epilogus.

ENCOMIUM MARPURGENSIS *Academiæ.*

A dicentis officio.

Ingratiſſimus omnium haberi meritò poſſem, ſi concionis hujus hodiernæ autoribus, nempe iis, quibus me ipſum debeo, non in præſentia morem gererem, in dicendis, quem ſcopum hujus orationis eſſe voluerunt, beneficiorum laudibus, atque ſummis in nos omnes meritis. Rationis omnis expers volatile Ciconiam, novimus omnes, officii mutuam rependere vicem ſolere: ut hinc, Ἀντιπελαργεῖν, natum ſit proverbium. Quanto æquius ac juſtius nos, qui ratione ducimur, gratiam nobis benefacientibus, ſi propter culpam fortunæ iniquioris non parem referre potuerimus, tamen aliquam, ſcribendo ſaltem, bene ſentiendo, atque aſſiduis illos extollendo laudibus, & habere & agere non de-

trectaverimus? Cùm autem Academia Marpurgenſis, veluti mater omnium noſtra communis benigniſſima, nos tanquam alumnos ſuos, & clariſſima pignora, ſinu blandiore foveat, nos bonis literis inſtituat, nos probatis moribus exornet, nos denique maximis honoribus afficiat; quis vel pietatis ullo tangi confirmet illum affectu, qui rogatus, aut juſſus, parentem tam officioſam pro virili ſuâ nolit, ut ingratitudinis moroſæ filius, ad ſidera ferre? Hæc cùm ipſi vos optimè teneatis meditata, nihil omnino dubitandum erit mihi, quin jam ſilentium pollicentes, vos omnes ornatiſſimi atque iidem integerrimi viri, ac ſtudioſa juventus, me patienter ſitis audituri.

Ab auditorum attentione & argumenti fertilitate.

Injunctum eſt mihi Academiæ noſtræ Marpurgenſis Encomion dicere. Inprimis autem gaudendum, ac lætandum mihi video, partim quòd vos ad audiendum tam avidos contemplor: vos omnes tam attentos, quàm pudens ego; quàm hæſitans ego; quàm tremebundus ego, primùm huc adſcendi: nunc autem veſtro, quo me omnes proſequimini, favore, atque hilaritatis adſpectu, longè redditus alacrior: partim, quòd talis oblata ſit dicendi materia, in qua etiam erudito parum, hoc eſt, mei ſimillimo literaturæ levioris homuncioni, non deeſſe poſſit oratio; ut longè difficilior videatur exitus inventio, quàm principii, nimirum ut non tam copia mihi, quàm modus in dicendo quærendus exſiſtat.

Ab auctoribus ac fundatori-

Nam ſi protinus ab initio ipſos gymnaſii noſtri celeberrimi auctores ac patronos conſideres, ac perpendas, ſive Deum Opt. Max. cujus cæleſti providentia ac divino nutu inſtituun-

ſtituuntur, eriguntur, ac gubernantur universa, quæ in terris ſunt; ſive illuſtriſſimum noſtrum Haſſorum principem: ſtatim tibi tam inundans verborum ac rerum flumen occurret, ut te magis obrutum copiâ, quàm inopiâ, preſſum iri fatearis. Quid? (ut illum ἀνεκφώνητον, ἀνεξερεύνητον, ἀνεξιχνίαστον, qui extra omnem eloquentiæ cœleſtis, nedum terreſtris, aleam eſt poſitus; cujus gloriæ nullum principium, nullus finis exiſtit, Deum Opt. Maximum prætercam) vel ſolæ hujus terreni numinis, quo Domino ac fundatore noſtra Academia meritò gaudet, jubilat & exſultat, Principis illuſtriſſimi dotes tantam dicendi copiam offundunt, ut ſpiritus dicturo citiùs defecerit, quàm increſcentis beneficio rerum orationis curſus. *Academiæ.*

Quid enim memorem tot antiquiſſima ſtemmata; tot majorum imagines; tot pacis, tot belli clariſſima facinora, atque parta trophæa? Quid tantam vitæ integritatem, tantam clementiam, tantam prudentiam, tantam pietatis ac veræ religionis curam? Quid denique innumerabilia alia, quæ omnia ac ſingula, tam ſplendida, tam lucida, tam illuſtria ſunt, ut, ſi alienæ claritatis polities ac nitor fuerint adjuncta, plus obſcuritatis ſint allatura, quàm lucis? Ideoque tam fertilia, tam copioſa prædicatu omnia, ut centum linguas, imò centena principum eloquentiæ millia fatigare poſſent. *Ab illuſtri principis Haſſorum genere, factis atque virtutibus.*

Quis enim, ut alia transſeam omnia; quis (inquam) vel Neſtore, vel ipſo Pericle facundior, eloquentiâ digna ſatis expreſſerit, quanta diſciplinæ militaris arte contuderit horridos Sichingiani terroris inſultus? quanto pri- *A diſciplina militari.*

ſtinum in regni ſtatim animo reſtituerit Ducem Wirtenbergenſem? quanto pectore compeſcuerit ſeditioſos ruſticorum tumultus? quanto denique ſpiritu vicerit Duces Brunſvicenſes, Patrem & Filium?

Ab aliis Academiæ præſidibus, atque Mecœnatibus.

Quare digna ſatis laudatu, ſatis glorioſa Marpurgenſis Academia videretur, ſi vel ſolùm tot & tantis fundatoris ſui decoribus & ornamentis conſpicua floreret. Sed, ut Univerſitatis noſtræ amplitudo fiat admirabilior; accedunt complures, quos omnes enumerare longum eſſet, natalium claritate, facultatum laureis, ac virtutum meritis præſtantiſſimi patroni, quorum fácundia plurimum apud exteras nationes promovit, quorum gravitatis excellentia protexit, dignitatis denique tituli protulerunt & exornaverunt Academiæ noſtræ pomœria. Quibus omnibus robuſtiſſimis, veluti columnis ſuffulta; quibus tutelaribus divis Academia Marpurgenſis undique circummunita; quid ulterius excogitare poterit, quod origini ſuæ & fortunarum primitiis, vel ſplendidius vel excellentius adjicere poſſit?

A temporis opportunitate.

Jam ſi tempora, quibus inſtituta fuit, à primo diligenter excuſſeris, invenies profectò Saturni ſeculis non infeliciora, quibus bonæ artes atque virtutes ubique gentium anteà proculcatæ capita ſua feliciter exſeruerint: quibus homines nullis inquietari bellis, nullis inteſtinis ſeditionibus inſauciati, nullis hæreſibus Anabaptiſticis effaſcinati, nullis denique præliis funeſtati, ſed velut optimis fortunatiſſimi fores pulſantis ævi auſpiciis. Atqui ſi qua tum priſcæ veſtigia fraudis remanere, aut malorum lerna videbatur impendere,

dere, ea ſtatim omnia ab Illuſtriſſimo Principe noſtris procul à finibus propulſata fuere.

Quodſi locum, ubi Marpurgenſis Univerſitas erecta, perſcrutatus fueris, vix ullum profecto reperies vel amœniorem, vel commodiorem. Ubi Marpurgum, Haſſiæ Metropolis, tot vetuſtis antiquiſſimorum ædificiorum ſtructuris veneranda, prudentiſſimorum incorrupto Senatorum ordine conſpicienda, florentiſſimo ſimul ac honeſtiſſimo rerum privatarum ac publicarum ſtatu nobilitata reſplendet: cujus forum curia ſpecioſiſſima marmoreis quaſi lapidibus exciſa devenuſtat; & aqua fontana, tot fiſtulis ac ſiphunculis jam recenter artificio mirabili factis, emiſſa, & murmure blandiore delectat, & adſpectu pulchriore totum locum exornat. *A quæſita loci commoditate.*

Verum, ut occaſio reprehendendi ſemper eſt obvia, ſi quis calumnietur, ipſam urbem plus æquo fragilibus cinctam eſſe muris; reſponderi poterit, quod olim Ageſilaus ille, Lacedæmoniorum Rex, percontanti, quam ob cauſam Sparta non cingeretur muris, reſponſum voluit, oſtendendo cives armatos, inquiens; Hi ſunt Spartanæ civitatis mœnia. quo ſignificavit, Reſpublicas nullis munimentis, nullis vallorum propugnaculis tutiores eſſe quàm civium virtutibus. Marpurgum ergo tutiſſimum eſt, ac firmiſſimum tot ſtudioſorum, tot fortiſſimorum civium virtutibus. Nam lapideo quod operi deeſt, id animorum robur, ac præſtantia, compenſant: & quod hominum artificiis, id natura loci tot præruptis undique montibus reſarcit commodiſſimè circumſepiendo: ubi *A contradictione.*

celeberrimus iste fluvius Lanus infractum orientali lateri dorsum accommodat.

Ab aquarum salubritate, & piscium copia. Qui aliàs etiam, quasi Nilus fœcundans omnia, plurima delicatissimorum genera piscium educat, atque producit. Cujus item potentia medica celebratur, ut cum multis nominum minimè vulgarium Thermis contendere possit. Etenim psoram ac impetigines omnes, quibus communiter studiosi divexantur, præsentissimè sanat: ut, nemo tantâ scabie laborans huc veniat, qui non semel atque iterum lotus; ocissimè curetur. Hinc complures audias, qui, quem cutis glabellæ nitorem assiduis alibi lavacris experiri non potuerint, eum sese fateantur hîc vel citra negotium assecutos solius beneficio Lani, maximè peculiarem pratorum alvei Marpurgensis virtutem haurientis.

A loci amœnitate, & ubertate. Ubi, præter jam dicta, tot amœni prospectus, tot hortorum decora, tot agrorum lumina; ut illud, Nullus in orbe sinus Marpurgo non Baiis prælucet amœnis, dubio procul scriptum reliquisset Horatius, si modo cognitum habuisset, & versus non reluctaretur: equidem

Aureus hic annus, biferique rosaria Pæsti,
Hic propius ductum credas frondere Tarentum.

Hic denique Musis omnibus gratissimus locus, ubi rerum omnium uberrimus proventus: ut non solum innumera civium ac studiosorum multitudo victum acquirere facillimè possit; sed etiam fertilitas nativa miserrimæ locorum exterorum sterilitati suppetias ferendo, non parvas alienarum civitatum sitarchias expleat, Respublicas alat, sustentet, lætificet.

Ubi

Ubi denique maxima aëris salubritas, ut ipsa pestis, aut acutus alius (nam quæ de pleuritide modò feruntur, puerilia sunt) morbus nunquam, nisi fortasse (quod tamen rarissimum) decennio toto elapso, grassetur. Cujus rei causa poterit evidens esse, vel tam placida cœli temperies, vel tam sereni totius machinæ cœlestis adspectus, quibus Marpurgensem, ut omnium sibi dilectissimam, æternus ille Pater, singulari quadam clementiâ commotus, prosperare dignatus est civitatem. Quæ non solaribus nimium æstibus subjecta jacet, nec frigoribus nimium borealibus propinqua, sed temperatiore sub climate constituta. *A cœli clementia.*

Veruntamen, si tempestuosior aliquando ac immitior aër (ut omnium rerum est vicissitudo) videtur ingruere; longè plus utilitatis ille semper, quàm incommodi, solet importare. Sic enim ad omnes fortunæ truculentioris impressiones assuefiunt: sic ad morbos ferendos; sic ad durissimos labores perferendos, exercentur, ac educantur corpora. *Ab aëris horridioris commoditate.*

Porrò, si quispiam conqueratur, regionem istam montosam, asperam ac lapidibus confragosam inhorrescere; hic mihi sapiens Darii majoris factum animo præsenti revolvat. Ille populum suum, regionis scabritiem & asperitatem campestri ac molliore tractu commutare cupientem, minimè permisit: affirmans, hominum habitus, ut semina ac plantas, ad regionis naturam immutari, sentiendo, se malle duros homines, & laboribus accommodos, quàm molles, quàm ignavos, quàm effœminatos; quales regio mollior generare solet. Quod si diligenter animo col- *A clivosæ regionis utilitate.*

lectum discusserit, nullam in orbe ditionem fore confitebitur, quam cum sua permutare debeat illustrissimus Hassorum Princeps, innumera virorum millia possidens, qui tempore pacis bona studia ac virtutes excolere noverunt: bellis autem imminentibus, qui labores perpeti; qui maximum exercitum ducere; qui summa pericula subire; qui fortiter arma tractare; qui munitissimas urbes evertere; qui denique præcelsas arces demoliri possunt. Quare Pœnorum accerrimus dux Annibal, in Italiam ab initio per Alpes, per tot frigora ac nives irrupturus, maximis olim stipendiis coëmisset tales virorum manus, quales producit Marpurgum; ubi corpora vegeta, robusta, præstantiaque proveniunt, ac procera grandescunt.

Ab ingeniorum dexteritate.

Sed ne proverbium, Ἄνες ὁ μακρός, id est, Amens qui longus est, in eosdem quadret; accedit acutior mentis, & ingeniorum sagacissima perspicacitas. Non enim Marpurgensi multum aversus equos Sol jungit ab urbe. Quæ nec, ut aliæ quædam, in vallibus profundis, in locis cavernosis, in lacunis, atque speluncis palustribus est condita; ubi perpetuo fœtore graviter olentes nebulæ, ubi putres exhalationes, ubi pestiferæ Mephites virosâ crassitie corrumpunt aërem; deinde mentium humanarum acies hebetant, & Saturnias quasi lemas offundentes, ingeniorum vires obnubilant: ubi ferarum latibula, luporum ac ursorum spelæa; ubi horrenda denique serpentum ac draconum antra belluinam ad naturam animos transformant humanos: sed potiùs, ut nobilissima Regina, Marpurgensis civitas, bonarum artium omnium receptaculum,

lum, puriorem, eminentiorem, & ingeniis bonis aptiorem cœli partem elegit, & ita sollertem sese composuit, ut proximè ad figuram hominis, ac virtutis simulacrum, accedere videatur.

Enimverò quemadmodum à Deo Opt. Max. videmus hominem effictum erectâ facie rigidum, ut scilicet ea speculetur, unde ejus origo est, nempe cœlestia; reliquum autem universum animantium genus pronum, & ad terram versum: quod etiam Ovidius innuit, dicens: *Ab urbis figurâ, vel habitu.*

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram; *Metam. 1.*
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Sic clarissimum, ubi nostræ Academiæ pulcherrima sedes est, Marpurgum, non aliter atque homo princeps, caput erectissimum ac eminentissimum suis turribus, ut diademate regio coronatum habet. Nempe quam admiramini toties ἀκρόπολιν, arcem istam, quæ candidam frontem suam veluti inter nubila condit: cujus collum monili baccato suis velut unionibus irradians prominet; illinc nitidis clarissimi domini Cancellarii Joannis Ficini palatiis; hinc illustrissimi Principis sapientiæ domicilio, quod βουλευτήριον aut δικαστήριον appellamus, exornatum. Corpus est tot membris & articulis, id est, domibus ac palatiis insigne, quicquid intra civitatis Marpurgensis mœnia situm esse novimus. Pectus, est ipsum templum. Curia ista, ut alimentorum dispensatrix, est stomachus. Utrumque collegium, Pomœrii, & (ubi jam hæc dicimus) Lani, sunt præcordia. Duo

vici, alter, quem vulgo den Grien: alter, quem Bulgenstein appellant, femora sunt aquis proxima: quod circum eas corporis partes crebris lotionibus indigeant, ideóque mediastinis assignati. Brachiorum alterum, nempe dextrum, est ista platea, quam vernaculâ linguâ den Stein-wäg vocitant: Sinistrum, quod suburbium, Weidenhausen. Pedes autem instar fortissimi bovis (juxta proverbium) altius in terræ viscera defixit. Sic disparsis veluti manibus, & commodissimo suæ vastitatis immobilioris anfractu, studiosos omnes, quasi gremio sinuoso, ut benignissimo, sic tutissimo, complectitur, & exosculatur.

A meritorum compensatione, studioq; justitiæ.

Cæterùm, ut honestate conspicuos peculiari quadam humanitate, quæ sua est benignitatis excellentia, prosequitur: sic in dyscolos ac nebulones omneis meritam ac justam (ut æquum est) severitatem exercet; ut suis flagitia, suis ipsam virtutem præmiis condecoratum iri cognoscas. Etenim cum alterum brachium, nempe dextrum, id est, platea der Stein-wäg/ jucundior quidem, sed ascensu difficilior videatur: non immeritò virtutis illi dextro calli poterit comparari, quo ad virtutis & honorum præmia traducuntur homines. Contra, cùm Weydenhausen ostendat viam latam, decliviorem, & facie tenus molliorem, sed ubi progressus fueris, satis lutosam, ac etiam calamitosam, ubi Lictores & Carnifices habitant, sceleratorum calli nobis devitando poterit assimilari, juxta illud:

Hæc via virtutis (nimirum der Stein-wäg)
dextrum petit ardua callem,

Diffici-

Difficilemque aditum primùm ſpectantibus offert:

Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.

Molle oſtentat iter via plana, (Weidenhauſen) ſed ultima meta

Præcipitat captos, volvitque per ardua ſaxa.

Intellige cruces, ac tormenta. Cujus Virgiliani carminis quaſi dilucidam paraphraſin cernis, ſi Marpurgum ipſum penitus adſpexeris. Nonne metam callis dextri & requiem vides, Germanicam iſtam domum: ubi præſtantiſſimus Dominus Commendator, vir ut nobilitate clarus, ſic omni bonitate præditus, omnes literarum meliorum ac virtutis cultores, itineris difficultate, ac ſtudiorum aſſiduitate ſubinde defatigatos, curisque confectos, comiter excipere, ac generoſiſſimo vino, *A liberalitate domini Commendatoris ædium Teutonicarum.*

—— quod cum ſpe divite manet

In venas animumque tuum, quod verba miniſtret,

reficere, & curas diluere ſemper eſt aſſuetus?

Quoties ad cœnas Academiæ noſtræ fautores ille vocans, velut accepturos virtutis præmia, refrigeravit, & non ſemel ita bonæ fortunæ calicibus exhilarans obruit, ut neque mentes illorum, neque pedes, officio ſuo ſatis functa conſpexerimus? Quoties ad prandia Muſarum antiſtites ſtudendo defeſſos, & laboribus exhauſtos, veluti literarum fructum percepturos, invitans, humaniſſimè tractavit, & ferculis recreavit opiparis? Et ne longiùs exempla petantur; quoties ille M. Caſparum, jam Academiæ noſtræ Decanum digniſſimum, tot piſcibus delicatioribus, utpote carpioni-

bus ac lupis, exornavit, atque tot aliis lautitiis labore publico & domestico delassatum refecit; ut vel ille solus satis abunde testari possit, ædes Teutonicas esse dextri apud Marpurgum callis, æmuli virtutis, metam, & requiem inibi placidissimam? Quo admoneri possumus: Radices literarum ut Isocrates ait, amaras esse; fructus verò dulciores: callem virtutis ascensu difficiliorem; sed metam omnium jucundissimam. Atqui te non moveat, quòd hic illius terminus & apex summo vertice non pendeat, sed magis ad locum inferiorem recesserit: id enim mysterio non caret. quo sapientissimus ille (quicunque fuit primus architectus) admonere voluit; eam virtutis naturam esse, ut elata nunquam superbiat, nec summo fastu, quod habet pulcherrimum, vulgò profanis oculis ostentet, sed potiùs thesaurum, ceu vili cortice dissimulans, quod habet eximium, intimis penetralibus recondat & occultet. Hinc est, quòd Elizabethica domus, fastigio sublimitatis posthabito, locum humiliorem præoccupando, sectantibus virtutem maluerit in occulto munera digna conferre, quàm in excelso loco gloriam sortiri.

Ab alterius litera Pythagorica callis explicatione.

Sed ad alteram virtutis viam redeunti, Weidenhausen illud sese offert, quod, quam miserabilis, quàm flebilis vitæ sceleratæ sit exitus, luculenter ostendit, ubi

Εἰς κυνόσαργες, εἰς μακαρίαν, καὶ εἰς κόρακας. Ubi ipsissimum fustuarium, ac teterrima tot morticiniorum porcorum ac cadaverum vorago atque barathrum; ubi fames, & atris volitans infamia pennis; ubi fera pœnitentia; ubi damnatorum gemitus & ejulationes sæpius

pius audiuntur; ubi tortorum ferocia; ubi carnificum crudelitas jam sontes virgis cædit, jam cauterio, vel candenti ferro buccas facinorosorum perforat, jam sicariorum membra rotis diffringit ac contundit. Jam furti reos in crucem tollit; jàm latrocinii, aliorumque criminum convictos, alio atque alio mortis genere dilaniat, atque immaniter obtruncat.

Ab epilogo dictorum.

Ergo ex his omnibus, ornatissimi viri, & studiosa juventus, opinor, intelligitis, quanto consilio, quantis rationibus adductus Illustrissimus Princeps noster, voluerit apud Marpurgenses Academiam erigi atque fundari: quòd inibi vicus penè omnis, omnis angiportus, omnis platea, studiosos homines virtutis admonere; turpissimos autem nebulones, à vitiorum ac scelerum maleficiis deterrere possit. Hæc de patronis, origine, & loco Marpurgensis Academiæ.

Ab uberrimo studiosorum, bonarumque disciplinarum proventu.

Nunc ad ea digrediar, quorum utilitate provecta cum omnibus ferè Germaniæ totius Academiis certare possit. Quænam igitur hodie nobis Vniversitas uspiam proferri poterit; ubi tanto làbore, ac fidelitate, genus omne studiorum tradatur; ubi purissima majore cum fructu Theologia doceatur; ubi facultas Medica, ubi Jurisprudentia ferventiore cultu tractentur? & sic omnia, ut nihil prorsus in linguarum nobilissimarum cognitione; nihil in omnibus, nisi unam (cujus me vel invitum professorem esse voluistis) excipiendam putetis Rhetoricam; nihil inquam in omnibus artibus bonis, & optimis disciplinis, desiderari possit?

Ubi tot & tanti professores, tot novi, tot

Ab optimorum praeceptorum, atq; doctissimorum celeberrima turba.

veteres doctores effulgent, gravitate, doctrinâ ac vitæ sanctimoniâ, non solùm apud nostrates, sed magis apud exteros nobilitati: ut adeò, quotquot hic videas, quotquot intuearis, tot Homeros, tot Aristoteles, tot Apollines, tot denique numina quædam te juraveris videre. De singulis jam nominatim disserere, & illorum prohibet modestia, & temporis opportunitas non concedit: sed ut generatim & modestè dicam, purissima vasa sunt, & habitacula, in quibus omnia studiorum optimorum genera vigeant, regnent, ac triumphent, à Deo optimo Maximo clemente erogata. Quare si jam Apollonius ille viveret, non opus haberet Caucasum laboriosissimè pertransire; nec Scythas, Massagetas, nec Albanos, ditissima Indiæ regna; tantis cum periculis, bonorum literarum gratiâ, denuo penetrare. Item si Pythagoras, si Plato, si Archytas ille Tarentinus, in vivorum adhuc contuberniis agerent; non haberent necesse, Persas, Lacedæmona, Cretas, Ægyptum, tot denique regiones alias, studiorum causâ peragrare: cum omnia Marpurgi quàm plenâ manu habere, tam multo minore temporis ac rerum jacturâ, consequi possent.

A discipulorum copia, studiis & officiis.

Quo fit, ut numerosissima semper discipulorum turba adsit: quorum indies tantam diligentiam experimur, ut nec Cleanthis, nec Aristophanis, quorum utriusque pertinacissima fecit proverbio locum vigilantia, major unquam exstiterit. Unde non opus præceptoribus ultro currere, ut doceant, aut mane ad fores sedere, & opperiri (ut Gellii verbis utar) prope ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant: sed potiùs & lite-

literarum & præceptorum adolescentes amantissimi, quicquid officiorum jura præscripserint, suâ sponte faciunt; ut subdere stimulos nunquam necesse sit, sed magis (quod de suo Theopompo Socrates inquit) adhibere frena.

Ergo quænam exotica, tanto superbiens Academia fastu, suas jactare solùm, ac præferre; nostræ autem Academiæ dotes audeat elevare, ac contemnere? cùm prædivite lectionum optimarum copiâ, Professorum electissimorum numero, studiosorum diligentiâ, nostram aut superiorem, aut omnino parem esse, judicis æquioris sententia constiterit.

Quid? quod apud nonnulla gymnasia malorum consuetudine juventutem corrumpi, aut indulgentiâ omnia disperdi; bona item studia, àc discipulorum numerum indies evanescentem, decrescere percipiamus, & exercitia scholastica aut vulgo nimium frigescere, aut omnino cessare? tempora denique, quibus nihil est carius, nil preciosius, aut nugis perdiscendis, aut inhonestis rebus patrandis, insumi turpiter: ut inde fieri consideremus, passim discipulorum greges, quasi pecus montanum, agrestibus moribus horrentes, aut dispalari vagabundos, aut pergræcari furibundos, aut in omnium scelerum volutabris ætatem exigere non pudibundos: atque adeò ut longè rudiores, ac nequiores etiam, plerunque in patriam revertantur, quàm inde fuerint egressi? Quarum rerum portenta hîc penitus nulla conspici, nostra bono jure poterit Academia gloriari.

Nam cùm à conversantibus, auctore Seneca,

A magistrorum honestorũ piorumque consuetudine, atque commercio.

neca, mores sumantur, non præceptores hîc otiosi degunt, quorum veterno discipuli perdantur; non ebriosi, unde pessimum convictores exemplum bibendi trahant; non blasphemi, qui virosam pravitatem in proximos transferant; non impudici, qui pueros emolliant, atque effœminent; nulla denique improborum commercia, quorum contagio serpat in cohabitantes: sed adsunt duces optimi prorsus, qui bonos juxta proverbium comites reddunt: hoc est, ad manus habentur omnium candidissimi Magistri, qui in suos mores incorruptos trahunt ac transformant discipulorum gregem. Quorum magna satis (licet non tam numeri quàm ipsius honestatis hîc habeatur ratio) studiosorum corona præsens non minuitur, sed bonis avibus indies augetur.

A studiorum præmiis.

Et tantus qui bonas, ut aiunt, artes alit, honor optimarum literarum cultoribus hîc defertur, ut in spectaculis (ubi statuarum & imaginum sculpturis & picturis homines immortalibus Diis æqui parabantur) Olympicis victoribus nunquam major exhibita fuerit gloria. Exemplo fuit proxima celeberrima novorum doctorum festivitas: exemplo tot magistrorum novorum solemnitas; quos ornatissimis, ut eorum studia ac virtutes meruerunt, insignibus officiosissimè, nostra (ut vidistis) omnes condecoravit Academia.

A scholasticorum exercitiorum assiduitate.

Adde quod tantâ & diligentiâ & industriâ studiosi omnes hîc in officio contineantur, tantis conatibus exerceantur indies, ut majoribus non possint: Nullus enim est dies, in quo linea non ducatur: nulla septimana, in qua non aut publicè disputetur, aut declametur: atque adeò,

Vt schola nostra Lani, convulsaque marmora clament,
Semper & assiduâ diruptæ voce columnæ.

Missam facio frequentissimi, quo nullum liberaliùs erectum, nullum accuratius administratur, pædagogii disciplinam. Missa facio tot saluberrima veræ pietatis studia, quæ cùm alibi aut omninò squalida jaceant, aut penitùs è medio tollantur, hîc non solum ferventer excoluntur, sed etiam adamata in pretio habentur maximo. Unde fit, ut eruditiorem multo, longéque melius nostram juventutem moratam ad suos redire percipiamus, cum laude & gloriâ Marpurgensis Academiæ summâ.

Ab incorruptâ vivendi ratione.

Neque id mirum, cùm hîc sanis doctrinis & honestate colluceant omnia, nulla penitùs nequitiarum illectamenta surrepant; sed ubique sit probissima, ut dixi, societas & consortia sancta: quæ indissolubile religionis Christianæ vinculum solidis adeò atque adamantinis constrinxit retinaculis, ut nullâ ratione dirumpi queant.

Ab amolitione calumniæ.

Quare vanitatis illos pudeat, qui dissidere, ac mutuis odiis conflagrare scholam nostram, calumniati sunt centonum sartores; cùm nusquam conjunctiùs, nusquam denique amiciùs vivi queat, quàm in gymnasio nostro: quod non ex morosis cerdonibus, aut Lycambeâ sectâ conflatum, sed optimis virorum eruditissimorum ordinibus selectum consistit; quos bonarum literarum artes humanos fecerunt; quos Philosophia plus quàm homines reddidit; quos Medica facultas officiosos informavit; quos Jurisprudentia civiles effecit; quos denique sacra Theologia divi-

divinos effinxit, concordi ſtudiorum omnium harmoniâ, virtutumque unione conglutinatos.

A frugali victu, atq; temperantia. Quibus omnibus non incommodum adjecero, frugaliſſimam (ut hinc Germaniæ gravitatem ac temperantiam agnoſcas) ſtudioſorum diætam. Nusquam enim Sybariticus ille, ne & calamitas ejusdem comitetur, luxus, & inſani conviviorum apparatus, qui ſunt ipſiſſimæ ſtudioſorum peſtes, prædominantur. Nam ut edulia præteream, quæ munda quidem ac ſimplicia in ſtudioſorum hoſpitiis apponuntur, non ambitioſa, non luxurioſa; ſed interdum ejusmodi, quæ apud nonnullas ſcholas ventri deditas Squalidus in magna (ut cum Juvenale dicam) faſtidiret compede foſſor; Qui meminit, calidæ ſapiat quid vulva popinæ: Ut fercula (inquam,) magis ſalubria quàm artificioſa aut luxurioſa tranſeam, *Iuncker* propter excellentiam appellatione nobilitatis ſic vocitatæ, ſtudioſis ut bibitu jucundiſſimæ, ita ſaluberrimæ potionis, crebrior uſus adhiberi ſolet, quàm vini: quod in illo caſtitas & ſobrietas, in hoc impudicitia & ebrietas regnent. Unde D. Paulus, *Ne*, inquit, *inebriemini vino, in quo luxus eſt.*

A vini temperamento. Ergo vinum, quod clavo (juxta proverbium) caret, ubi paulio largior interdum uſus adminiſtratur, non merum infundi ſolet, quòd optimam hominis partem, hoc eſt, rationem debilitet atque enervet; ſed prorſus innoxium, nempe aquâ infusâ temperatum: ſic longè melius redditum, & humanam ad naturam maximè appoſitum. Quo præclaro beneficio qui præcellunt apud nos œnopolæ, hoc eſt, qui aquis diluere egregiè vina callent,

ad

ad ſummos & honores & opes jure optimo provehuntur. Sed hoc ipſum adhuc ignorare noſtrum D. Præpoſitum ægerrimè ferens doleo, cùm una iſta faciat inſcitia, quo & miſer & inhonorus pauperiorem apud nos vitam ſeſe degere conqueratur. Indignam quidem, ſed promeritam tamen ignorantiæ pœnam auferens, qui locupletior evaſurus, ſi tam utilem, tam probatam, tam inſignem illius Staphyli Tyrrheni filii diſciplinam, ut alii, conſecutus eſſet. Hic (auctore Plinio) cùm rudis ac ſimplex olim vetuſtas meracius non ſine plurima noxa biberet, vinum aqua miſcere, & Bacchum temulentum Deum Nymphis Deabus ſobriis temperare docuit: ut ſic manſuefactus ac domitus ille Cornutus pater, fieret moderatior, manſuetior, multóque ſapientiſſimorum teſtimoniis ſalubrior. Et quid aliud innuit fabula de Baccho, qui fulmine conflagrans, in Nympharum aquas fingitur injectus, niſi vini ardorem, vitales juvenilium ingeniorum ſuccos exurentem, ſobrio elemento reſtinguendum eſſe? Quod etiam illud epigramma Meleagri teſtatur ac comprobat, ſic dicens:

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος,
Νίψαν ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος, εἰ δέ μιν ἄγρῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Id eſt:

Bacchus ut è flammis puer exſiliiſſet in undas,
Tinxerunt Nymphæ ſordidum adhuc cinere.

Hinc

Hinc junctus Nymphis est Bacchus gratus: at ignem
Ardentem capies, hunc nisi miscueris.

Sed quorsum iste verborum excursus tendit, inquies? nempe ut ostendam, hinc esse, quod neminem apud nos studiosum cupidineis facibus incendi: hinc esse, quod neminem æstu venereo captum, aut laqueis irretitum ab honestis artibus turpiter abduci, & veluti bovem ad lanienam rapi comperiamus: hinc esse, quod nulla Circe referatur imminere, quæ veneficiis adolescentes in bestias convertat: id est, nulla præstigiatrix voluptas, quæ suis affectuum illecebris illos dementans, ad pudicitiæ naufragia perpetranda blandiatur, aut libidinum venenis adeò pervertat, ut in brutorum transformati naturam, præter hominis vocabulum, nihil hominis habeant. Sed contra multi Ulysses, fortes videlicet ac constantes hîc viri præsto sunt, qui jam longâ rerum experientiâ sapientum habitus sibi induerunt, majestate venerandâ perspicui, quibus imbecillior ætas innitatur, quorum exemplis informata discat Sirenum voces dulcedine mellita venenum inspirantes aversari, ab omnibus spurcarum cupiditatum alimentis alienissima.

A studiorum fructu.

His igitur rebus omnibus evecta juventus nostra, & eruditionis & bonorum morum pulcherrima proferens ubique specimina, quid Deo Opt. Max. quid parentibus, quid Magistratui debeat, intelligit, & expedire gaudet: unde laudatissima civilitatis ac omnis honestatis observantia promanat; ut animorum integritati & externum corporis habitum congruere, nusquam mentis apicem à ratio-

rationis amussi delirare videamus : tantum abest, ut cum aliarum quarundam Academiarum cessatoribus, nostri adolescentes pessimè vivant, & pulcherrimum immortalis Dei munus, utpote tempus, inhonestis rebus vecorditer insumant: sed potiùs, quo charius, quo preciosius est illud, tanto diligentiùs ab illis asservatur; tantóque circumspectius impenditur, ne sine bonis frugibus effluat. Dii faciant, ut in nostris discipulis exteri, sic rerum suarum satagentes, resipiscant, ac ratione simili revolvant, amissas opes aliunde resarciri posse, temporis irreparabilem jacturam non posse: de illis nequiter impensis fortasse rationem parentibus sese reddituros; de horis autem turpiter exactis Deo omnipotenti. Quod ex æquo si fieret, nemini dubium foret, quin multo fertiliore plantaria studiorum proventu accrescentia, res humanas, jam ubique gentium afflictas, restauratura, atque prosperatura essent, cum fortunatissimo disciplinarum omnium successu, qualem apud nos (invidia dictis absit) emergere videmus indies. Argumento sunt optimi optimarum arborum fructus, nempe sanctissima vitæ instituta, modestè, justè piéquè viventium tum universorum, tum singulorum; atque adeò, ut nihil in factis, nedum dictis, audiatur, quod vel ipse Momus reprehendere possit. Quare cùm utrumque, hoc est, non modò facta, sed etiam voces petulantiores olim Romani vindicasse legantur, ut nobili etiam fœminæ Appii Cæci filiæ, paullo leniùs & inconsideratiùs locutæ, C. Fundanius & Tiberius Sempronius mulctam dixerint æris viginti quinque millia; nihil profectò in Academia

noſtra reperiri confirmaverim, in quo priſca illa ſeveritas, ac rigor, animadvertere poſſent; cùm omnis non modò perperam vivendi licentia, ſed etiam inconſulta loquendi temeritas videatur excluſa, ut omnium cordibus illud Heſiodi credatur inſculptum:

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Optimus eſt homini lingua theſaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis menſurat ſingula verbis.

Unde contingere cernimus, Viri ornatiſſimi, quod ubique gentium Academia noſtra non immeritò plurimùm celebretur. Hinc etiam multi non obſcuri ac tenues, ſed opulentiſſimi aliarum urbium cives ac Satrapæ, liberos ſuos huc, ad omnium veluti bonarum literarum, ac virtutis mercaturam, certatim aſſiduò transmittunt, perſpectum habentes, quantum utilitatis ac gloriæ è ſtudiis Academiæ noſtræ profluat.

Ab uberrimo doctorum proventu. Nec illi falluntur, cùm vel cæco appareat, plurimos hinc prodire, & velut ex equo Trojano turmatim emergere, qui facundè concionentur in templis; qui ſapienti eloquentiâ moderentur Senatum; qui prudentiſſimè jura dicant; qui cum laude publicis de rebus legationes obeant; qui denique quavis in re & judicio valeant & eruditione.

A contradictione. Cæterùm, ſi quisquam Zoilus objiciat, nonnullos aliquando à literario noſtro ad ſodalitium neſcio quod exoticum deficere diſcipulos: huic commodum reſponderi poterit illud

illud Agesilai, cui interroganti; Qui fieret, ut ab aliis sectis deficerent ad Epicureos; ab Epicureis nulli deficerent ad alios? sollerter occurrit, inquiens: Quoniam ex viris Galli fiunt; ex Gallis viri nequaquam. Gallos disciplinarum ac virtutis osores & voluptatum mancipia vocans. Apud nos igitur permanentes viri sunt, qui studiosorum ac virtutis amore jam sudare, jam algere non gravantur; imò paulò durius etiam exerceri non molestè ferunt. Desciscentes autem Galli fiunt, aliò concedentes solùm, ut sint à labore ad libidinem procliviores; ut apud sponsos Penelopes, nebulones, Alcinoosque, multò liberius ventri ancillentur, disciplinarum bonarum excutiendo jugum, inserviantque abdomini, ad nullam ingenii bonam frugem perventuri, cœlum duntaxat, non animum mutaturi, etiamsi trans mare currant.

A meliorum discipulorum virtute.

Verùm quanto turpior horum est defectio, qui ut liberiùs, imò licentiùs alibi ætatem exigant, hinc & ingrati & perversi discedunt: tanto major illorum est gloria, quos longè doctiores & honestiores, vel hîc præsentes habemus; vel hinc consultò dimittimis, Academiæ Marpurgensis Encomion per totum terrarum orbem decantaturos. Ergo quis nostram satis commendare poterit Academiam? quam velut è locupletissimo cunctarum laudum penuario, longè uberiora dicendi argumenta suggerere videtis, quàm ut humanæ vocis organa sufficiant eloqui. Artemisia quondam (referente Gellio) dicendis mariti Mausoli Regis Cariæ laudibus agona fertur instituisse; atque præmia pecuniæ posuisse, aliarumque rerum amplissima. Ad quas laudes

decan-

decantandas venisse dicuntur viri nobiles, ingenio atque linguâ præstabili, Theopompus, Naucrates, Theodectes: in quo certamine vicisse Theopompum judicatum est. Atqui de laudibus Academiæ nostræ certaturos, non tam facilis partu victoria sequeretur, sub judicibus lite, ac victoriæ palmâ semper invictâ remanente. Illic Mausolus nullis, aut omnino paucis rebus præclaris famosus, sed delicatulæ duntaxat uxorculæ plus æquo dilectus, certandi materiam, & eam valde jejunam, præbebat; hîc autem Academia celeberrima, tot rerum gravissimarum argumentis exuberans, tantos ἀγαθῶν (ut Græco proverbio dicam) σωροὺς, μυρμηκίας, Ἄθως καὶ Θάσους offundit, ut omnes eloquentiâ potentes non solùm delassare, sed ad nihilum etiam redigere possit. Hîc enim ipsissimum est omnium Musarum domicilium: quarum vel minimarum laudes singulatim promulgandæ, maximos omnes eloquentiæ buccinatores obtunderent. O ter felicem igitur Academiam Marpurgensem: quæ, quoniam amœnitate præfulges, omnium rerum ubertate præponderas, dignitate præcellis, meritò dicata es omnibus, quæ otio gaudent, honoribus aluntur, bonis Musis: quæ tot propriis tuis dotibus perlucida, ad tanta honoris fastigia conscendisti: quæ tot Mecœnatum tuorum virtutibus illustrata, ac patrociniis circumvallata, propediem ad altissimos amplitudinis tuæ perfectissimæ gradus es progressura, cum tot Heroës & Atlantes fortissimi, ut clarissimam humeris suis fulciant atque sustentent, nunquam humi prostraturi sint, sed potiùs inter sidera feliciter collocaturi.

Habe-

Habetis jam, Viri ornatissimi, quæ in præsentiarum de Academiæ nostræ laudibus dicere constitui. Longè plura ex tanta argumenti fertilitate veniebant in mentem dicenda; sed malui brevior haberi, quàm prolixâ nimis oratione vestram audiendi patientiam offendere. Et ineptum planè videri potuisset, si præsumsissem verbis exprimere omnes illius Academiæ laudes, quæ tantis Principis illustrissimi virtutibus, quæ tot celeberrimis patronorum tantorum titulis, quæ tot professorum dotibus, quæ denique tot studiosorum decoribus illustrata, toties orbis terrarum oculos in se converterit. Vos igitur omnium disciplinarum generibus instructissimi Viri, Academiam nostram excolite, &, quam estis sortiti, (ut sedulò facitis) Spartam exornate: Vos studiosa juventus, qui soletis, honore merito proceres & magnates Academicos assiduo prosequimini; & vos ita gerite, ut bonis literis & probatis moribus diligenter studuisse deprehendamini. Sic omnes apparebitis grati; sic Magistratus, sic leges & statuta Academica, quæ proxima Solis die prælecta sunt, vobis virtutum calcaria magis subditura, quàm terrorem sunt incussura. Sic denique Academia nostra plurimùm (ut audistis) ornata, indies magis atque magis erit ornatior futura.

D I X I.

COPIOSA VRBES LAVDANDI *ratio ex Bucoldiano.*

Urbes laudantur non secus atque homines. *Quæ urbium laudes*
Principio sunt ea spectanda, quæ tempore
præsentem urbis celebritatem antecesserunt:

sint celebranda, copiosè docet Quint. l.3.c.7. ut conditor, civesque; qui administrarunt, inhabitaruntque; deinde quæ ipsi sunt tempore conjuncta, ut ager, flumina, montes, mare, portus, mœnia, foveæ, tecta & cives, qui inhabitant: postremò quæ insecuta infortunia: quibus commemorandis commiserationem movemus, ipsisque eversoribus odium conflamus. Ut si quis Athenas, aut Romam, ut quondam fuit, laudet; dicatque, quibus artibus jam inde à primis jactis à Romulo fundamentis eò incrementum acceperit, non modò Italiæ urbium ut celeberrima, sed totius terrarum orbis caput lumenque exstaret: & quorum deinde vitio, inertiâque concidere, retroque labi cœperit. Sed cùm ferè laudem sibi hæc potissimum vendicent, quorum celebritas dignitasque in omnium posita oculis elucet maximè, quæ has ab iis, quæ tempore antecedunt, simulque juncta sunt, prædicandi via sit, indicabimus.

Vrbis laus à conditore. Conditorem igitur commodè primum ex descriptionis loco, atque adeo ab adjunctis describemus: unde cognosci potest, quæ ipsius potentia; & præsertim, quæ animi virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, temperantiaque fuerit. Deinde à causis erit augendum, cur eo in loco urbem locarit? quæ si maritima, fertilique in agro posita sit, eo nimirum consilio fecisse dicendum, ut hinc mari, hinc agro magna vis hominum ali, sustentariq; posset. Tum eventa erunt explicanda, quanta jam inde à condita urbe hominum multitudo victum hîc, quomodo, & quam facilè quærat. Postremò conferendo hanc cum aliarum urbium agro situque, mirè rem extendes; ostendendoque, hujus agrum aut fertiliorem aut certè parem

rem esse,nullaque in re deteriorem. Dissimilitudinem autem ex situ fortè colliges:hanc maritimam, illas esse campestres; huc cùm terrâ magna, tum navibus maxima onera advehi, illuc plaustris modò res apportari. Jam & astus in primo illo urbis conditore spectandos esse, adjunctorum idem nos locus admonet. Quodsi igitur legibus & religione Rempublicam novam primus bene constituit, à causis extendenda res erit: eo nimirum consilio fecisse, ut justè piéque viveretur; & quos lex non posset, religio in officio retineret. Deinde eventa explicanda erunt: qui mores ex eo usque tempore justè, modestè, piéque viventium, tum universorum, tum singulorum exstiterint. Quæ omnia, si ut gesta sunt, copiosè exponas; incrementum sumet oratio: majus quidem, si quæque & ex comparatorum loco dilates. Præter hæc, si quid rectè instituit, considerandum: ut si idem simul cum urbis primordiis literarum bellique studia erexerit: illis, ut animi divinarum humanarumque rerum cognitione imbuerentur; his, ut suas suorumque fortunas tuerentur. Consilia ubi exposueris, eventa inde ab urbe conditâ enarranda erunt: quot quantosque viros undecunque doctissimos, & quo quemque tempore tulerit; quæ cujusque eruditionis testimonia, aut scripta exstent. Atque hæc subinde comparando dilatabuntur maximé.Hunc in modum & quæ interim belli studia,& fortia facta exstiterint,prosequendum erit:quæ nunc universorum, nunc singulorum militiæ fortitudo, virtusque, & quo tempore, quo in loco cognita,perfectaque sit. Atque hîc non solum ex comparationis loco,

ſi voles, quæque variè extendes, ſed & perſonas deſcribes, conſiliaque faciendi aperies. Breviter, quæ ratio urbes laudandi ab iis, quæ tempore præceſſerunt, uſumque hîc locorum, oſtendimus. Verùm ſi, ut ſæpe, de conditore, boniſque ejus inſtitutis, nihil certi in medium adferre poterimus, ſolumque in confeſſo ſit, urbem vetuſtam eſſe, ſemperque ferè incrementum ſumſiſſe; nihilominus, quorum id adminiſtratione virtuteque contigerit, narrandum erit: quæ nunc ſingulorum, nunc univerſorum prudenter, juſtè, piè, fortiter, temperanterque facta exſtiterint, quo Reſpublica nomen vireſque accepit. Atque hic ſingula cujuſque facta, ex adjunctorum loco copiosè omnibus expoſitis circumſtantiis, enarrari, perſonæque deſcribi poſſunt. Tum, quæ cauſæ tam univerſos, quàm ſingulos ad faciendum impulerint, dicendum. Variè autem per comparationem unúmquodque amplificabis, dum aut exceſſum aut ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem; denique rerum pugnantiam, contrarietatemque oſtendes.

VRBISLAVS, AB IIS, QVÆ *huic ſimul tempore conjuncta ſunt; & primùm ab aëris temperie; per locos ducitur.*

Reſtant ea perſequenda, quæ urbi, quam laudamus, ſimul tempore ſunt conjuncta. Hîc primùm ſpectandum, quo in climate, cœlique parte ſit poſita, unde aëris temperies cognoſci poteſt. Neque enim parum refert, languidioribus, an ferventioribus, ſeu temperatis Solis radiis ſit ſubjecta; ut ſunt ferè omnes hæ, quæ inter Cancri Urſæque circulos ſunt poſitæ.

Deinde dicendum erit de agris, qui adjacent: de fluminibus, ſtagnis, piſcinis, montibus, ipſoque mari, ſi aut vicinum eſt, aut urbem alluit. In iis autem omnibus ea, quæ fructuoſa, amœnaque ſunt, laudibus evehenda eſſe, idem, qui omnium adjunctorum, nos locus admonet. Siquidem agros fertiles, fluvios piſcoſos, navigabileſque, montes vitibus conſitos, tum mare navibus frequentatum, hoc ipſo, quòd fructus voluptateſque maximas adferant, & urbis nomen dignitatemque in primis conſervare dubium non eſt. Spectari item poteſt, in orâne, an meditullio provinciæ ſit poſita: quod genus circumſtantias copiosè Græci (ut quos verba non deficiunt) perſequuntur: præſertim Menander Rhetor, qui de laude urbium ſeorſum ſcripta reliquit. Verùm, dum hic in laudando ex loci poſitione circumſtantias, quod infinitum eſt, ſtudiosè proſequitur; eorum, quæ omitti minimè debuiſſent, quæ videlicet publicæ munitiones interiorque civium ſtructura eſſet, ne meminit quidem. Atqui nos ad locos, atque adeò ipſos ad fontes laudaturum ducimus: unde, quantum pro ſuo quiſque arbitrio volet, hauriat. Nam cùm ad laudem urbium pertinentes circumſtantias explicare infinitum ſit, quod unicuique ferè præter diverſa hominum ſtudia, rationemque quærendi victûs, ſua quædam propria à natura ſint attributa, aliis nempe aurifodinæ, aliis thermæ, aliis alia id genus innumera; cognito adjunctorum loco in hoc inſtructus ſit, ut ſciat, quæcunque præterita præſentiaque ſplendorem urbi, commodumve, ſeu proprium, ſeu cum cæteris commune, adferant, laudari oportere; quæ per reliquos

deinde ducta locos, augentur plurimum. Postremo igitur de publicis munitionibus, interiorique civium ſtructurâ, & ipſis civibus erit dicendum. Hæc igitur ab adjunctis miniſtrata, copiosè erunt ſingula, omnibus enarratis circumſtantiis, explicanda, & per reliquos ſubinde locos ducenda, amplificandaque. Itaque, ſi in bono climate ſita ſit civitas, primum aëris temperies, cœlique clementia, & temperata ſub ipſa ſolſtitia, dierum noctiumque longitudo pluribus erit deſcribenda: deinde à cauſſis hæc erunt locupletanda: non enim aut Solis ignibus, aut Septentrionalibus frigoribus nimis eſſe ſubjectam; ſed in medio poſitam, hinc frigora, hinc æſtum fugiſſe: unde & illud dierum noctiumque ſuo tempore nec majus nec minus juſto incrementum, quorum alterum ſub Arcto, alterum ſub Solis curſu poſitis accidit. Ab eventis; quare homines nulla aëris intemperie impediri, quo minùs toto anno victum domi & foris quærant, omniaque in agris feliciùs proveniant. Accedit eò, & ipſa ingenia cœli beneficio præſentiora perſpicacioraque reddi. Et hæc quidem omnia multis explicari poſſunt. Poſtremò & ex comparatione petenda copia eſt: ut ſi hic auram ſalubriorem hominibus matureſcentibusque frugibus accommodatiorem declares, quam ejus qua cum confers urbe. A ſimili autem extendes, ſi cum eâ urbe conferas, cujus poſitum pluribus notum, maximéque probatum vides. Hunc in modum, ſi voles, & diſſimilitudinem repugnantiamque collatione aperies. Quod autem hac viâ ordineque ex locis amplificandi commodè utamur; tamen cùm & aliter rectè fiat, nemo ſibi hic legem

præſcribi

præſcribi putaverit. Nam poſtquam ex adjunctorum loco, qui omni rei, de qua agitur, adjunctus eſt maximè, quæ voles ob oculos poſueris: deinde ex comparatione copiam ſumas, & ſi magis augere voles, ſubinde à cauſis augeas licet. Verùm id aliter atque aliter fieri poſſe, in univerſum ſic dictum volo: adeò ut ſæpe, dum uno in loco longiorem moram trahimus, plures interim alii ex ſuo aliquid, vel antequàm inde digrediamur, communicent.

LAVS VRBIS AB AGRIS, *fluminibus, publicis item munitionibus, tectis, ipſisque civibus.*

Hæc de aëris temperie: de agris ſubinde dicendum, de fluminibus, ſtagnis, montibus, piſcinis, & ipſo denique mari, aut vicino, aut urbem alluente; quantaque ex ſingulis utilitas, voluptasque capiatur, ab adjunctis copiosè erit exponendum; nunc ea ipſa deſcribendo, nunc aut claſſicorum autorum, ſi fieri poteſt, aut vicinarum gentium teſtimoniis confirmando. Atque hac vià res quidem ipſa mirè augebitur. Quodſi verò magis hæc extendi voles, ſingula celeberrimis urbibus comparando oſtendes, hanc ſive agri ubertate, ſive fluminum copiâ, voluptateque, ſive denique ipſo maris uſu aliis longè ſuperiorem, aut certè per omnia parem eſſe, judicandum. Jam & de publicis urbis munitionibus, tectiſque dicendum: quantaque ſit fovearum, aggerum, murorumque altitudo, latitudoque, erit deſcribendum: quis portarum, turrium propugnaculorumque numerus,

rus, quæ magnitudo firmitaſque: quòd bellicis machinis, rebuſque ad arcendam vim accommodatis, ſint omnia referta. Hæc ubi pluribus expoſita verbis, deſcriptaque fuerint, à cauſis ėrunt augenda; cur foveas, mœnia, aggereſque ita duci poniquc placuerit: quo conſilio hac diſtantia, hoc in loco, turres propugnaculaque locarint: cur tantis ſumtibus, tot tantiſque laboribus eò omnia evexerint, nempe, ut quàm minimâ manu hoſtiles incurſiones, impetuſque ſuſtinendo, propulſandoque, vitam, fortunaſque ſuas defenſarent. Atque hîc ſubinde eventa narrabuntur, quorum hoſtium impetum, oppugnationeſque; quo, & quanto tempore fortiter ſuſtinuerint, furorem fregerint; diſcedere demum cum ignominiâ pauci plurimos coëgerint. Quin & poſtremò comparatione omnia majora amplioraque reddes, maximis munitiſſimiſque urbibus hanc aut munitione per omnia parem docendo, aut multis etiam partibus ſuperiorem. Atque hæc vicinarum gentium teſtimoniis, præclariſque Regum, atque magnorum hominum indiciis dilatari poſſunt. Tecta autem civium frequentiora magnificéq; exſtructa, tum plateas, foraque ad hominum uſum latiora, divorumque templa anguſtiora eſſe, quod non parva laus ſit. Vt quæque maximè excellunt, ita pluribus erunt verbis ornanda, hominumque de iis teſtimonia judiciaque adferenda: tum cum vicinis pulcherrimiſque civitatibus conferenda. quo ipſo aut parem, aut longè majorem hujus celebritatem magnificentiamque doceas. Quod ſi lubet, & hæc ipſa ex aliis locis licet extendas. Reſtat de civibus eſſe dicendum: horum jam viventium,

cùm

cùm de vitâ defunctis dixerimus, quæ studia, qui mores, quæ præclarè facta exsistant, spectandum. Commodè autem quæque in sua virtutum genera sparges: & sua prudentiæ, sua justitiæ, quæ erga Deos religio, erga parentes pietas dicitur; sua item fortitudini, temperantiæque assignabis. Cæterùm cùm supra in patriæ laudibus laudandi amplificandique rationem ostenderimus, quæ insistendi hîc via sit, inde peti potest. Hæc de urbium laudibus, unde, quæ vituperari oporteat, res nempe contrarias, facilè colligi potest.

Quæ facta ex locis copiosè laudandi sit ratio.

Facta ornandi, & amplificandi quæ ratio sit, subinde intueamur. In quibus laudandis, vituperandisque, cùm & Rhetores, tum maximè historici heroicique vates versantur. Temporis autem servato ordine laudari oportere, ipsa nobis præscribit ratio: poëtis tamen id de industria mutantibus. Præcipui autem hi loci sunt causæ & eventa: quanquam alii omnes, qui suprà, & huc adhiberi possint: ut expositis primùm causis, deinde quæ evenerint, explicentur. Quare Virgilius, postquam paucis proponendo, Musasque invocando, hominum animos sibi benevolos attentosque reddidit, causas statim commemorat, cur Æneam Juno, insignem pietate virum, tot labores, periculaque adire coëgerit.

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra, Tiberinaque longè
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli;
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam,
Posthabitâ coluisse Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnum Dea gentibus esse
Si qua fata sinant: jam tum tenditque fovetque

Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verterat arces.
Hinc populum latè Regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ: sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis:
Nec dum etiam causæ irarum sævique dolores
Exciderant animo. Manet altâ mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ:
Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaum, atque immitis Achilli,
Arcebat longè Latio, multosque per annos
Errabant, acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem!

His irarum Junonis è causis, quæ infortunia Æneæ Trojanisque evenerint, dum complures annos per mare errare, & deinde in Latio bellum gerere coguntur, poëta subinde fusissimè narrare occipit: & vix duodecim libris absolvit:

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant, &c.

Sic & ante hunc in utroque suo opere Homerus primùm causas, deinde insecuta canit eventa. Hunc in modum & T. Livius secundò suscepti à Pœnis in Romanos belli, antequam eventa, resque gestas enarret; causas primum dicit, quòd videlicet Sicilia Sardiniaque, illa nimis celeri rerum desperatione Romanis

manis concessa, hæc fraude ab illis intercepta esset: tum quòd Annibal, cum puer adhuc esset, à patre Amilcare Imperatore aris admotus jurasset, se, quamprimùm per ætatem posset, hostem fore Romanis. Quin & Sallustium idem facere, ipsius argumento est historia. Quid? non igitur aliò hic causarum locus valet, quàm ut causas rerum, quæ evenerunt, quod ab his autoribus factitatum esse videmus; primùm exponendas esse sciamus? Est profectò multiplex hujus, passimque, nec certo in loco, usus: cùm nunc præcedant, nunc suos sequantur eventus. Nam quanquam primæ quædam, principalesque summæ rerum causæ sint, quas nosse principio lector, auditorve cupit; tamen cùm subinde aliæ atque aliæ actiones casusque exsistant, & ipsorum alias atque alias causas esse constat. Vnde si inter narrandum obiter amplificetur, mirè orationis extendetur corpus. Quare Cicero cùm suarum se laudum minus gravem scriptorem fore intelligeret, videretque L. Luceium Q. F. insignem sui temporis historicum, bellum civile scribendum suscepisse, scriptâ ad eum epistolâ, omnibus petit modis, suas ut res, exemplo Græcorum, seorsum perscribat, atque in se ornando historiæ leges negligat. Posse autem inde, si à continentibus suis scriptis sejungat, & à causis, eventis, adjunctisque amplificet, quoddam corpus confici. His porro ex locis augeri rem oportere, L.Luceium admonet, dum causas, consiliaq; rerum suarum, casus etiam,& eventa explicanda esse scribit. Adjuncta autem sunt tempus, testimoniaque Luceii; quem ea, quæ suo judicio laudanda putaret, ornare, quæ

Lib. 5. epistol. famil. epist. 69.

contra vituperanda, reprehendere voluit. Atque huc etiam pertinent multorum in Ciceronem perfidia, insidiæ proditioque: quæ & putavit esse notanda. Hic nemo mirabitur, consilia, & actiones, quas suprà in locorum expositione adjunctorum loco complexi sumus, hîc causas & eventa dici. Sunt namq; iis, quorum consilia & facta sunt, adjuncta maximè. Verùm causarum & eventorum nomen accipiunt, cùm sumta ab adjunctis, unde omnis rerum ducitur copia, inter sese componuntur, & causæ effecta, & hæc vicissim illas, ostendunt. Quare causas & eventa magnam cum adjunctis cognationem habere, nemo mirabitur. Inde namque hi licet nati loci sint, tamen & ipsi latissimè patent. Itaque his locis, unde ornatur historia, si & comparationis locum adjecisset, non video non modò unde Historici, sed Rhetores, Poëtæque, qui maximè solent, magis amplificarent. Hinc Cæsar, ut Brutus apud Ciceronem disputat, quia minus rerum suarum historiam vestiit, commentarios inscripsit, cæterisque scribendi ansam præbuit, ut qui vellent, easdem copiosius tractarent, & quasi calamistris quibusdam inurerent. His ipsis ex locis lactea illa Titi Livii ubertas est petita: unde tamen Dionysium Halicarnasseum, qui & ipse Romanas res perscripsit, multo magis auxisse intelligas; ut mihi is, quod de Demochare Brutus Ciceronianus judicat, non tam historicum, quàm rhetorem egisse videatur. Hinc Maro noster, hinc Homerus ea sumserunt, quibus quæ voluerunt, non tam dilucidè enarrasse, quàm factâ ubique morâ omnia ob oculos posuisse videantur, hic fusissimè, ille modo quodam usus; id quod is

Adjuncta.

faci-

facilè animadvertet, qui cognitis locis & amplificandi ratione, utrumque cum judicio leget. Sed hac de re ſuo dicetur loco: nunc, quod volumus, uſum locorum, augendique rationem in celebrandis factis diligentiùs, & ad cujusque magis captum indicemus. Unum igitur factum ſi oratione laudandum ſumamus; ſit Theodoſii Imperatoris, quod inſigne maximè Gymnaſium Bononiæ inſtituit; primùm ex deſcriptionis loco, atque adeò ab adjunctis ipſum deſcribamus: unde ingenium moresque Principis eluceant, & cauſæ tam honeſti & utilis facti, quaſi per tranſennam appareant. Fecit id & Titus Livius principio hiſtoriæ ſuæ de ſecundo bello Punico. ubi pluribus Annibalem depingendo, animique bona vitiaque plurima exprimendo, quicum viro Romano futura res eſſet, lectorem ſtatim inſtruit. Secundùm hæc ab adjunctis res ipſa erit explicanda, quantis & unde ſumendis fructibus, qui in profeſſores expenderentur, hanc ſcholam adornârit, confirmâritque. Deinde à cauſis, cur hoc in loco, & tot tantaque ſtipendia profeſſoribus conſtituerit: ut certè hinc in reliquam totam Europam, qui rectè Rempublicam adminiſtrarent, docti mitterentur. Tum ab eventis mirum in modum augeas, ſi, quæ intereà loci emolumenta, aliæque nationes hac ex Academia & ceperint, & quotidie capiant, perſequaris. qui, quibus in locis hinc miſſi, ſive cognitione rerum humanarum, phyſicarumque, utiles Reipublicæ exſtiterint: ſive legum ſcientiâ, quid æquum & iniquum eſſet, edocuerint: ſive denique medicinæ beneficio laborantibus opem tulerint. Poſtremò ex comparationis loco, quantam voles, co-

piam ſumes, factum hoc aut cum aliis ipſius, aut cum aliorum imperatorum præclare factis conferendo.

EXEMPLUM, FACTA EX *locis amplificandi, apud Ciceronem.*

Interdum factum laudamus, & dilatamus, non tam ferè à cauſis, & (quæ has ſequuntur) eventis, quàm ex adjunctorum & comparationis loco: id quod Cicero fecit, gratias Cæſari agens, ipſumque laudans quòd Marcello ignoviſſet. Poſtquam igitur exordium à tempore, ejusque, quo dixit, dici circumſtantia, duxiſſet: clementiam ſapientiamque Cæſaris ab adjunctis ſtatim laudat, ornatque: nempe à ſua, totiusque Senatus lætitiâ, factum hoc probantis, & propterea de Republica ſubinde melius ſperantis. Adſpergit & paucis obiter laudem Mercelli, quod ipſum & ex hoc loco eſt ductum: & eo valet, ut clarius illuſtriusque factum ejus reddatur, quòd præſtantiſſimo, ampliſſimoque viro ignoviſſet. Deinde ex comparationis loco Cicero amplificat, & confert hoc Cæſaris factum cum maximis ejus bellis, rebusque geſtis; quibus omnibus jure anteferri oportere, pluribus oſtendit. Porrò hac in comparatione orator tantam moram trahit, dum interim ab adjunctis circumſtantias admiſcet, ut omnia, quæ ad laudem pertineant, totaque oratio, niſi quod pauca ad finem aliò ſpectantia adjecit, hoc ſolo ex loco veſtita, amplificataque deprehendantur. Quare quantum ex loco res extendi poſſit, cùm plurimis apud Ciceronem exemplis, tum hoc, ſtudioſo perſpicuum eſſe poteſt.

EXEM-

EXEMPLUM, RES EX *locis amplificandi, apud T. Livium historicum; breviterque easdem explicandi.*

Hinc autem quis locorum usus, quæ laudandi amplificandique ratio sit, quanquam satis liquere putem; tamen non abs re fuerit, & hæc ipsa in historia, classicisque auctoribus paucis indicare. Narraturus T. Livius contra Romanos res ab Annibale gestas, ut statim intelligi posset, qualis is esset, qui tantum in discrimen Romanorum nomen adduxerit; primùm ipsum Ducem ex descriptionis loco depinxit his verbis: Missus Annibal in Hispaniam, primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Amilcarem sibi redditum veteres milites credere, eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaque intueri. Deinde brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum, atque imperandum, fuit. Itaque haud facilè discerneres, utrum Imperatori, an exercitui carior esset. Neque milites alio duce plus confidere, aut audere: plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali, non voluptatis, modus finitus; vigiliarum, somnique, nec die, nec nocte discriminata tempora; id, quod agendis rebus superesset, quieti datum. Ea neque molli strato,

ſtrato, neque ſilentio accerſita. Multi ſæpe militari ſagulo opertum, humi jacentem inter cuſtodias ſtationesque militum conſpexerunt. Veſtitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conſpiciebantur. Equitum, peditumque idem longè primus erat. Primus prælium inibat; ultimus conſerto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullius Dei metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Hactenus mores, ingeniumque deſcripſit: quæ quidem omnia ab eo, qui rem nudè explicare voluiſſet, omitti potuiſſent. Subjicit autem ex adjunctorum loco, his verbis: Cùm hac indole virtutum ac vitiorum triennio ſub Aſdrubale Imderatore militavit, nullâ re, quæ augenda audendaque magno futuro Duci eſſet, prætermiſſa.

Hæc quidem, cùm illud tempus præcedant, quo belli dux declaratus eſt, omitti potuiſſent. Quæ ſequuntur, ex adjunctorum, ſeu qui inde naſcuntur, cauſarum & eventorum loco ſumuntur: cur videlicet Annibal in ſuſcipiendo bello nihil prolatandum arbitretur; & dum Saguntinos petit, in Olcadum fines exercitum ducat. Sic ille. Cæterùm, ex quo die dux eſt declaratus, velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum mandatum eſſet, nihil prolatandum ratus; ne ſe quoque, ut patrem Amilcarem, deinde Aſdrubalem cunctantem caſus aliquis opprimeret, Saguntinis inferre bellum ſtatuit. Quibus expugnandis, quia haud dubie Romana arma movebantur, in Olcadum fines prius, ultra Iberum (ea gens in parte magis quàm in ditione Carthagi-
nen-

nensium erat) induxit exercitum: ut non petiisse Saguntinos; sed rerum serie, finitimis domitis gentibus, jungendoque tractus ad id bellum, videri posset. His demum subjicit eventa, gestæque rei narrationem. Cartejam urbem opulentam, caput ejus gentis, expugnat, diripitque: quo metu perculsæ minores civitates, stipendio imposito; imperium acceperunt. Victor exercitus, opulentusque prædâ, Carthaginem novam in hyberna est deductus. Ibi largè partiendo prædam, præterita cum fide exsolvendo, cunctis civium suorum sociorumque animis in se firmatis, vere primo in Vacceos motum bellum. Nuda hæc satis narratio est: nisi quod obiter petitas ab adjunctis circumstantias inferat nonnullas. quod genus sunt: urbem esse Cartejam opulentam, & suæ gentis caput: tum exercitum opulentum prædâ deductum esse. Prosequitur autem narrationem temporis; cujus mentionem facit, servato ordine. Hermandica & Arcala, Cartejorum urbes, vi captæ: Arbacala, & virtute & multitudine oppidanorum, diu defensa. Ab Hermandica profugis exsulibus Olcadum priore æstate domitæ gentes cùm se junxissent, concitant Carpentanos, adortique Annibalem regressum ex Vacceis, non procul Tago flumine agmen grave prædâ turbavere. Pura hæc nudaque sunt omnia, nisi, quod ab adjunctis est, oppidanorum virtute & multitudine Arbacalam diutius esse defensam: neq; procul Tago impetum in Annibalis agmen esse factum. Quæ sequuntur, paullo copiosiora sunt. Nam & Consilia Annibalis aperit, propterea amnem trajicientis, ut in transitu fluminis hostes invadere, & causas ferociæ

hostium

hostium Carpentanorum, tum suâ multitudine, tum fugâ Annibalis minus timentium. Atque hæc Livius & à suo obiter testimonio amplificavit: dum invictam aciem dicit, si æquo certaretur campo: Sic ille Annibal prælio abstinuit, castrisque super ripam positis, cùm prima quies silentiumque ab hostibus fuit, agmen vado trajecit; valloque ita producto, ut locum ad transgrediendum hostes haberent, invadere eos transeuntes statuit: equitibus præcepit, ut cùm ingressos aquam viderent, adorirentur peditum agmen: in ripa elephantes quadraginta disposuit. Carpentanorum cum appendicibus Olcadum, Vacceorumque, centum millia fuere. Invicta acies, si æquo dimicaretur campo. Itaque & ingenio feroces, & multitudine freti, & quod metu discessisse credebant hostem, id morari victoriam rati, quòd interesset amnis, clamore sublato passim, sine ullius imperio, qua cuique proximum erat, in amnem ruunt. Hactenus consilia; causasque exposuit; quibus subjicit eventa, nempe infelicem Carpentanorum pugnam, & deditionem. Et hæc quidem ipsa satis à circumstantiis, quas explicat, illustrat his verbis: Et ex parte altera ripæ, vis ingens equitum in flumen immissa, medioque alveo haudquaquam pari certamine concursum. Quippe ubi pedes instabilis, & vix vado fidens, vel inermi equite, equo temerè acto, perverti posset; eques corpore armisque liber, equo vel per medios gurgites stabili, cominus eminusque rem gereret; pars magna flumine absumta: quidam verticoso amne delati in hostes, ab elephantis obtriti sunt. Postremi, quibus ingressus in suam ripam

ripam tutior fuit, ex varia trepidatione cùm in unum colligerentur, priusquam ex tanto pavore reciperent animos, Annibal agmine quadrato amnem ingressus; fugam ex ripa fecit: vastatisque agris, intra paucos dies Carpentanos quoque in deditionem accepit. Hunc in modum reliqua toto corpore, alia magis, alia minùs, ut quæque res postulat, his ipsis ex locis extenduntur. Rariores autem comparationes sunt locus, in hoc præsertim genere, omnino ad ornatum, amplificationemque accommodatissimus: unde poëtis, rhetoribusque copiam sequentibus, crebrior; historicis, ne ad ornandum magis, quàm ad narrandum, orationem sumsisse videantur, minùs familiaris. Porrò Sagunti oppugnationes, excidiumque quod proximè sequitur, pluribus adjectis peristasibus, copiosissimè explicantur. Verùm hæc ipsa Liviana ex locis aucta, amplificataque, nuda omni ornatu, quasi vestitu spoliata, ob oculos ponamus: unde quid inter jejunam, necessariamque narrationem & copiosam locupletemque intersit, cognosci potest. Missus Annibal in Hispaniam, postquam mortuo Asdrubale dux belli est declaratus, Saguntinos bello petit. Quod dum facit, in Olcadum fines exercitum ducit. Carteiam urbem expugnat, diripitque. Minoribus deinde civitatibus metu subactis, exercitum Carthaginem novam in hyberna deducit. Hic largè prædam partiendo, præteritaque cum fide exsolvendo, cunctis civium suorum, sociorumque animis in se firmatis, vere primo in Vacceos motum bellum; Hermandica & Arbacala Carteiorum urbes vi captæ. Ab Hermandica autem profugi, exsuli-

sulibus Olcadum, cùm se junxissent, concitant Carpetanos, adortique Annibalem regressum ex Vacceis, non procul Tago flumine agmen turbavêre. Annibal autem trajecto amne, temere insequentes hostes ad centum millia, partim equitatu in flumine oppressit, partim in fugam convertit: vastatisque agris & Carpentanos paucos intra dies in deditionem accepit. Brevis hæc, nudaque narratio est, quam ut vir ille eloquentissimus ex locis locupletarit, jam visum est.

DE VITUPERATIONE.
Quæ ψόγος Græcé.

CAPUT. IX.

Vituperatio est sermo exponens mala, quæ alicui insunt. Differt autem à loco communi vituperatio, quòd locus communis pœnas exposcit; vituperatio verò solùm habet velut nudum convicium.

Dividitur autem in eadem capita, quibus Laus. Possuntque vituperari eadem omnia, quæ & laudari:

Personæ,
Res,
Tempora,
Loci,
Bruta animalia,
Plantæ.

Vituperamus verò & communiter, & singulatim. Vbi verò procœmion feceris, adjunges genus, quod divides eâdem, quâ in laude, ratione. Deinde educationem, & res gestas, & Epilogum ita facies, quemadmodum in laude.

VITU-

VITUPERATIO PHILIPPI.

Exordium.

Neque virtutum merita laude frustrari rectum est; neque itidem sine reprehensione dedecora relinqui: quoniam si non ita fiat, id quod præcipuum est, amborum præmium utrique aufertur: laudandis quidem gloria rectè factorum; vituperandis verò scelerum turpitudo. Omnes autem malè audire æquum est, qui malos sese præbuerunt: tanto magis verò omnibus Philippum, quanto omnes improbos longè omni scelere superavit.

A genere, vel natione.

Natus est ex ea gente, quæ pessima est omnium Barbarorum, & quæ non certis consistere sedibus potuerit, propter ignaviam; sed coacta sit, locum è loco permutans, variis erroribus jactari. Argivi enim primùm ipsos finibus exturbaverunt: hinc diu vagi, ad eam tandem, quam nunc incolunt, regionem perlati sunt. Duplici itaque infelicitate implexi, & quòd melioribus coacti sunt cedere, & quòd in imbecilliores violenti injustique fuerunt, nunquam tutò habitare, aut vacui metu agere potuerunt.

A patria.

Et cùm ex gente ignominiosa oriundus sit, tamen ex civitate magis etiam infami natus est. Vt enim abjectissimi Barbarorũ censentur Macedones: ita Macedonum, ejusque terræ velut quædam sentina, est Pella, ut in qua civitate ne frugi quidem servorum ullus sit proventus.

A majoribus. Philippus hic sextus fuit Macedonum Rex: Huic autem non im-

Hac ergò progenitus patriâ, majores habuit patriâ ipsâ longè magis pudendos. Philippus enim inter majores ipsius fuit; cui, quo minus ejus terræ regnum obtingeret, obstitit generis indignitas, atque dedecus. Huic successit pater Amyntas, qui regnum alienis opibus tenuit:

pul-

mediatè ſucceßit pulſum enim, in regnum Athenienſes reduxerunt.

Amyntas, ſed Europus: Europo Alcetas, Alcetæ Amyntas.

Ab educatione.

Tali igitur ortus patriâ, tales ſortitus generis autores, apud Thebanos moratus, primùm obſes fuit: nec, quamvis mediâ in Græciâ verſaretur, mores convictu mutans, ad meliora deflexit; ſed barbaricam ſemper impotentiam inter Græcam retinuit inſtitutionem. Cumque ſit omne humanum genus in Græcos atque barbaros diviſum; ipſe velut ex utriſque commixtus, ſimilem improbitatem in diſſimilibus gentibus exercebat.

Genus omne humanũ in Græcos & Barbaros diviſum.

A rebus perfidè geſtis.

Orſus ergo primus à cognata gente, ipſam in ſervitutem redegit; velut à perfidia rerum ſuarum initia auſpicatus. Inde & finitimos aggreſſus populos perdomuit: captiſque deinde Pæonibus, Illyricos eſt adeptus. Triballorum quoque gentem invadens, &, quidquid præterea in proximo erat terrarum, omnia velut uno impetu devicit. Et corpora quidem barbarorum pugnando cepit, mentes autem cum corporibus nequivit capere, nec eorum animos pacis artibus ſibì conciliare. Quamobrem ſubinde deficiebant, & quanquam victoris crudelitatem horrebant, tamen rebellionem per omnes penè dixerim noctes ſomniabant: ut qui opere foris ſervirent, intus cogitatione eſſent libri. Subactis ergo finitimis Barbaris, ad Græcos caſtra movit, atque adeò antequam ipſam Græciam invaderet, civitates, quæ in Thracia Græcæ ditionis erant, evertit, cepitque Amphipolin, Pydnam ſubegit, iſtiuſque Potidæam adjunxit. neque Pheras extra Pegaſas. neque Magneſiam extra Pheras omiſit: ſed cuncta urbes Theſſalorum capiebantur, & velut generis mercedem ſervitutem ferebant.

A mortis genere.

Dignum ſanè fuerit, exitum quoque ipſius recen-

recensere : posteà enim quàm pleraque, quæ invasit, oppresserat, subjeceratque contra fœdera eos, qui fuerant fœderibus devincti, offensi violatis fœderum sacris Dei, convenientem perfidiæ suæ finem dederunt. Neque enim in prælio pugnans cecidit, quo fortissimum aliquem mortis suæ testem reliquisset, sed in medio turpium voluptatum gurgite suffocatus, se dignum sepulcrum in earum fœditate invenit. Videlicet ut quemadmodum ejus vita; sic & mors intemperantiæ fœdum exemplum posteris esset.

Quis autem est, qui Echetum illi putet posse conferri? Echetus enim præcisis extremis aliquibus corporis membris, reliquum saltem corpus relinquebat: at Philippus totos cum corporibus ipsis homines perimebat: quantoque sævius est totum deleri hominem, quàm partem aliquam auferri; tanto perniciosior est Echeto Philippus. *A comparatione.*

Cessare autem à sceleribus suis Philippus nesciebat, cùm mihi victo magnitudine flagitiorum ejus necesse sit, ut plura de ipsis facere verba desinam.

SCHOLIA.

Omnia quæ laudantur, contrariâ vituperari possunt ratione. Ab Aphthonio causa exercitationis reprehenditur Alexandri pater, Amyntæ filius, Philippus, qui tamen vel dictorum urbanitate, vel (ut relatum est suprà) dexteritate ingenii superabat seculi sui Reges omnes. Vide Erasmum 4. Apophthegmatum. Quemadmodum autem laudari; ita vituperari possunt Personæ, ut Thersites: Res, ut ebrietas: Tempora, ut hyems: Loca, ut *Peroratio.*

ut Euxinus: Nota, apud Plutarchum in Eumene: Bruta animalia, ut crocodilus: Plantæ, ut crambe.

Claritas enim generis notiores circa vitia & invisos magis facit. Quint. Ac notavimus suprà ex Quint. hæc non ideò laudari, quòd habuerit quis ea, sed quod iis honestè sit usus.

Adjungens, &c. In genere nationis, patriæ, majorum atque parentum circumstantiæ sunt excutiendæ. Quæ omnia si clara contigêre, ostendendum est, illa vitiorum omni genere contaminasse, quem vituperandum susceperis.

Educationem, &c. Quodsi is, quem vituperare constitueris, claris natalibus, & egregiis animi, corporis, atque fortunæ dotibus conspicuus præfulserit; dices, à majoribus illum degenerasse: Animi dotibus ad dolos & fraudes; Bonis corporis ad libidinem, cædes, rapinas; Divitiis ad multorum perniciem, & publicas seditiones fovendas, abusum.

Frustrari, &c. Frustro activum: & *frustror* commune verbum legitur. Est autem sensus: qui crimina non accusant, ii non minùs peccant, quàm qui virtutes non laudant: non enim decet virtutem sine laude; nec malitiam sine virtuperatione atque reprehensione relinqui.

Æquum, malè audire, &c. Ut sementem (juxta proverbium) quis fecerit, ita metet. Et qui, quæ vult, dicit aut facit, quæ non vult, audiet: bene dictis aut factis qui certat, audiet bene.

Pessima barbarorum, &c. Hujus gentis barbariem Stratonius Musicus Atheniensis nota resolitus fuit, qui ad discipulum stupidum solebat exasperatus dicere, Εἰς Μακεδονίαν, pro Εἰς μακαρίαν. quo dicto proverbiali precamur exitium. Meminit Erasmus 6. Apophtheg. Macedoniæ autem descriptionem habet

bet Pomponius Mela lib. 2. cap. 3. Livius, lib. 2. belli Macedonici.

Ad historiæ verò præsentis cognitionem pertinent ea, quæ Justinus habet lib. 8. & 9. Thucydides belli Peloponnesiaci libro 2. Plutarchus in vita Alexandri. Paulus Orosius, lib. 3. cap. 12. ad 15.

Argos.

Argivi, &c. Argos & Lacedæmon duæ clarissimæ urbes, Græciæ quondam lumina fuerant; ut ait Livius lib. 4. belli Macedonici. Ab Argos *Argivi* & *Argolici:* inde Macedonum Reges oriundos fuisse, Livius testatur.

Duplici, &c. In duplex, inquit, malum inciderunt, & quòd Argivis fortioribus cedere, & jam exsules ad inopiam redacti, aliis imbecillioribus vim inferre coacti fuerunt: quorum illud ignaviæ, hoc rapacitatis atque impietatis evidens fuit argumentum.

Pella.

Pella, &c. Urbs est Macedoniæ, quam autore Pomponio Mela fecerunt maximè illustrem Philippus Græciæ domitor: Alexander etiam Asiæ. Hinc Pellæus Alexander dictus. Juvenalis Satyra 10.

Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyaræ clausus scopulis, parvâque Seripho.

Inter Cœranum, vel, secundùm alios, Cranaū, primum Macedonum Regem, &

Philippus, &c. Philippus, inquit, qui Alexandri pater erat, avum habuit ejusdem nominis, hominem ignobilem. sed in Græco προγονος est, hoc est, proavus. Ex Justino igitur Philippi genealogiam ita colliges.

Cœranus in Æmathia urbem Edyssam, oppidanis non sentientibus, per imbres & nebulas caprarum greges secutus, occupavit.

Perdiccam regnavit Cœnus & Thyrimas: quartus fuit Perdiccas.

Cœrano ſucceſſit Perdiccas: huic Ægeus; qui ſucceſſorem filium reliquit Philippum hujus proavum: Philippus autem parvulum reliquit Europum patrem Amyntæ. Amyntas Philippum genuit, Alexandri patrem.

Apud Thebanos obſes, &c. Obſides ob fidem ſervandam dabantur obſidionis tempore. Thebis autem obſes fuit Philippus. Oroſius, lib. 3. cap. 12. Juſtinus, lib. 6. Philippus, inquit, obſes triennio Thebis habitus, Epaminondæ, & Pelopidarum virtutibus eruditus. Aphthonius ait, παρ' Ἀθηναίοις ὡμήρευε, id eſt, apud Athenienſes obſes fuit. ut intelligas, à patre Athenienſibus obſidem datum.

Pæonibus, &c. Sunt enim Macedonibus finitimi: Macedonia enim à Macedone Oſiridis filio dicta, Pæoniam habet à Septentrione, Illyriam ab Occidente, Thraciam ab Oriente, Theſſaliam à Meridie. Fuit olim centum quinquaginta populorum, ac duobus inclyta Regibus, Philippo ſcilicet, & Alexandro. Vide Plinium, lib. 4.

Illyris.

Illyricos, &c. Illyrici ſunt in ſinu maris Adriatici: occupat enim Adriatici latus Illyris, ut ait Pomponius Mela, lib. 1. cap. 3. Philippo autem primum certamen fuit cum Athenienſibus. quibus per inſidias victis, in Illyrios bellum tranſtulit, multa millia hominum occidit, urbemque nobiliſſimam Laryſſeam cepit, ut ait Juſtinus libro 10. Diodorus, lib. 3. de rebus Alexandri, ait: Philippus, anno ſecundo regni ſui habita concione, & militibus animatis, in Illyrici fines cum decem millibus peditum, & ſexcentis equitibus intravit.

Triballi.

Triballorum, &c. Illyricorum id genus eſt:

est: ut ait Livius, lib.7. belli Punici. qui scribit; Philippum, cum urgeri suos videret, in cohortem Romanam incurrisse, atque ibi equum pilo trajectum in caput Regem effudisse. Plin. lib. 4. cap 10. Triballos in finibus Macedoniæ collocat.

Ad Græcos, &c. Nulla fuit apud Philippum turpis ratio vincendi; securis omnibus Thermopylas occupârat. Vide Justinum, lib. 8. & 9. Græciam totam propè consiliis præventam viribus domuit. Orosius, lib.3.cap.12.

Thracia, &c. Antè *Sithonia* fuit dicta. Vide Gellium, lib.15. cap.7. De qua Plinius, lib.4. cap. 11. Appellata fuit ab asperitate, vel, secundùm Tortellium, à feritate. θρασὺ, ferum & temerarium. τραχὺ, asperum. *Thracia.*

Amphipolim, &c. Inter Neston, & Strymona, fuerunt Apollonia, & Amphipolis; ut ait Pomponius Mela lib. 7. cap. 2. Nestos autem & Strymon fluvii sunt in Thracia. De Amphipolitanis Diodorus Siculus, lib. 3. *Amphipolis.*

Pydnam, &c. Ab Amphipoli subito Pydnam occupavit, & Olynthiis ad obtinendam Potidæam tulit auxilia; ut ait Diodorus Siculus.

Potidæam, &c. Pomponius Mela, lib. 2. cap. 2. Pallene, inquit, soli tam patentis, ut quinque urbium sedes sit atque ager, tota in altum abiit, angusta satis unde incepit: ibi est Potidæa. Ejus meminit Plutarchus in Alexandro.

Pheras, &c. Pheræ civitas in Thessalia. Plinius lib.4. cap. 8. Hinc Pheræus. Ovidius in Epistolis: *Pheræ.*

Ipse repertor Opis vaccas pavisse Pheræas
Fertur, & à nostro saucius igne fuit.

Pagaſa. *Extra Pagaſas, &c.* Moſellanus ita reddidit hunc locum: Victoria cumulare adproperans non quievit, donec Pheræ, Pagaſæ Magneſiæque, imo Theſſaliæ civitates omnes, barbaræ ſervitutis jugum acciperent, & generis ipſius veluti notam portare ſuſtinerent. Pagaſam autem Plinius libro 4. oppidum Theſſaliæ tradit. Meminit ejus Pomponius Mela, libro 2. cap. 3.

Magneſia. *Magneſiam, &c.* Μαγνησίαν, Magneſiam, Græciæ regionem annexam Theſſaliæ, Plinius tradit lib. 4. cap. 8. Argo Magnetida, hoc eſt, Theſſalicam, appellat Ovidius, in Epiſtolis.

Fœderibus devincti, &c. Cùm Philippus ſe excluſum ab ingreſſu Græciæ, præſtructis Termopylis, vidiſſet, paratum in hoſtes bellum vertit in ſocios. Nam civitates, quarum antè dux fuit, ſibi gratulantes & excipientes, hoſtiliter invaſit, crudeliterque omnia diripuit, liberos conjugesque ſub corona vendidit. Oroſius, lib. 3. cap. 12.

Voluptatum gurgites, &c. Etenim deſtinato lætitiis die * fuit interfectus in theatro per Pauſaniam, cum regnaſſet annos quatuor ſupra triginta. Diodorus viginti quatuor annos duntaxat regnaſſe Philippum ſcribit. De eo hæc Oroſius, lib. 3. cap. 14. Cùm ad ludos magnificè apparatos inter duos Alexandros, filium atque generum contenderet, à Pauſania nobili Macedonum adoleſcente, in anguſtiis ſine cuſtodibus circumventus, occiſus eſt. Mortis ejus meminit Valerius, lib. 1. cap. ult. de miraculis.

** Celebrabantur enim nuptiæ. Philippo ſuccenſebat Pauſanias, quod is ſtuprum ſibi illatũ vindicare neglexiſſet.*

Echetus. *Echetum, &c.* Echetus Epirotarum Tyrannus, qui regionem hominibus ingreſſis, nares,

nares, aures atque pudenda rescindere solebat, & objicere canibus. Unde Antinous Odyss. decima octava, apud Homerum ait ad Irum: Si te vicerit mendicus, mittam te ad Echetum, ut tibi nares & pudenda præcidat, & canibus objiciat.

VITUPERATIONIS PHALARIdis exemplum.

Ut virtute præditos gloria; sic vitiis contaminatos perpetua comitatur ignominia, quâ dignissimus Phalaris; cujus crudelitas, antequam nasceretur, matris somnio comprobata est. Vide Ciceronem, primo de Divinatione libro.

Cujus parentes turpissimos, ut indignos, æternâ famâ, sed tenebris Cimmeriis, obruendos, plerique autorum silentio præterierunt. *A majoribus.*

Nactus præclaram Agrigentum patriam: quam ut Empedocles eximiis animi dotibus illustriorem; ita magis famosam crudelitate suâ reddit ille. *A patria.*

Phalaridis imperium tam fuit truculentum, ut proverbio locum fecerit. Qui tauro inclusos æneo reos torrebat, & igne subjecto cruciabat. Meminit Plinius, lib. 39. cap. 8. Ovidius in Tristibus. Valerius, lib. 9. cap. 7. *A rebus gestis.*

Factis igitur digna morte succubuit. Nam in eum impetum faciens Agrigentinorum multitudo occidit, & tyrannum lapidibus obruit. Vide Ciceronem Officiorum 2. Valerium, lib. 3. cap. 3. *A morte.*

Crudelis quidem Procrustes, sed longè cru- *A comparatione.*

In parricidas hoc est inventũ supplicium. delior Phalaris. Ille ſolebat in Attica regione nonnullos hoſpites interimere, poſt (ut Plutarchus refert) à Theſeo interfectus: Hic autem eò crudelitatis proceſſit, ut ejus ſupplicio non debeat una parari ſimia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Epilogus. Finem dicendi faciam, perpendens, meam dicendi facultatem imparem eſſe tot criminibus illius recenſendis, nedum oratione condigna vituperandis.

ALIUD EXEMPLUM, *vituperationis Paridis.*

Cum nullam hominibus immortales Dii capitaliorem peſtem dederint, quàm voluptatem, bono jure vituperandi ſunt, qui, poſthabitis omnibus virtutibus, veluti pecudes, illam malorum omnium eſcam ſunt amplexi. Quorum in numero Paris,

——— *Epicuri de grege porcus.*

A natione. Natus in Phrygia. quæ neminem frugi produxit, ſed quos tympana & buxus juvit, non claſſica; ut ait Virgilius in nono. Hinc barbaris, ſervilibus, ac ſtupendis ingeniis horrentes prodierunt homines, ut proverbiis locum fecerint: *Phryx plagis emendatur.* Et, *Serò ſapiunt Phryges.*

A patria. Patriam ſortitus Trojam, quam, cùm illuſtrare virtutibus deberet, omnique beneficiorum genere beatam reddere, funditus perdidit.

A majoribus. Nulla refulſit in eo majorum claritas, &, ſi qua fuit, eam turpiſſimis facinoribus conſpurcavit, ac tenebris, ut aiunt, Cimmeriis involvit. Avus fuit Laomedon inſignis perfidià.

fidiâ. Qui pactam pro constructis Trojæ mœnibus mercedem negavit Apollini atque Neptuno, violavitque sacram jusjurandi religionem, quæ semper ab aliis inviolatè sanctissiméque habita est. Vide Gellium, lib. 7. cap. 18.

Patrem habuit, qui servitutem perpetuam serviisset, si non pretio fuisset redemtus. Etenim puer ab Hercule captus, cum Hesione sorore, pecunia solus redimi potuit. unde *Priamus* dictus, qui prius appellabatur Podarces. Porrò si qua fortasse fuerunt in eo virtutis ornamenta, Paris tamen ab iis deflexit ad omnem libidinis turpitudinem. *A parentibus.*

Cùm in utero mater Hecuba gestaret Paridem, somniavit, se facem parituram, quæ totam incendio Trojam esset absumtura. Nec vanum fuit somnium. Unde fortunatiores floruissent Trojani, si responsis Aruspicum, & oraculis numinum obtemperantes, pestiferum partum è medio sustulissent. *Ab iis, quæ nativitatē præcesserunt. Meminit Qu. l. 3. c. 7. ex Hom. l. 6. Ilia.*

Quem mater occidere debebat, Idæis pastoribus educandum tradidit, ubi ferinam inter pecudes & lustra ferarum barbariem imbibit, turpissimoque libidinis crimine animum coinquinavit, usus infami turpis Oenonis consortio. *Ab educatione.*

Cùm duæ sint viæ, altera virtutis asperior, altera vitiorum planior, & amœnior; non illam, ut Scipio Aphricanus, apud Sil. Italicum lib. 15. sed hanc, quam stulti solent, ingressus, consequutus est digna meritis præmia, nimirum Iliada malorum. *A vitæ institutione. Vt etiam Hercules apud Prodicum: de quo Xen. 2. Mem. & Cicer.*

Studia virtutis aversatus, neminem audivit recta monentem: unde salutarē Palladis exhortationem respuit, amplexus illecebras pestiferas Veneris; quæ blando quidem, sed pernicioso leno-

Offic. 1. A disciplinis. lenocinio permulsum rapuit ad crudelia fatorum discrimina. Vide Plutarchum, in Homeri vita.

Alludit ad vulgatum Paridis judiciũ. A dotibus corporis. Egregiâ formâ conspicuus enituit: atqui juxta Socratis præceptum, inspecto sæpius speculo non cavit, ne quid illâ committeret indignum. Vide Erasmum 3. Apophthegm. Accessit tantum robur, atque laterum firmitas, ut in agonali certamine vicerit Hectorem; sed omnia, luxu, atque voluptatibus exhausta defluxerunt. Hinc non immeritò reprehensus ab Hectore apud Homerum Iliad. 2.

A fortunæ bonis. Quas opes habuerat, in turpissimos amoris fœdioris abusus profudit; & quibus patriam debebat juvare, iis perniciem adduxit.

A rebus gestis. A Priamo receptus in regnum non virtute regiâ dignum aliquid meditatus fuit, sed deterrimæ libidinis impulsu navigavit Spartam; ubi hospitis Menelai, in Cretam abeuntis, uxorem illecebris expugnatam abduxit, & in patriam ipsissimam malorum lernam invexit.

A genere mortis; hoc est, cruore moriens adspersus est. Condigno, quod flagitiis meruerat, supplicio affectus mortem obiit; qualem Tyranni: scilicet non siccam.

ANNIBALIS VITUPERATIO.

Exordium. In Republica libera magnam sæpenumero commoditatem afferunt conviciatores. Solent enim efficere, ut ex vitiosorum hominum reprehensione purior vita cum oratione, tum moribus exoriatur. Unde Philippus, ille Macedonum Rex, calumniatoribus suis plurimam se dicebat habere gratiam; quòd suis conviciis efficerent, ut ipse melior evaderet: dum

dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacii convincere. Et Annibal ipse, aut ejus similes homines improbi, non excandescent, imò gratiam habebunt, quòd justa vituperandi libertas meliorem afferat vivendi rationem.

Natus est ex ea gente, quæ factio Barchina dicebatur, à Barch, Didonis socio, qui natale solum in arida Libya tenuit, ita obscurum, infœcundum, barbaricisque hostibus refertum, ut id relinquere, & in Africam transmigrare, compulsus fuerit, vel rerum inopia coactus, vel hostium metu perculsus. Jam in Africa talis contigit populus, cujus propter insignem perfidiam suspecta fides proverbio locum fecit. *A genere.*

Oriundus itaque ex horrido, & tam infausto loco, patriam sortitus est Carthaginem. Cujus cives odiis semper atque vitiis prope majoribus certarunt, quàm viribus aut virtutibus. Unde per ignaviam & rerum omnium imperitiam amiserunt Siciliam atque Sardiniam, provincias omnium florentissimas. *A patria.*

In majorum ejus numero, quem laudandum magis existimarunt, Asdrubal erat: is scilicet, quo nemo fuerat crudelior: cujus efferata sævitia dolo & insidiis Xanthippi Marcum Attilium Regulum spiritus religiosissimi virum cepit, & miseris modis excruciatum interfecit. *A majoribus.*

Quod vel solum immane facinus Dii videre nonqueuntes, servum immiserunt, qui de viro deterrimo pœnas sumeret, & divinum factum quasi miraculo comprobaret. Hic enim quód dominum suum occidisset, Tyrannum subitò aggressus, interemit: cumque *Regulus captus est anno ab urbe conditâ 496. auctore Polybio.*

comprehensus omni modo cruciaretur, lætitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore constantissimè retinuit: eoque fuit habitu oris, ut superante lætitiâ dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. Valerius lib. 3. cap. 3. Livius in præfatione bellorum Punicorum.

A parentibus. Patrem habuit Amilcarem, Tyrannum pestilentissimum. qui ut sui similem, hoc est, nativæ crudelitatis hæredem filium relinqueret, undecim annos natum, aris admovit, ut odium in Romanos perenne juraret. & hic maturè patris vestigia secutus, odii magnitudinem ostendere cupiens, inflixit in terram pedem, suscitavitque pulverem, dicens: Tum belli finis erit, cùm alterutra pars in habitum pulveris redacta fuerit. Vide Valerium lib. 9. cap. 3.

Ab iis, quæ nativitatem secuta. Patris igitur vestigia subsecuturus, certæ prædictionis somnium vidit, votisque suis convenientem imaginem hausit. Existimavit enim, missum sibi à Jove mortali specie excelsiorem juvenem, invadendæ Italiæ Ducem. cujus monitu primo vestigia nullam in partem secutis oculis, mox humani ingenii pronâ voluntate vetita scrutandi pone respiciens, animadvertit, immensæ magnitudinis serpentem cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri concitato impetu, omne, quidquid obvium fuerat, proterentem: postque eam magno cum cœli fragore erumpentes nimbos, lucemque caliginosis involutam tenebris: attonitus deinde, quidnam esset monstri, & quid portenderet, interrogavit. Hic dux; Italiæ, inquit, vastitatem vides, ut ait Valerius lib. 1. cap. 5. Eadem Livius habet

primo

primo belli Punici 2. Silius lib. 3. Cicero de Divinatione lib. 1.

In prætorio patris educatus fuit, ubi nihil præter mera tyrannidis exempla vidit. Eum Asdrubal, vix dum puberem, ad se accersivit, ut militiæ assuesceret, inque paternas opes succederet: sed optimus vir Hanno, factionis alterius princeps, animadvertens pessimam adolescentis indolem, ipsum domi tenendum sub legibus, sub magistratibus docendum, vivere æquo jure cum cæteris censebat: ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exsuscitaret. At pauci ac ferme optimus quisque Hannoni assentiebantur: sed (ut plerunque fit) major pars meliorem vicit, ut ait Livius. Prudenter autem Hanno: nam Annibal ferus, immanisque natura, adjunxit à pueritia prima disciplinam, qua non jura, non leges, non civiles consuetudines, sed bella cædesque & hostiles proditiones tractare didicerat. Itaque crudelissimus evasit dux, & in fallendis hominibus callidissimus. Nam ad decipiendum hostem semper intentus, quos aperto Marte superare non poterat, dolis aggrediebatur: ut refert Plutarchus. *Ab educatione.*

Optimos quidem præceptores consecutus erat, sed omnes naso adunco suspendens per arrogantiam, in bonis disciplinis nihil promovit. etenim oratorem atque philosophum eloquentissimum Peripateticum Phormionem audivit Ephesi, de Imperatoris officio, & de omni re militari copiosissimè disserentem: paulóque post rogatus, quidnam de illo Philosopho judicaret, respondit; multos se deliros vidisse senes, sed qui magis quàm Phor- *Ab institutione.*

mio deliraret, vidisse neminem. Cujus rei meminit Cicero, de Orat. lib. 2.

A legũ contemtu. Legum justitiam nihil curavit, fœdera rupit, Legatos P. Valerium Flaccum, & Q. Fabium Pamphilum, à sociis & pro sociis missos, contra jus gentium non audivit; nec in castra admisit. Et quas in leges patrias delinquendo pœnas meruerat, eas astutiâ mirè solitus avertere. Sic à Duillio consule navali prælio victus, timensque classis amissæ (capitale enim Carthaginensibus ex publico legum decreto fuit, si quis ducum injussu populi pugnasset infeliciter) pœnas dare, ex illa infelici pugna priusquàm cladis nuncius domum perveniret, quendam ex amicis compositum & instructum Carthaginem misit. Qui postquam civitatis ejus curiam intravit: consulit inquit vos Annibal, cùm dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias advenerit, an cum eo confligere debeat: acclamavit universus Senatus, non esse dubium quin oporteret. Tum ille: Conflixit (inquit) & superatus est. Ita liberum his non reliquit id factum damnare; quod ipsi fieri debuisse judicaverant; ut ait Valerius, lib. 7. cap. 3.

A rebus gestis. Rupto, quod primo bello Punico fuit ictum, fœdere, totius Italiæ agros ferro & igne vastavit: quod scelus ut pro suâ libidine patraret, occasionem quæsivit, nec quæsita defuit. Erant in Hispania Saguntini, quasi medii inter Romanorum & Carthaginensium fines, jure fœderis in libertate relicti. Hi posteà totos se Romanis addixerant, initaque societate Romani imperii fidissimi cultores habebantur. Quare Annibal constituit animo, nihil opportunius fieri posse ad eliciendam

Roma-

Romanorum iram, ac incendium, quod sibi optatissimum erat, concitandum, quàm Saguntinos armis belloque lacessere. Sed priusquam socios populi Romani apertè adoriretur, statuit in Olcadas, aliosque trans Iberum populos, exercitum ducere, ac eis ad deditionem compulsis, aliquam Saguntinis nocendi causam reperire, quâ non tam meditato consilio à se illatum, quàm à Saguntinis contractum bellum videri posset. Primùm igitur Olcadum gente ad deditionem compulsa, Vacceos deinde aggreditur, agros deinde populatur, oppidaque multa expugnat: ut ait Plutarchus.

Ab animi dotibus.

Annibalis majore ex parte virtus sævitia constat: argumento fuerunt multa, cùm primis illud quod in flumine Gilo corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit, ut æquè terrestrium scelestum Carthaginensium copiarum egressum Terra, quàm maritimarum Neptunus experiretur. Idem captivos oneribus, & itinere fessos, primâ parte pedum succisa relinquebat. Quos vero in castra perduxerat, paria fratrum & propinquorum jungens, ferro decernere cogebat, neque antè sanguine explebatur, quàm ad unum victorem omnes redegisset. Justo ergo illum odio, verumtamen tardo supplicio senatus, Persiæ regis factum supplicem, ad voluntariam mortem compulit, ut ait Valerius, lib. 9. cap. 2. Nonnullis quidem virtutibus Annibal præditus erat: sed eas ingentia vitia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Dei metus, nullum jusjurandum, nulla religio, ut Livius scribit.

A corporis dotibus. Nullo quidem labore aut corpus Annibalis ab initio fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris & frigoris patientia par, cibi potusque desiderio naturali, non voluptate, modus finitus; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora; id quod gerendis rebus superesset, quieti dabatur: ea neque molli strato, neque silentio accersita, sed tantum id corporis bonum luxuria fregit, maximè Campana, perquam utilis imperio Romano. Invictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi attribuit. illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantiâ, Veneris usu lasciviore ad somnum ac delicias evocavit: at tum demum fracta & contusa Punica feritas est, cùm Seplasia ei, & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitiis fœdius? quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur, adeò ut nescias, ab hostibusne, an ab illis capi perniciosius habendum sit, ut ait Valerius Maximus, lib. 9. cap. 1.

A fortunæ bonis. Opes, quas apud milites plebemque plus quam modicas habebat, assiduis rapinis auxit; quibus hominum animos solicitavit, & corrupit, ut largitionibus sibi favorem aucuparetur, viamque ad dominationem præstrueret. Libido eum maxima invaserat Reipublicæ capiundæ, sibique regnum parandi.

Ab iis, quæ supremum Ingratos Carthaginenses appellat Valerius Maximus, quod in animum induxerint è conspectu suo submovere Annibalem, qui pro

eorum

eorum victoria tot Imperatores, totque exercitus Romanos trucidaverat. Sed illi judicio meo prudentes, justis rationibus adducti, nocentissimam bestiam relegarunt, interturbatorem publicæ pacis, totque cladium auctorem truculentissimum. *vitæ diem præcesserunt.*

Ejectus igitur in exsilium, ad Antiochum Regem Syriæ confugit. quo victo, ad Prusiam Bithyniæ Regem concessit. unde Romam legatione repetitus, hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno absumtus est. ita morte non gloriosâ succubuit, vitam insecutâ turpissimam. *A comparatione.*

Pestilens & crudelis C. Flaminius erat, qui miserabilis illius ad Thrasymenum pugnæ causa fuit; Sed longè pestilentior, atque crudelior Annibal. illum semel Rempublicam affligere stultitia coëgit; hunc autem furor ad maximas clades sæpenumero pertraxit. *Conclusio.*

Plura dicere supersedeo: ineptus enim haberi possem, si crimina Annibalis omnia, quæ nullum nocendi finem habuerunt, studerem exiguâ, quam habet oratio mea, facultate complecti.

DE COMPARATIONE, quæ σύγκρισις Græcè dicitur.

CAPUT. X.

Comparatio est oratio ex collatione aliquid disquirens: quo id, quod comparatur, in majus extollat, aut ostendat æquale.

Comparantur autem vel bona bonis, vel bona malis;

malis, vel mala malis, vel parva majoribus conferuntur. Prorsusque comparatio duplicem habet vel laudem, vel vituperationem, vel alterutrum ex laude, vituperationeque compositum. Omnis autem comparationis locus admodum difficilis est, præsertim si parva majoribus conferas.

Comparari verò omnia possunt, quæ laudari, quæque vituperari.

Personæ,
Res,
Tempora,
Loci,
Irrationalia animalia,
Plantæ.

Non oportet autem comparantem totas res totis conferre; id enim supinum, inefficax, & nequaquam est pugnax: sed capiti caput conferendum; hoc enim vehemens, atque dividere totas, laudis est, non comparationis. Comparatio autem in hoc non est posita, quando totum hoc praexercitamentum comparatio vocatur: ut,

COMPARATIO ACHILLIS & Hectoris.

Proœmium. *Volenti mihi virtutem conferre virtuti, cùm Achille haud immeritò componendus fuerit Hector. Sunt quidem ipsæ per se virtutes nimirum abundè honestæ; comparatæ tamen, admirabiliores videntur.*

A loco. *Patriâ ergo nati sunt non eâdem, laudatâ tamen uterque: Ille enim in Phthia; unde Græciæ ipsius primum prodiit cognomentum: hic verò Trojæ, cujus conditores Deorum quoque primi fuerunt. Quod si pari natum esse loco affert aliquid ad lau-*

laudem, nihil quidem hac in parte Achilli posthabendus est Hector.

Nati autem uterque præclarâ patriâ, parem quoque generis habuerunt dignitatem: uterque enim ad Iovem originem suam initiumque generis sui refert. Pelei enim filius Achilles fuit; Æaci verò Peleus, & Æacus Iovis. Sic quoque Hector Priami; Priamus autem Laomedontis, & Dardani Laomedon filius. Dardanus quoque Iove prognatus est. A parentibus.

Progenitore autem Iove nati uterque, reliquam quoque majorum seriem habuerunt claritudine æqualem. Vt enim Achilles Æacum habuit & Pelea: quorum ille Græcos à siccitate, penuriaque liberavit; hic Lapithis devictis ob egregiam virtutem Deæ conjugium est assecutus. Sic Hectoris Dardanus progenitor fuit, Deorum primùm dignus habitus convictu; pater autem Priamus imperavit urbi, cujus muros ipsi quoque Dii fundarunt. Quodsi non minus est, quàm deæ sortitum esse conjugia, Deorum, idque optimorum, mensâ convivioque usum esse, nihil est quòd quisquam majorum gloria Hectori præferat Achillem. A majoribus.

Talibus autem uterque majoribus procreati, ambo ad fortudinis sese studia contulere: & ille quidem à Chirone educatus est; huic Priamus ipse præceptor velut naturæ quâdam viâ, virtutis monumenta tradebat. Par itaque, similisque educatio parem utrique conciliat laudem. Ab educatione.

Vt autem ad virile pervenere robur, eodem in bello par uterque animi, virtutisque specimen præbuerunt. Hector enim Trojanos ducebat, solusque velut obex, propugnaculumque civitati datus, tuebatur ipsam, stetitque quamdiu faventibus Diis & auxiliaribus est usus. A rebus gestis.

Cadens

Cadens deinde, ipsam quoque Trojam post se traxit atque evertit. Achilles vero Græcorum præerat armis, terroreque omnes vincebat Trojanos, Palladis fultus numine atque auxilio, occumbensque spem victoriæ in reliquum abstulit Græcis.

A morte. *Et ille quidem victus à Pallade interiit; hic autem cecidit ab Apolline confixus. Natique ambo ex Diis, ambo quoque Deos habuere mortis auctores; utque divinitus generis initia, ita vitæ etiam exitum accepere. Quodsi similis utrique vita fuit, similisque mors utrumque abstulit: quid est quo non Hector par sit, quoque cedere debeat Achilli?*

Epilogus. *Plura erant, quæ dicerem de utriusque virtute, nisi quemadmodum in his, quæ dixi, ita in reliquis per omnia ipsorum glória esset æqualis.*

SCHOLIA.

Comparatio, secundùm Priscianum, est vel similium vel diversorum, vel minorum ad majora, vel majorum ad minora collatio.

Differt ab ea, quæ inter Schemata sententiæ numeratur à Rhetoribus, quòd hæc brevis sit exornatio, illa exercitationis studio suscepta, instar laudis vel vituperationis fusiùs tractari solet.

Bona bonis, &c. Ut si Æneam Numæ comparaveris: Sapientiæ fortitudinem; Justitiam pietati.

Bona malis, &c. Bonitas enim ex malorum comparatione magis enitescit ac effulget: ut, sapientia comparata stultitiæ, pax discordiæ, sobrietas ebrietati.

Mala

Mala malis, &c. Ut si ebrietas cum adulterio conferatur, Philippus Echeto, Procrustes Phalaridi.

Parva majoribus, &c. Res exiguæ verbis attolli possunt: ut, si ex musca feceris elephantem.

Duplicem habet laudem, &c. Per loca laudis processuri, comparabimus & urbem urbi, ex qua sunt viri, & genus generi, & victum victui, & professiones professionibus, & gesta gestis, & ea quæ accidunt extrinsecus, ut diversos mortis modos, & quæ eam sunt secuta. Similiter si arbores comparare volueris, conferes etiam præsidentia eis numina, & loca in quibus nascuntur, & fructus, & utilitatem, & similia. Res quoque si compares, extolles qui primi eas invenerint, & eos conferes. Præterea qualitatem animi & corporis.

Alterutrum, &c. Alterutrum aliquando vituperantes, alterutrum laudamus: ut si comparemus justitiam & divitias.

Locus difficilis, &c. Unde fortem (ut Priscianus ait) oratorem exigit, & callidum, & celerem, ut agiles possit semper facere transitiones.

Personæ, &c. Ut in oratione pro Cluentio, ubi Milesia & Oppianicus conferuntur. Illa à secundis hæredibus pro abortu pecuniam acceperat. Hic idem effecerat per alieni corporis cruciatum. Vide Erasmum, 2. Copiæ.

Res, &c. Ita conferri poterit Academia aliqua cum alia, urbs cum urbe, locus cum loco, &c.

Tota res totis, &c. Non fuerit necesse, inquit, ut aliquam rem per omnes suas partes cum

cum alia conferas, ut caput Demosthenis cum capite Ciceronis, humeros cum humeris, manus cum manibus, pedes cum pedibus. Sed magis, ut secundum locos generis demonstrativi compares genus Demosthenis cum genere Ciceronis, patriam cum patria, educationem cum educatione, res gestas cum rebus gestis, &c.

Non est posita, &c. In hoc comparationis progymnasmate non est comparatio caput, quia comparatio est tota præexercitatio. Non quidem est caput, sed comparatio diffusa per omnes locos atque partes.

Phthia, &c. Φθία, ὅθεν ὁ τῆς Ἑλλάδος προσῆλθεν ἐπώνυμος. Unde Helladis cognomentum provenit. Est autem Phthia Thessaliæ oppidum & regio, Achillis patria illustris. Dido apud Ovidium in Epistolis:

Non ego sum Phthiâ, magnisque oriunda Mycenis:

Hinc Phthius. Idem in Briseide:

Quam sine me Phthiis canescant æquora remis.

Pomponius Mela Phthiam in Phthiotide ponit, regione Græcâ. Et Hellas, Achaia regio, alio nomine Atthis dicitur. Eadem Thessalia cognominata fuit, autore Plinio, lib. 4. cap. 7. Plura apud Thucydidem, lib. 1. Hellenes Græci appellati sunt. Hellas autem dicta fuit à Deucalionis & Pyrrhæ filio, qui Hellen appellatur.

Trojæ conditores, &c. Apollo & Neptunus cum Laomedonte, Ili filio, patre Priami, mercede pactâ, muros Trojanos condiderunt. Unde Ovidius ait:

Vtilius starent etiam nunc mœnia Phœbi.

Cecidit-

——— *Ceciditque superbum*
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja.

Pelei, &c. Jupiter, ut Ovid. ait 6. Metam. in ignem transformatus, ex Ægina Asopi filia (quam inde vocat Asopidam) genuit Æacum, Æacus Pelea, Peleus ex Thetide Achillem; unde ab avo Æacides appellatur, à patris nomine Pelides. *Virg. in 3. Æneid.*

Priami, &c. Dictum aiunt ἀπὸ τοῦ πρίαμαι, emo, quòd ab Hercule captus, auro fuerit redemtus.

Dardanus, &c. Jovis & Electræ filius. Ovidius 4. Fastorum:

Dardanon Electrâ quis nescit Atlantide natum,
Scilicet Electræ concubuisse Iovem?

Hinc Dardania dicitur Phrygia. Sicut à Dardani filio Troë, Troja; ab Ilo Trois filio, Ilios, vel Ilion.

Alii genus Hectoris paullo aliter derivant. Jupiter, inquiunt, ex Electra genuit Dardanum; Dardanus Assaracum & Ilum; Ilus Laomedontem; Laomedon Priamum; Priamus Hectorem. Vide Tortellium.

Græcos liberavit, &c. Æacus tam cæteris virtute præstitit, ut, cùm maxima siccitate in Græcia plurimi hominum corrumperentur, nullumque malo huic auxilium inveniretur, postquam magnitudo calamitatis excrevit, eum civitatum principes adierint, rogantes, ut tantum malum, tantamque pestem ab eis propulsaret: sperabant enim, propter ipsius generositatem atque eximiam pietatem quàm celerrimè à Diis præsentium malorum liberationem inventurum. Nec ea spes eas fefellit. Itaque voti compotes facti, in Ægina, ubi vo-

tum

tum ille precesque fecerat, commune omnibus Græcis sacrum ædificavêre. Atque ex eo tempore, donec inter homines fuit, summa cum gloria vitam duxit. Postquàm verò migravit è vita, cum apud Plutonem Proserpinamque maximos honores assecutus esset, ad judicandas animas eis assedisse fertur. Hæc ex Plutarchi Euagora.

Lapithis devictis, &c. Hi Thessaliæ populi, Ixionis & Nubis filii, frænorum & stratorum inventores. Virgilius 3. Georg.

Luc. l. 2. 6. *Fræna Pelithronii Lapithæ, gyrosque dedêre*
Impositi dorso, atque equitem docuêre sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.
Exsiluit, primus chalybem frænosque momordit
Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.

Plura de Lapithis & Centauris apud Ovid. 22. Metamorphoseωn.

Thetis. *Deæ conjugium, &c.* Hoc est, Thetidos. Fuit autem Thetis (Θέτις) Pelei uxor, Achillis mater, ut Tethys (Τηθύς) Cœli & Vestæ filia, Neptuni conjunx, mater Nympharum. Hoc primam producit, illud autem corripit. Virgilius 1. Georg.

Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Claudian. lib. 1. de raptu Proserpinæ.

Hinc latrat Getula Tethis, Lilybæaque pulsat
Littora. Virgil.
Læva tenent Thetis, & Melite, Panopeaque virgo.

Ob egregiam virtutem, &c. Cùm Peleus in

in pugna contra Centauros ſtrenuè dimicaſſet, multiſque aliis bellis atque periculis probatus eſſet, Thetida, Nerei filiam, immortalem, quamvis ipſe mortalis, uxorem meruit: atque ex omnibus, quæ antè fuere, ſolùm in iſtis nuptiis hymenæum Deos cantaſſe, ferunt: ut ait Plutarchus.

A Chirone educatus, &c. Centauri ἀπὸ τοῦ κεντεῖν, hoc eſt, à pungendo aut ſtimulando dicti, equorum ſtimulatores. Quorum unus erat Chiron, Saturni & Philyræ filius, optimus Citharœdus, Medicus, Aſtrologus. Ab eo Muſicam Achilles didicit. Ovidius 1. de arte: Chiron.

Phillyrides puerum citharâ perfecit Achillem
Æacidem: Chiron ego ſum præceptor amoris.

Ab eodem medicinam Æſculapius; Aſtrologiam Hercules didicit. Fuit autem juſtiſſimus omnium, qui, cùm tractaret ſagittas Herculis, unaque lapſa pedem vulneraſſet, poſt nonum diem in ſignum Sagittarium verſus dicitur. Ovidius 5. Faſtorum:

Nona dies aderat, cùm tu, juſtiſſime Chiron,
Bis ſeptem ſtellis corpore cinctus eras.

Propugnaculum, &c. Πρόβολος accipitur pro tutore, defenſore, propugnatore. Aliàs dicitur ſcopulus, vel eminens in mari ſaxum.

Faventibus Diis, &c. Troja tantiſper faventes Deos habuit, nec capi potuit, dum fata Trojanorum permanſerunt integra. In fatis autem fuerunt Troili vita, Palladii conſervatio, illæſum Laomedontis ſepulchrum, equi Rheſi.

Victus à Pallade interiit, &c. Hector ab Achille fuit interfectus. Vnde Virg. in 1. Aen.

Ter

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Sed Palladem habuit adjutricem, συναγωνιζομένην, in pugna sociam.

Ab Apolline, &c. Paris Achillem interfecit, in Apollinis Thymbræi templo, sed ab Apolline directis in Achilleum corpus sagittis. Virgilius in 6. Æneidos:

Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Æacidæ.

Ovidius 13. Metamorphoseωn:

At postquam cecidit Paridis Phœbique sagittis.

Plutarchus, in comparatione Lysandri & Syllæ, ait, Achillem interfectum à Paride inter Portas.

COMPARATIO DEMOSTHENIS *& Ciceronis.*

Exordium. Si non parvam laudem merentur, qui divinorum ingeniorum gloriâ, cæterarumque rerum conspicuarum claritate pares enituerunt: non vulgarem sibi vendicant Demosthenes & Cicero, quos viros summos per omnia pares natura produxit.

A patria. Patriam uterque sortitus illustrem: ille Græciam, uberrimum Atticæ eloquentiæ fontem; hic Italiam, Latinæ linguæ parentem facundissimam.

A parentibus. Obscuro natus uterque parente, clarissimus evasit. Ille patrem vix seculo suo notum habuit, ut inquit Valerius; de hujus item patre

patre nihil (ut Plutarchus inquit) certum est proditum.

Generis seriem, quam à majoribus humilem, & ingloriam acceperunt, ita virtutibus propriis illustrarunt, ut maximâ laudis claritate polleant in æternum. *A majoribus.*

Ingeniorum specimen sub prima juventa statim emicuit. Unde bonas inter disciplinas educati, & præclaris artibus dicendi protinus addicti, summos in oratores evaserunt, summamque è foro curiaque gloriam sibi quæsiverunt. *Ab educatione.*

Ab optimis præceptoribus instituti fuerunt: Demosthenes ab Isæo eloquentissimo doctore; Cicero à Philone Academico, & Milone Apollonio, viris in docendo disertissimis. *Ab institutione.*

Cicero Græcè & Latinè declamando se plurimum exercuit cum M. Pisone, & Q. Pompeïo. Et Demosthenes vadosis littoribus insistens, declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, ut ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis auribus in actionibus uteretur: ut ait Valer. Fertur & Ciceronem primum in pronunciatione non minùs, quàm Demosthenem laborâsse, unde omni cura, & Roscium Comicum, & Æsopum Tragœdum observasse traditur: ut ait Plutarchus. *Ab exercitatione.*

In utroque refulsit integritas, benevolentia, & humanitas: unde cum Demosthenes ab Atheniensi populo jussus esset accusare quendam, recusavit id facere: ut ergo adversus eum reclamatio populi, quemadmodum consuevit, facta est, surrexit Demosthenes, & inquit: Vos me, viri Athenienses, consulto- *Ab animi dotibus.*

N rem

rem habetis etiam inviti; calumniatorem verò, nec si velitis quidem. Et Cicero, cùm Præfectus annonæ esset, sortitusque Siciliam, in missione frumenti, quam apud urbem agere coactus erat, plerisque Siculis molestus gravisque videbatur: sed mox cum ejus integritatem humanitatemque experti forent, eum veluti neminem ex aliis ducibus suis honore summo dignati sunt.

A rebus gestis. Ad Rempublicam salutis publicæ conservandæ studio se contulere. Nactus autem Demosthenes uberem in Rempublicam materiam & honestam pro Græcorum libertate adversus Philippum, & in ea præclarè decertans, confestim nomen & gloriam assecutus est. Nec solùm ut disertus, verùm etiam ut fortis vir suspiciebatur, ut admiraretur ipsum Græcia, observaret Persarum Rex, plurimus apud Philippum sermo esset, confiterentur adversarii, sibi adversus præclarum virum esse certamen. Et Cicero maximis periculis Rempublicam liberavit. Unde Juvenalis Satyr. 8. eleganter inquit:

Quis, Catilina, tuis majoribus atque Cethegi
Inveniet quicquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, arisque parastis,
Vt Braccatorum pueri, Senonumque minores,
Ausi, quod liceat tunicâ punire molestâ.
Sed vigilat Consul, vexillaque vestra coërcet
Hic novus Arpinas ignobilis: & modo Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum

Thessaliæ

Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio: sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Auctoritas in Republica par fuit, præsidio uterque militarium hominum egebat: Demosthenes Charetis, Diophetis, Leosthenis: Cicero Pompeii, Augusti; id quod Augustus ipse ad Agrippam, & Mecœnatem scribit. *Ab auctoritate.*

Duos Rhetores alios haud invenio, qui ab obscuris, parvisque, facti sint tanti, qui Tyrannis se Regibus objecerint, filias amiserint, patriâ suâ exsularint, reversi sint cum honore, rursus fugitantes in adversariorum pervenerint manus. Quodsi natura fortunaque viri utriusque sic, quemadmodum artifices quidam inter se, contendant; difficile judicatu est, magnisne moribus, an rebus gestis similiores reddiderit. *A simili, quæ mortem præcessit, fortuna.*

Unà cùm patriæ libertate fuerunt exstincti. Demosthenes Antipatri imperio per Archiam Phygorothetam, satellitum principem: Cicero Antonii jussu per Herennium Centurionem. Et (quod mirum) certis præsagiis utrique mors denunciata fuit; illi somniis, huic auspiciis. Demosthenes enim nocte per quietem visus erat cum Archia Tragœdiis in theatro certare, & cùm illum superasset, tamen defectu apparatus ab illo vinci. Et Cicero cum in villa Cajatana esset, corvus in conspectu ejus horologii ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo usque morsu tenuit, donec servus ad occidendum eum milites venisse nunciaret. *A morte.*

Ut Demosthenis gloriosam, ita Ciceronis *Ab iis*

quæ mortem consecuta. mortem æterna gloria fuit insecuta: atqui Tyrannos, quorum nefario scelere succubuerunt, infamiæ crimen perpetuum est comitatum.

Epilogus. Plura dicenda essent; sed cùm cætera comparaturis facilia sint collatu, operæ pretium est visum, hæc paucis indicâsse: quæ restant autem stylo, manum injecturis reliquisse.

Ad consimile genus exercitationis conferre poteris Philippum cum Pyrrho, ex primo belli Macedonici libro apud Livium aliosque auctores.

Item Philippum cum Alexandro, apud Justinum lib. 9.

Item ex Plutarcho petas licebit exempla comparationum
- Publicolæ, & Solonis.
- Alcibiadis, & Coriolani.
- Periclis, & Fabii.
- Annibalis, & Scipionis.
- T. Flaminii, & Philopœmenis.
- Aristidis, & Catonis.
- Timoleonis, & Æmylii.
- Lysandri, & Syllæ.
- Agesilai, & Pompeii.
- Dionis, & Bruti, &c.

DE ETHOPOEIA.

CAPUT XI.

Ethopœia est imitatio & expreßio morum personæ subjectæ.

Imitationis autem tres sunt differentiæ:
- Εἰδωλοποιΐα,
- προσωποποιΐα,
- ἠθοποιΐα.

Est quidem Ethopœia, quæ notam habens personam, mores solùm effingit: ut, qualia faceret verba

ba Hercules, Eurystheo sibi imperante. Hic notus quidem est Hercules, dicentis verò effingimus mores.

Idolopœia est, quæ personam habet notam, sed defunctam, & loqui non potentem: quemadmodum ἐν Δήμοις Eupolis finxit, ut Aristides ἐν τῷ ὑπὲρ τῶν τεττάρων. Vnde etiam Idolopœia vocatur.

Prosopopœia est, quando finguntur omnia, & mores, & personæ: quemadmodum Menander fecit argumentum. Argumentum enim nec rem nec personam habet propositam; unde Prosopopœia est dicta: fingitur enim ipsa cum moribus persona.

Dividitur autem Ethopœia: namque alia

- *Passiva, quæ exprimit adfectum: ad quam pertinent, quæ prorsus animi significant motum: ut, qualia verba Hecuba faceret Trojâ subversâ.*
- *Moralis, quæ mores solos depingit; ut, quid diceret Mediterraneum primùm conspicatus mare.*
- *Mixta, quæ mores habet pariter, & affectum: ut, qualia loqueretur Achilles super occiso Patroclo, cum pugnare decrevisset. Mores enim consilium habent; adfectum verò amicus occisus.*

Ethopœiam verò tractabis dicendi genere dilucido, brevi, florido, disjuncto, omni luxu atque figura remota. Proque capitibus divides tribus ipsam temporibus: præsenti, præterito, & futuro.

EXEMPLUM ETHOPOEIÆ passivæ, continens quæ verba dicere posset Niobe, jacentibus liberis.

Exordiū à præsenti. *Me miseram! quam aliam præ alia deflebo calamitatem, orbata nunc liberis, quibus antè fueram insignis? Quæ copia infelici mihi ad quam redacta est inopiam? non sum jam misera unius filii mater, quæ antea tam multis conspicua incedebam. At, quanto satius foret sterilem fuisse potiùs, quàm in lacrymas, atque luctus fœcundam? Longè enim infeliciori loco sunt hæ, quæ orbitatem suam deflent, eis quæ nunquam pepererunt. Hoc enim quod experimentum amoris filiorum sumpserunt, destitutis postea acerbissimum est.*

A præterito. *Sed infelicem me! quæ parem ei, qui me genuit, sum experta fortunam. Orta enim ex Tantalo, qui convictu Deorum felix, tandem ab eâ est Deorum amicitiâ evolutus, hujus quoque, cladibus meis, approbo me esse genus. Conjuncta enim sum Latone: perque hanc ipsam nunc his opprimor malis, & ipsius familiaritatem filiorum orbitate deploro. Hicque mihi finis cum Dea convictus, ut in calamitatibus degam. Priùs namque quàm ipsi sum cognita Latonæ, felicior ipsâ fui mater: ut autem sum illi notior facta, desolata sum liberis; quorum, antea quàm me nosset ipsa, insigni fui multitudine beata. Iacet ille sexus utriusque lætus numerus mihi summum in luctum. Quò me vertam infelix? ad quæ deflectar? quod mihi ad tot defunctos liberos sufficiet sepulcrum? Miseram me! in tantis malis meis ipse quoque me deserit calamitatum*

mitatum mearum honor, & infelici justa intermittuntur.

Verùm enim verò quid ista queror, ac deploro; cùm à Diis, ut me in aliam naturam transmutent, impetrare liceat? Vnum hoc miseriarum mearum video remedium, ut in alicujus, quod sensus vitaque sit expers, formam commuter. Sed vereor misera, ne & sic quoque, quamvis mutata, inter lacrymas agere non cessem. *A futuro.*

SCHOLIA.

Ethopœia, à Prisciano vocatur allocutio, sermonis imitatio, ad mores & suppositas personas accommodata. Quintil. lib. 9. cap. 2. Imitatio, inquit, est morum alienorum: quæ ἠθοποιία, vel, ut alii malunt, μίμησις, dicitur: versatur & in dictis, & in factis. Expressio morum est,& adfectuum; unde nomen habet. *Ethopœia.*

Hercules Eurystheo, &c. Hercules Jovis & Alcmenæ filius. Unde Ovidius Metam. 9.

Dictus quasi aëris gloria. Macrob. 1. Satur. cap.20. Reverà Herculem solem esse, vel ex nomine claret. Heracles enim quid aliud est nisi Heras, id est, aëris, cleos? Quæ porrò aëris gloria est, nisi solis illuminatio? cujus recessu spiritus occulitur profunditate tenebrarum. Coactus fuit multa adire pericula, Junone impellente, & imperante Eurystheo. vide Boccatium libro 12. cap. 34. Fuit autem Εὐρυσθεὺς Stheneli Mycenarum Regis filius. Ovidius in Epistolis.

Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis,

Non potuit Iuno vincere; vicit amor.

Virgil. lib. 8. Æneid. *——— Duros ut mille labores*
Rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquæ
Pertulerit.

Εἰδωλοποιΐα, &c. Hanc simulacri fictionem appellat Priscianus. Fit, cùm mortuis verba dantur. Quod facit Cicero pro Cælio, verba dans Appio Cæco contra Clodium. Livius libro 6. belli Punici: Si ab inferis exsistat Rex Hiero, fidissimus imperii Romani cultor, quo ore aut Syracusas aut Romam ei ostendi posse, cùm, ubi semirutam ac spoliatam patriam respexerit, ingrediens Romam in vestibulo urbis propè in porta spolia patriæ suæ visurus sit? Item, Cicero in Confirmatione: Quodsi nunc L. ille Brutus reviviscat, & hic ante pedes vestros adsit, non hac utetur oratione? Ego Reges ejeci; vos Tyrannos introducitis. Ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam servare non vultis. Ego capitis mei periculo patriam liberavi; vos liberi sine periculo esse non curatis.

Item Hector occisus, apud Virgilium in secundo:

Heu fuge, nate Deâ, teque his, ait, eripe flammis:
Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troja.
Sat patriæ, Priamoque datum: si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troja penates:
Hos cape fatorum comites; his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto.

Item Polydorus in tertio:

Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto,

Parce

Parce pias scelerare manus, non me tibi Troja
Externum tulit, haud cruor hic de stipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.
Nam Polydorus ego, hic confixum ferrea texit
Telorum seges, & jaculis increvit acutis.

Idem apud Euripidem, in Hecuba, inquit: Sum profectus à profundis manibus, &c.

Ἐν Δήμοις *Eupolis, &c.* In Comœdia, cui nomen id fuit inditum. Eupolis autem erat veteris, cujus magna fuit licentia, comœdiæ scriptor.

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poëtæ, *Horat. 1. serm. 4.*
Atque alii quorum comœdia prisca virorum est.
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant, &c.

Submersus autem ille fertur ab Alcibiade, quòd quædam illius crimina carpsisset.

Aristides, &c. Hic in oratione quadam Rhetoricen defendit, & encomion canit introductorum quatuor, Themistoclis, Miltiadis, Cimonis & Periclis.

Prosopopœia, &c. Hanc Priscianus reddit conformationem. Quæ est, quando alicui rei contra naturam datur persona loquendi. De qua vide Ciceronem 4. ad Herennium. Idem patriam loquentem facit in Catilinam, inquiens: Nullum jam tot annis facinus exstitit, nisi per te; nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio di-

reptioque sociorum impunita fuit ac libera. Tu non solùm ad negligendas leges, & quæstiones, verùm etiam ad evertendas, perfringendasque valuisti. Superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli. Nunc verò, me totum esse in metu propter te unum: quicquid increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me consilium iniri posse, quod à tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin autem falsus, ut tandem aliquando timere desinam.

Et Ovidius 2. Metamorphos. introducit Tellurem, ita loquentem:

Si placet hoc, meruique, quid ô tua fulmina cessant,
Summe Deûm? liceat peritura viribus ignis,
Igne perire tuo, cladem que autore levare.
Vix equidem fauces hæc ipsa in verba resolvo:
(Presserat ora vapor) tostos en aspice crines,
Inque oculis fumum: volitant super ora favillæ.
Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem,
Officiique refers, quòd adunci vulnera aratri,
Rastrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quod pecori frondes, alimentaque mitia, fruges
Humano generi, vobis quoque thura ministro?
Sed tamen exitium fac me meruisse; quid unda?
Quid meruit frater? cur illi tradita sorte
Æquora decrescunt, & ab æthere longiùs absunt?
Quodsi nec fratris, nec te mea gratia tangit,
At cœli miserere tui: circumspice, utrinque

Fumat

Fumat uterque polus : quos si violaverit ignis,
Atria vestra ruent : Atlas en ipse laborat,
Vixque suis humeris candentem sustinet axem.
Si freta, si terra pereunt, si regia cœli,
In chaos antiquum confundimur. Eripe flammis,
Si quid adhuc superest, & rerum consule summæ.

Menander fecit argumentum, &c. Menander poëta Comicus fuit, Gellius lib. 17. cap. 4. scribit, ab eo relictas fuisse centum & octo, vel (secundum alios) centum & novem comœdias: sed omnes ad nostra tempora non pervenerunt. Cæterùm ut Menander habuit φάσμα, ita ἔλεγχον, in quo res erat: nulla autem vera, sed ficta persona. Cataneus reprehensionem vertit. Aphthon. ait: Ὁ γὰρ ἔλεγχος πρᾶγμα μὲν, οὐ μὴν ἔτι καὶ πρόσωπον. hoc est, Redargutio res quidem, non autem persona. Ut si quis illum introducat loquentem, carpentemque faciat hominum mores, aut vitia. Sic moriam Erasmus introduxit. Agricola reddidit; argumentum, quod (ut ait Cicero ad Herennium) est res ficta, quæ tamen fieri possit, ut argumenta Comœdiarum.

Passiva, &c. A Prisciano *passionalis* appellatur, in qua passio, id est, commiseratio perpetua inducitur, ut quibus verbis uti potuisset Andromache, occiso Hectore: fuit autem ea uxor Hectoris, animo virili prædita; unde à virili pugna nomen sortita.

Moralis, &c. In qua continentur mores; ut quibus verbis potuisset uti rusticus, cum primum aspexit navem.

Patroclo, &c. Hic cùm in patria cædem fecisset, in Thessaliam confugit ad Achil- *Patroclus.*

lis patrem. Menœtii Regis Locrensis filius fuit.

Ovidius primo de Ponto:

Cæde puer factâ Patroclus Opunta reliquit,
Thessalicamq; adiit hospes Achillis humum.

Amicus fuit Achillis, & sub hujus armis interfectus:

Ovid. in Epist.

Sive Menœtiadem falsis cecidisse sub armis,
Flebam successu posse carere dolos.

Achillis autem verba, quæ potuisset Patroclo interfecto facere, complecterentur passionem funeris amici, & moram de bello in Trojanorum vindictam suscipiendo cogitantis.

Adfectum amicus occisus, &c. Hujus enim Progymnasmatis usus est, ut exercitii studio personarum omnium affectus imitari, aptasque materiæ, sensuum, sententiarum, verborumque formas accommodare coneris. Alia enim oratio prudentis hominis & pacati: alia insipientis & irati; Alia timentis, gaudentis, lugentis, senis, juvenis, viri, fœminæ, matronæ, scorti. Vide Emporium Sophistam.

De hujus cùm difficultate, tum utilitate, vide Quintil. l.3.c.1.

Amicus, &c. In Aphthonio habetur: ἦθος γὰρ ἡ βουλὴ, πάθος δὲ φίλος πεσών.

Quintilian. lib. 6. cap. 3. πάθος, inquit, atque ἦθος ex eadem natura sunt, ita ut illud majus sit, hoc minus; ut amor πάθος, caritas ἦθος. πάθος concitat; ἦθος solet mitigare: ἤθη mores sunt, quibus plerumque rusticos, superstitiosos, avaros, timidos, secundùm conditionem propositorum effingimus, mores eorum imitamur, & ex his ducimus orationem. Diversum est huic, quod πάθος dicitur: quodque nos affectum propriè vocamus, & ut proximè utriusque differentiam signem,

ſignem, illud comœdiæ, hoc tragædiæ ſimile.

Sunt, qui Ethopœiæ ponunt triplicem expreſſionem:

- Morum, quam prolixiorem tradunt: ut ingeniorum, virtutum, vitiorum, thraſonis, aut tyranni.
- Naturalium propenſionum, inclinationum, φυσικῶν στοργῶν, hoc eſt, affectuum innatorum, ut amoris paterni in liberos, caritatis affinium, cognatorumque inter ſe.
- Affectuum leviorum; ut cùm animos erigimus in ſpem, aut lætitiam.

Dicendi genere dilucido, &c. Σαφεῖ, perſpicuo, de quo ſupra in Narratione. Macrob. 5. Saturnal. cap. 2. ponit dicendi genera 4.

Copioſum; in quo Cicero dominatur.

Breve; in quo Salluſtius regnat.

Siccum; quod Frontoni adſcribitur.

Floridum & pingue; in quo Plinius Secundus luxuriatur. Plura dicendi genera profert Eraſmus, 1. Copiæ, cap. 123.

Tribus temporibus, &c. In præſenti inſtantis fortunæ permutatio, & ærumnæ recenſentur. In præterito potiſſimum eæ conferuntur cum infortuniis parentum, vel majorum. In futuro rerum eventus, malorum fines adducuntur. vel conſilia, quorum ratione, tantis malis ſuccurri poſſit.

Niobe, &c. Hæc Tantali filia, Pelopis ſoror, Amphionis uxor. Fuit autem fecundiſſima. Hinc Juvenalis ait Satyr. 6.

Atque eadem ſcrofâ Niobe fecundior albâ.

Quæ secundùm Diodorum Siculum 5. Historiarum, septem filios, totidemque filias, secundùm Ovidium in Metamorph. septem filios, Ismenon, Sipylum, Phædimum, Tantalum, Alphenora, Demasichthona, Ilionea: Secundùm Boccatium, lib. 5. cap. 31. quatuordecim. Vide Gellium, lib. 20. cap. 6. Homerum, Iliad. ult.

Sed infelicem me, &c. Fabula Niobes significat, mulierum superbiam exitiosam esse. In summum enim illa malum incurrit; (ut Niobes mala proverbialiter maxima dicerentur & acerbissima.) quod passa fuit, quod se Latonæ præposuisset.

Etenim apud Ovidium:

Quis furor, auditos, inquit, præponere visis
Cœlestes? aut cur colitur Latona per aras?
Numen adhuc sine thure meum est?

Orta ex Tantalo, &c. Unde Tantalis ab Ovidio dicitur. Tantalus autem Jovis & Plotes filius, Rex Phrygiæ ditissimus. Unde Tantali talenta abierunt in proverbium. Primò fortunatus fuit: deinde, cùm Deorum secreta hominibus prodidisset, detrusus fuit ad inferos. Ovidius, 2. Amorum Eleg. 2.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

Porrò Tantali fabulam paucis explicat, inquiens:

Nec bibit inter aquas, nec poma natantia carpit
Tantalus infelix, quem sua fata premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia latè
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.

Hujus genus, &c. In similem (inquit) parentis calamitatem incidi. Quemadmodum ab

ab initio pater felix erat Tantalus; ita ego beata. Jam ego misera; sicut & ille. Quem in Cratylo scribit Plato dictum quasi ταλάντατον, hoc est, infelicissimum. Hujus supplicia adeò gravia, ut proverbio locum fecerint, *Tantali supplicia*, *&*, *Tantali lapis*.

Latonæ, *&c.* Hæc Cœi Titanis filia, Apollinis & Dianæ mater, à parente Titanis appellata: ut à matris nomine Apollo Latoides, & Diana Latois. Unde Niobe apud Ovidium, Metamorphosis 6.

Quoque modo audetis natam Titanida Cœo
Latonam præferre mihi? cui Tantalus autor,
Cui licuit soli superorum tangere mensas.

Atqui contra sententiam Ovidii Diodorus Siculus, lib. 6. dicit Phœbes & Saturni filiam.

Aliam naturam, *&c.* Niobem præ nimio dolore in saxum vel marmor conversam aiunt: illud innuentes, maximo dolore eam diriguisse. Ovidius in Metamorph.

Diriguitque malis, nullos movet aura capillos.
Quæque superba parens saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdonia flebilis astat humo.

A Statio in sylvis Sipyleia mater appellatur; quoniam facta saxea, turbine venti

In Sipylum rapta est, ubi fixa cacumine montis
Linquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.

Sensus vitæque expers, *&c.* Fabula Niobes hoc habet verum: Niobe fingitur ex homine conversa in lapidem; quoniam imaginem lapideam supra natorum suorum sepulcra posuerat. Quod Palæphatus se vidisse scribit.

ETHO-

ETHOPOEIARUM EXEMPLA.

Primum argumentum tale est.

Gerhardus Noviomagus.

Quænam verba Gerhardus Noviomagus ex lipothymia ad sese rediens olim potuisset dicere, cujus Witebergam profecturi caput Latrones securi diffiderant, ipsum apud Brunonis vicum humi stratum spoliaverant, & fugitivi mortuum credentes in sylva reliquerant.

Exordium à præsenti.

Vetus illud dictum, Nemini fidendum esse, nisi cum quo priùs modium salis absumseris; esse verissimum experior. Quos fidos itineris comites arbitrabar, ii crudelissimi sicarii jugulum mihi petierunt: multisque vulneribus inflictis, syntecticum reliquerunt: qui ab ineunte ætate bonis literis ac virtutibus invigilando persuasum habebam, studiosis hominibus tutam ubique profectionem patere. Credebam Horatio, qui scripserat, integros vitæ, scelerisque puros, non egere Mauri jaculis, nec arcu, sive per Syrtes, sive per inhospitalem Caucasum iter essent facturi. At ego licet non apud Scythas ἀνθρωποφάγους versari videbar, sed apud homines (quos à Germana caritate non alienos sperabam fore) Germanos: tamen longè prudentiùs fecissem, si nostri (quo friget omnis caritas) seculi tam impunitam peccandi licentiam ante oculos mihi posuissem, nec solus neque inermis profectionem hanc instituissem. Jam secura nimis imprudentia mihi nocuit, qui stratus humi, sanguine meo terram hanc intingo, herbasque coloro. Nunc maximo periculo meo cautior factus, tandem disco, nus-

quam

quam tutam esse fidem, ubique rapto vivi, non hospitem ab hospite tutum, nec generum à genero. Sed quid deploro? Quin libenter ego, quam delicta fortasse mea promeruerunt, calamitatem patior, æquioreque animo injurias fero. Sed utinam caput illæsum & integrum sit, ut bonarum disciplinarum capax à rationis amussi nunquam deliret. Utinam in hoc casu Cæneus ille Perrhæbus fuissem, & hoc mihi donatum, ut nullo ferro sauciari potuissem. Eheu quàm plagam profundam, quàm vulnus altum sentio; quod pacis semper amans ego præter meritum accepi, & ab illis, quos beneficio prosequebar, quos amicos atque fidos incognitarum mihi viarum duces amplexabar, pro quorum incolumitate, incolumis ipse, hoc corpusculum amittere non detrectabam, eorumque inopiam meâ qualicunque rerum copiâ sublevare (si modò postulassent) minimè gravatus fuissem. Id quod è bonarum literarum studio semper addidici facere, nec ego unquam pecuniæ servus, congestis undique saccis indormire solitus, neque tanquam sacris parcere, quæ tortum digna sequi potius quàm ducere finem. Sed ô perfidam pecuniam, & sacram auri famem, quid non mortalia pectora cogis? O mores! ô tempora!

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium, contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Vt jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Hos etiam de media luce surgere, testimonio

nio fuerit calamitas mea: quæ & evidenti eſt argumento; quàm fragilis, & quantis vita noſtra periculis ſit obnoxia. Omnis mea, qua valde glorioſus jam pridem effulgebam, dignitas, hic ad nihilum fere jacet redacta. Gloria mea quaſi flos agri propemodum demiſſus, flaceſcit. Quid ergo ſumus, aut quidnam victuri gignimur? ordo quis datus? aut metæ quàm mollis flexus? Deum immortalem, quot periculorum genera vitæ noſtræ indies inſidiantur? Quot accidunt caſus, venena, naufragia, cædes, peſtes? Alius acini granum glutiens præfocatus interiit. Fuit, quem potus cum lacte pilus ſtrangulavit. Fuit, cui ſtiria gelu durata, delapſa tecto ſubitum attulit exitium. O lubricas igitur res mortalium; & hominem verè bullam!

A præterito. O nimiam hominum teterrimorum crudelitatem! O meam inſignem imprudentiam, atque ſecuritatem! qui omnia proſpera atque tuta mihi perſuaſeram, in hæc tanta mala incidi: hic vulneribus confectus, atque pulveribus obſitus jaceo; cujus amici gloriâ magnâ, parentes honore ſummo claruerunt. Hic miſerabiliter jaceo, qui jam olim in Gymnaſio Lovanienſi clarum nomen atque decus, laborum meorum & virtutis beneficio, conſecutus fueram, celebris poëta, celebrior orator, celeberrimus Theologus ſalutatus. Hic flebiliter jaceo, quem Epiſcopus Trajectenſis Dominus Philippus, nobiliſſimo Burgundiorum ſanguine procreatus, maximis honoribus adfecit, tot muneribus opimis, tot ſacerdotiis pinguibus exòrnare nunquam intermiſit, qui tot heroës atque principes amicos bonarum literarum cultu, vitæque ſanctimoniâ

moniâ mihi divinxeram, ut cœlum citiùs ruere, quàm in hanc fatalem ærumnam me putaverim iri præcipitatum. Sed quorſum iſta mihi? O res humanas variabiles? ô vanitatem rerum, & inconſtantiam!

Sed quid iſtorum recordor, quæ magis refricant memorata, quàm dolorem minuunt? Unum reſtabit, ut ſupplex ad aſylum Dei Opt. Max. confugiam. Hic eſt unica ſalutis arx: ipſum orabo, huic ſupplicabo, huic peccata mea confitebor, atque precabor, ut me liberet ex hoc tanto malo Conſolator optimus. Cujus divina providentia ad noſtri emendationem atque ſalutem omnia fieri permittit. Ille Pharaonem, ille alios induravit, & ad affligendum ſibi dilectum populum ſæpius inſtigavit. Ille rurſus Tyrannum fluctibus obruit, & ab omnibus miſeriis inſontem gregem eripuit: in hoc fortem apparere, in hunc unum ſpem erigere, præſentiſſimum ærumnarum cunctarum remedium eſt. Quo poſthabito, rebus in humanis mentem occupatam habere, magis erit dolorem augere, quàm mitigare, aut omnino tollere. *A futuro.*

ALIUD EXEMPLUM, CONTI-
nens quæ verba Hercules Euryſtheo ſibi imperante potuiſſet facere.

Multi ſunt infortunati, ſed nemo magis, quàm ego ſum, infelix; qui miſer quartâ natus lunâ, calamitates varias & plurima mala patior. *A præſenti.*

Non ſufficiunt, quæ retroactis annis animo fortiſſimo tuli: quæ noverca Juno mihi *A præterito.*

præ-

præparavit. Hæc ſerpentes immiſit, quæ me puerum in cunis occiderent: mox Euryſteha ſtimulis novercalibus impulit, ut in varia periculorum genera me protrudens, è medio tolleret. Variis igitur tempeſtatibus ego jactatus fœdantem peregrino templa cruore Buſyrin domui. Et cùm eſſem

Solus Amazonio cinctus Stymphalidis arcu,
Non cadere Antæo, non creſcere profuit hydra.
Non cervam volucres eripuere pedes, &c.

A futuro. Sed quis finis, quis modus, Euryſtheu, furoris atque tyrannidis tuæ futurus? Quin parcis ætate confecto? Manliana atque Phalaridis imperia longè tuis humaniora. Tu quam, Lycha, veſtem à Deianira miſſam huc pertuliſti, nimirum Junoni gratam, mihi perniciosam futuram, imbutum veneno Lernæo munus eſt: unde novam peſtem profluxuram video, cui nec virtute poterit reſiſti, nec telis, neque armis, ſed pulmonibus errabit ignis edax nimis, & per omnes paſcetur artus. Vide Ovidium, 9. Metamor. Et Claudianum in præfatione libri ſecundi de raptu Proſerpinæ. Virgilium Æneid. 8.

TERTIUM EXEMPLUM,
continens qualia verba Dives ad inopiam redactus poſſet facere.

Exordiũ ex Plauto ſumtum. Multa mihi in unum locum confluunt incommoda, quæ meum pectus pulſant, ſimul multiplex ærumnam exercitam habet paupertas. Ubi ſpes meas collocem, non habeo. *A præſenti.* Nunc tandem experior infelix, Omnes modis omnibus, qui pauperes ſunt, miſeros vivere. Quid enim? mehercule, miſer eſt homo qui ipſe

ipse sibi, quod edat, cogitur quærere, & id ipsum ægrè invenit: longè miserior, qui & ipse quærit, & nihil invenit: omnium miserrimus, qui, cùm ipse cupiat, quod edat, non habet. Hujus farinæ sum ego miser, qui Crœso jam dudum felicior habitus, jam autem Codro pauperior, atque leberide nudior, non possideo, ubi pedem ponam. Etenim omnia vel hostis abstulit, vel incendium absumsit.

Florentissimo jampridem mihi divina quasi virgula suppetebant omnia. Et divitiarùm copia fretus, omnia vel facere, vel dicere audebam, ut re ipsa fontes argenti locutos animadvertisses. Mala etiam laudi dabantur, cùm felicibus sint & trimestres liberi, stultitiamque patiantur opes. Proinde mihi Suffenus eram, qui oppidò fortunatus, plurimos habebam, qui mihi adhærescebant fautores. *A præterito.*

Donec eram felix, multos speculabar amicos:
Tempora cùm modo sint nubila, solus ero.
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Etenim pauperem modò me factum nemo consolatur, nemo fert suppetias. Qui jam pridem aderant non vocati, jam rogati fugiunt; & qui fideles amici visi, eos calamitas mea falsos coarguit. Erant enim (ut proverbio dicitur) αὐτοκλήκυθοι. Verùm nimis est, quod ait Ovidius 2. de Ponto.

Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Quantum quisq; suâ nummorum servat in arca, *Iuven.*
Tantum habet & fidei. *Satyr. 3.*

O me miserum! Cùm non sit omnis hominis, sed tantum sapientis, paupertatem ferre, juxta illud

illud Menandri: Πενίαν φέρειν ἐ παντός, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφοῦ· ego per inopiam mentis inops factus, tanta mala diutius tolerare non potero. Inter duo igitur mala pendens, quod levius videbitur, eligam. Longè melius arbitratus fore, ut mihi mortem consciscam, quàm in paupertate vivam, aut ad turpe compendium me compellat inopia. Quare, quod Theognis Cyrno consilium dedit, amplectar:

In mare fluctivagum, ne me premat aspera egestas,
Præcipitabo, altis desiliamque jugis.

Quid? Mors ultima linea rerum. Quæ nihil sentit. Quod autem nihil sentit, nihil ad me, &c. Vide Gellium, lib. 2. cap. 8.

QUARTUM EXEMPLUM
continens qualia verba dixerit Hecuba post excidium Trojanum.

Fuit autem Hecuba Cyssei Regis Thraciæ filia: unde Cysseis vocatur. Virg. in 7.
Cyssejs prægnans tædas exosa jugales.

A præsenti. Fortunam Euripum, sive æstuariam, non injuriâ vocatam, re ipsa jam infelix experior; quæ statu beatissimo gloriabar Regis filia, Regis uxor, pulcherrimorum atque fortissimorum heroum mater, jam in tantas, quantæ ne quidem excogitari, nedum exprimi poterunt, calamitates incidi. Fortuna me sublimius evexit, ut illusura graviore casu præcipitem daret. Utinam in humili aut obscuro loco nata, aut crudelissimi Scironis filia fuissem, sic æquiore animo, quæ patior, ferrem: Promeritam enim genitoris pœnam in me quoque derivatam arbitrarer.

Sed

Sed in fatis esse video, ut ejus generis, in quod ascita sum, discrimina subeam, ejusque malorum particeps fiam. Socer Deos iratos habuit, Glos monstris marinis exposita, Maritus occisus à Pyrrho, Filius fortissimus ab Achille. O me miseram! quid Polydorum, quid Parin, quid Troilum, quid Helenum, quid dulcissimam filiam Polyxenam ad Achillis sepulcrum jugulatam commemorem? O me infelicem! Utinam nunquam viro nupsissem, nec in magnam calamitatem tot liberos peperissem. *A praeterito.*

Sed quid lamentor? Multo consultius fuerit Deos precari, ut in aliquod sensu carens, aut in rationis expers animalculum me transforment. Quamvis ærumnarum miserti Dii me exaudierint, & in canem mutare decreverint: tamen ego quod humana voce non potero, id latratibus assiduis deplorare non sum cessatura. *A futuro.*

QUINTUM EXEMPLUM,
continens quæ verba taurorum cornibus alliganda protulerit Antiope.

Quæ fuit Nyctei in Lesbo Regis filia; unde Nycteis appellatur, uxor Lyci Thebanorum Regis: peperit ex Jove Zethum & Amphionem. Varias ærumnas experta, à Circe in montem abducta, ut taurorum cornibus ardentes tædas habentibus suspensa interficeretur. *Antiope.*

Persius Satyra prima:

Antiope ærumnis cor luctificabile fulta.

Quænam in terris femina poterit vivere, quæ tantis malis jactetur, quantis in præsentiarum *A præsenti.*

tiarum ego? cujus luctus miserabili proverbio locum facit. Omnium beatissimam me fore putabam, quæ Regina duos Jovis Optimi Maximi filios peperissem: alterum à Diana dilectum, venationibus illustrem; alterum artis Appollineæ peritissimum, qui non solùm Deos atque homines, sed etiam feras & saxa testudinis cantu permovere potest. Quæ duo carissima pignora jam non amplius videre, nec amplecti datur, sed (heu mihi!) genere mortis teterrimo jam dilaceranda, cogor relinquere.

Utinam ego nunquam fuissem in hanc lucem edita! Quid mihi profuit, Regis filiam, quid Regis uxorem, quid ab ipso Jove gravidam fuisse? Quorum omnium quo major gloria præfulsit, tanto casus gravior, & acerbior mihi modò calamitas insurgit. O fors fortuna, ut nunquam perpetuò es bona! O quàm potens, quàm variabilis; tantum juris atrox quæ tibi vendicas!

Cæterùm, quid prodest fletibus indulgere? Quin potiùs ad Deorum auxilia confugio, suppliciter oratura ut oppressæ subveniant, finemque malorum faciant. Sed qui propiores estis vicini, succurrite! O populares, auxiliamini; & ærumnas meas commiserescentes, ab hisce crudelissimæ Circes vinculis semimortuam eripite.

SEXTUM EXEMPLUM,
continens quæ verba Andromache captiva, patrio solo everso, & marito occiso, potuisset dicere.

Erat autem Andromache uxor Hectoris, & Eëtionis filia, Regis Thebarum in Cilicia. Unde Ovidius in tertio de arte ait:

——— nunquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

Homerus Iliad. 6.

Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος.

Filia magnanimi fuit Andromache Eëtionis.

O me miseram! quæ divitiis & honore sidera jam pridem adibam, nunc maximas in ærumnas præcipitata sum. Omne mihi gaudium, omnis voluptas, omnis denique vitæ jucunditas est erepta. Solus me dolor assiduus excruciat, continuus mœror exhaurit; perpetuæ lacrymæ consumunt; enecor deflendo fortissimum meique amantissimum Hectorem maritum; exstinguor lugendo filium dulcissimum, quem pater ipse Scamandrium, alii maluerunt Astyanacta, quod urbem tutaretur, vocare. Quibus occisis, omnem spem amisi, ut orbatæ jam nihil supersit, nisi suspendio arbor deligenda. *A præsenti.*

Fatalis quædam necessitas incumbit mihi, & adamantina ærumnarum catena traxit, ut in ipsissimam malorum lernam inciderim. Quippe ut modò Trojam Græci; sic olim Achilles patriam Thebas evertit: patrem Eëtiona sustulit, septemque uno die fratres interemit, & pretio matrem redemtam ante *A præterito.*

O pater-

paternas ædes interfecit: ubi pater olim ac fratres beati regnarunt, ibi nunc ingens solitudo, fruticeta, pecorumque sunt pascua: & Troja jam in cineres conversa, cum marito filius occisus, ut nihil solatii restet vel apud amicos, vel affines. Quo igitur infelix me conferam? quo locorum abducar captiva? O utinam, quo die me parens enixa fuit, aliquis turbo rapuisset; aut tellus ima dehiscens ad umbras me pallentes adegisset!

A futuro. Sed cur me luctu macero? cur non potiùs ad victoris pedes provolvor? enixè rogatura, ne in miseram nimium sæviat, tot alioqui malis oppressam. Ah! quàm vereor, ne victoriâ forsitan insolescens ille, mihi graviter sit insulturus, ut mors potius quàm vita, sit exoptanda.

Idem argumentum Sophista Libanius tractavit, ab Erasmo Roterodamo Latinum factum: cujus verba non piguit adscribere.

SEPTIMUM EXEMPUM,
continens quæ dixerit Andromache, interfecto Hectore.

DECLAMATIO.

Andromache. Evenit, quod timebam, & verba mea despiciens Hector, ad optima hortatam esse cognovit. Admonueram, ut sibi parceret: ille verò contrà, suam salutem vilem habuit: ergo exstinctus est, non meis (proh Dii!) in manibus, verùm ab Achille. Quòd ille occubuit, hoc est, interiisse Priamum, Hecubam, fratres, hunc ipsum puellum, me, civitatem omnem. Ille tuebatur Ilium. A quo igitur posthac servabitur? Intereunt, occiderunt omnia, facta

facta sum Mulierum infelicissima. Quanta me felicitate, cujus gustum modò dederat fortuna, spoliavit! Erant mihi in regiis pater ac mater, tum fratrum chorus, nitidaque ac lauta omnia. Accedebat ad hæc aliud, maximum omnium, conjux Hector, bellator insignis. Spectabar, beata dicebar. Etsi quis audiens me Andromachen appellabat, cognominis vice adjiciebat, imperatoris, victoris fortunatam. Oportebat igitur in eadem fortuna pariter consenescere. At non passus est sævus iste Achilles, quem quidem in meum exitium produxit Thetis; patrem mihi ademit, trucidavit fratres, servitutem matri injecit: deinde restituta est, ac ne ea quidem superest. Et hæc gravia quidem; verùm tu tolerabiles reddebas ærumnas, Hector, atque unus præstabas omnia; & quibus eram orbata, ea rebar adesse per te. Sed occisus es, accepisti vulnus: nos rapimur, instant tristia, impendet periculum, imminet incendium. Videre mihi videor Trojanos cædi; uxores per vim indignè tractari; liberos trahi; videre ferrum, videre flammam. Aperta est hostibus Troja, te haud ampliùs pro portis propugnante. Ah puer! forte prehensum te quispiam hostium ad turrim adiget. Strenuus erat pater; à te pœnas repetent Græci. Me forsitan occidet alia vis. Atque in hoc quidem fortunatæ erimus. At non continget! servitus me manet & famulatus, plagæ, & in extremum usque ævi lacrymæ. Haud etiam scio, an visura sim terram, unde nobis hostis iste advenit. Mox etiam quod acerbissimum est, concubitum cogar pati ejus, qui interemit Hectorem.

OCTAVUM EXEMPLUM: DE Medea ſuos mactatura filios.

Declamatio Libanii Sophiſtæ; Eraſmo interprete.

Medea. Fuit & mihi mea ars auxilio, ut acceptâ contumeliâ non tantùm angerer, ſed & pœnas ſumerem. Non ampliùs rex Iaſon, non ampliùs Corinthiorum potitur. Omnes opes ſubvertit corona; omnia velum id perdidit; omnia conflagrarunt incendio. Et accedit ad calamitatis cumulum dementiæ genus, quod illi de me nihil etiam ſubolet. Quid igitur? ſufficere hæc putabimus, ac præterea nihil requiremus? Minimè gentium, imò ſupereſt alia vindicandi ratio, ſuperiore atrocior, nihil egens veneficiis, aut arte clanculariâ, verùm animo præſenti, virilique, & dextera, quæ facinus nullum refugiat. Sunt liberi mortalium omnium impiiſſimo, & vocatur pater. Hoc è filiis ſolatium, unà cum ipſa appellatione, illi adimamus. Haudquaquam me ſinit, quæ juſta ſunt, expendere meorum malorum tum multitudo, tum magnitudo. Sed rationem ineunti mihi, pro quibus factis quem fructum receperim, omnia ad pœnam minora videntur. Æeta mihi pater erat; iſque Scytharum rex: tum virginitas & fama egregia, ac multi inter finitimos proci: denique ſpes præſentibus bonis potiores. Appulit ſceleſtus iſte, neque Deos metuens, neque homines reverens: atque erat omnibus malis circumvallatus, & neceſſe habebat invincibilia vincere, tauros ignem efflantes, armatam

tam aciem è terra prosilientem, draconem pervigilem. Ac dignus quidem erat, qui in his omnibus vinceretur, ut isto cadente, victoria penes patrem meum esset potiùs, quàm Æetæ regnum ludibrio haberet unius navigii dominus. At ego, quidquid est proditorum scelere præcurrens, quicquid amentium stultitia superans, familiares pro hostibus, hostes familiarium loco habui; & contra patriam ab alienigenis stabam. Porrò artem opposui naturæ ferarum; exstinctus est ignis; tauri jugum duxerunt, cessit aratro solum longè durissimum; sopitus apparuit draco, id quod antea nunquam. Manu tenebam adhuc tremendum Iasonem. Ego porrò super hæc omnia navem conscendi, multis magnisque persuasa pollicitationibus, sacramentis, meis ipsius beneficiis. Accepit & benevolentiæ meæ argumentum & Iolcus, ubi rex Pelias inimicus senex, ab iis, quas genuerat, discerptus est, juventutis spe ultrò se fraudi tradens. Et hujusmodi quidem mea in Iasonem partim domi, partim in Græcia beneficia exstiterunt: Gratia verò cujusmodi? Corinthum vidit & Creontis imperium, ac de Glauce audivit. Cæterùm nullâ habitâ ratione eorum, quæ feceram, uxorem duxit, cùm ex me liberos haberet, me viva vidit nuptias, atque illa omnia exciderunt animo, præque imperii cupiditate mea merita neglecta sunt. Atqui ne ista quidem sufficiebant: insuper expulsa sum: contumeliâ affecta sum, minis onerata sum. Hæc quidem justam indignandi causam præbuerunt, artem verò effugii tantùm gratia tenebam, & hactenus suffecit. Incedamus jam, & per aliqua, quaqua licet, eamus. Feri,

Medea, filios; macta filios Iasonis, viri scelerati, impii patris, hospitis mali. Ne quid te rerum omnium revocet, non natura, non nutricatio, non gestatio, non partûs recordatio, non vox, non forma; plectatur Iason in filiis: hi verò hostium nomine plagam recipiant: non eripiant eos cognati Glaucæ, neque iram in illos evomant: Atrox quidem facinus, sed ad prius illud consequens. Contra naturam impiè agemus? At istud olim ausæ sumus. Fratris cædes ad liberorum cædem deducit. Ejusdem est & hoc animi, ejusdem dextræ. Obsecro, filii, sub ensem venite: hic in vos per me adigendus est. Enimvero si probus ille fuisset, nihil horum pateremini. Et quàm elegans forma, quàm bona figura corporum, sed patris imaginem referunt. id facit ut occidam lubentiùs. Hi quidem igitur mox jacebunt. Ego verò è sublimi medioque aëre scelestum adspiciam. Atque ille gemens, & nihil non faciens, vociferabitur quidem; me verò nequaquam attinget. Ejusmodi draconum jugo freta vehar; supra Athenarum verò urbem ingrediens, inde cruciatum spectabo.

POSTRE-

POSTREMUM EXEMPLUM,

continens quænam dixit Cornelia, cum audisset victum à Cæsare Pompeium. Vide Plutarchum in vita Pompeii. Item, quæ Cleopatra ad Antonii sepulcrum. Vide Plutarchum in vita Antonii.

DE DESCRIPTIONE, QUÆ Græcè ἔκφρασις dicta.

CAP. XII.

Descriptio est oratio expositiva, quæ narratione id, quod propositum est, diligenter velut oculis subjecit.

Describuntur autem
- *Personæ,*
- *Res,*
- *Tempora,*
- *Loci,*
- *Bruta animalia,*
- *Plantæ.*

Personæ: ut Homerus in Odyssea ad Eurybaten. Latus erat humeris, ore ater, crineque crispus.

Res: ut navales pedestresque pugnæ; quemadmodum Historicus fecit.

Tempora: ut ver, aut æstas; disserendo, quod multi proferantur in hisce flores.

Loci: ut idem Thucydides portum Thesprotarum χειμέριον, id est, hyemalem, quamque teneat formam, dixit.

Describentes verò personas, à summis ad ima usque ire oportebit, id est, à capite ad pedes.

Res vero ab antecedentibus, & eis quæ insunt ipsis, quæque ex ipsis solent provenire.

Descriptionis summa est virtus, inquit Qu. l.8.c.3. Facillimè enim id accipiunt animi, quod agnoscũt. Historici simplici appellatione Thucydidem intelligit.

Tempora verò & loca ex eis, quæ ipsis continentur.

Descriptionum autem aliæ sunt	*Simplices: ut quæ pedestrès vel navales explicant pugnas.* *Compositæ: ut quæ res pariter temporaque conjungunt; veluti Thucydides, qui nocturnam in Sicilia pugnam describit. Simul enim & pugnam, quomodo facta sit, & nocte quomodo gerebatur, comprehendit.*

Oportet autem describentem dicendi figurâ uti tenui, & multiplicibus orationem variare schematibus, prorsusque res imitari, quas describit.

DESCRIPTIO ARCIS Alexandriæ.

Arces in urbibus ad publicum præsidium atque munimenta sunt constitutæ, veluti vertices urbium hostiumque arctrices, firmanturq; non magis ipsæ urbibus, quàm ipsæ, urbes tuentur. Atheniensium autem arcem media Athenarum complectitur regio. Cæterùm Alexander suæ urbi, quæ ab illo cognomentum accepit, arcem construxit: quam justiùs Acropolin appellare licet, quòd in urbis extremo, & excelso posita sit, quàm illam, quâ multùm Athenienses gloriantur. Hæc autem sicuti se habet, ita oratione quoque prosequemur. Clivus quidam medio è solo extollitur, ingenti in sublimi spatio se proferens; hunc, arcem vocant, propter utraque hæc, & quod hostes arceat,

& quod ſit in urbis arce, id eſt, ſummo, locata. Viæ ad ipſam ducunt duæ, ſed diſſimiles: hac enim via eſt, illac verò patet ingreſſus, mutatisque proinde nominibus, id ipſum quod ſunt, vocantur. Nam pedibus hac ire licet, capaxque curruum eſt via. Illi verò, quæ curribus invia eſt, additæ ſunt ſcalæ, gradusque ſupra gradum ex inferiori in ſublime deducens; neque prius, quàm centenarium expleverint numerum, deſinentes: hic enim abſolutus numerus ſcalarum terminus eſt. Veſtibulum dehinc gradus excipit, cancellis mediocribus circumſeptum, quatuorque ſublimes, & maximæ columnæ, quæ vias omnes ad unum deducunt ingreſſum. Columnis autem domus quædam eſt impoſita, multas mediocres oſtentans columnas, quæ vario colore conſpicuæ eximium præbent loco ornatum. Tectum autem, diætæ in rotunditatem circumactum, ingentem multiplicemque imaginem complectitur rerum. Introëunti autem arcem locus offertur, quatuor eiſdem æquis lateribus diviſus, proinde tota quoque ædificii figura efficitur quadrata. Aula in medio eſt, columnis undique ſuffulta: eam porticus excipiunt, & eæ quoque æqualibus diſtinctæ columnis, ita in medio diſpoſitis, ut neutram in partem ſint nihil quicquam deflexæ. Vnaquæque autem porticus ad transverſam alteram finitur; & duplex eſt columna ad utramque porticum diviſa, ut illac quidem deſinat, hac verò rurſum incipiat. Addita autem porticibus introrſum armaria, quibus libri reconduntur; eaque ſemper, ſi cui vacet, aut libeat legere aliquid, patent, totamque velut urbem ad philoſophiæ cultum adhortantur. Alia item loca ſunt, ad venerationem Deorum vetuſtorum inſtituta. Tectum porticuum auro

Alexandrina biblitoheca omnibus ſemper patens.

distinctum, vertices columnarum ære fabricati, auroque supernè inclusi. Neque verò aula simplex ornatus est, verùm alius atque alius: quorum hic quidem Persei continet certamina; ille autem aliud. Media autem arce columna immensa altitudine se profert, quæ locum ipsum facit illustrem: haud enim in promtu quis, quo progrediatur, habet, nisi indicem viarum hanc subinde respectet columnam. Quin & arcem ipsam terra marique conspicuam præstat: in vertice principia rerum primaque elementa sunt expressa. Prius autem quam medio transeatur, ædificium est quoddam, pluribus ostiis patens: quorum cuique à Deorum vetustorum aliquo est inditum nomen. Duæ dehinc pyramides lapideæ positæ, & fons profluens, Pisistratidarum fonte haud paullo melior. Mirandum etiam id quoque spectaculum, eo quod eorum, qui fabricati sunt arcem, velut uno tanto operi non sufficiente, numerum nominaque comprehendit, duodecimque pariter in ipso arcis fastigio conspiciuntur artifices. Descendenti autem ab arce, planus offertur locus stadio adsimilis, idque ipsum loci est nomen. Alia item parte alius quoque ad similia accommodus, verùm illi & planitie, & magnitudine impar. Ceterùm præstantior hujus artis forma, & ornatus, pulchritudoque major est, quàm ut paucis narrari possit. Quodsi quid prætermisimus, admiratione rerum in se rapientium animum est effectum. Sed & quæ pro magnitudine explicari non poterant, ea relinquere satius est visum.

S C H O L I A.

Descriptio est

Descriptio est oratio, colligens & repræsentans oculis, quod demonstrat; ut ait Priscianus.

ſcianus. Idem refert, quoſdam non poſuiſſe deſcriptionem in præexercitamentis, quod præoccupata ſit & in fabula, & in narratione; in quibus etiam deſcribuntur perſonæ, loca, tempora,res.Sed quoniam eloquentiſſimi viri eandem, ut ad ingenia exercenda commodiſſimam, tradiderunt inter progymnaſmata, ſeorſimque tractandam prodiderunt; non incongruum eſt eos imitari. Eraſmus ſecundo Copiæ vocat ἐνάργειαν, cùm vel amplificandi, vel ornandi, vel delectandi gratiâ rem non ſimpliciter exponimus; ſed, ceu coloribus expreſſam, in tabula ſpectandam proponimus, ut nos depinxiſſe, non narraſſe, lector ſpectaſſe, non legiſſe videatur. Id fiet, ſi prius ipſi totam rei naturam, omneſque circumſtantias, ac veluti faciem animo luſtremus: deinde ita verbis, ac figuris idoneis effingamus, ut quàm maximè reddatur evidens, perſpicuaque lectori.

oratio, qua tota rerũ, de quibus agitur, imago quodammodo verbis depingitur. ex Quintil. l. 8. c. 3.

Ea conſtat deſcriptione
- *Perſonarum,*
- *Locorum,*
- *Temporum,*
- *Rerum.*

Oratio expoſitiva, &c. Sic reddidit Catanæus. Aphthonius eam vocat λόγον περιηγηματικὸν, à περιηγέομαι, quod *narro* eſt, vel *expono*; unde & περιήγησις.

Perſonæ deſcribuntur, &c. Perſonæ deſcriptionem, προσωπογραφίαν appellant. Fit cùm depingimus perſonam amantis, luxurioſi, avari, voracis, temulenti, ſomniculoſi, invidi, ſycophantæ, paraſiti, lenonis, garruli, aut glorioſi oſtentatoris. Ut ſi velis non divitem, ſed pecuniarum oſtentatorem deſcribere; Iſte, inquies, qui, ſe dici divitem, putat

esse præclarum, primùm nunc videte, quo vultu nos intueatur. Nonne vobis videtur dicere: Darem, si molesti non essetis. Cùm verò sinistra mentum sublevat, existimat se gemmæ nitore aut auri splendore aspectus omnium perstringere. Cùm puerum respicit, alio nomine appellat; deinde alio atque alio, Heus tu, inquit, veni Sannio, ne quid isti barbari perturbent, ut ignoti qui audiunt, unum putent eligi è multis,&c. Vide Ciceronis notationem ad Herennium quarto. A nonnullis aliis dicitur εἰκών, imago, effigies.

Virgil. Aen.

Virginis os habitumque gerens; & virginis arma
Spartanæ, vel qualis eques Threissa fatigat
Harpalyce, volucremque fugâ prævertitur Hebrum.
Namque humeris, de more, habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluenteis.

Latus erat humeris, &c. Verba sunt Ulyssis ad Penelopen, Odys. 19. Ille se Cretensem esse simulabat. Interrogatus igitur à Penelope de Ulysse, habitum ejus describit, & amicos; in quorum numero Eurybaten præconem fuisse recenset.

Qui Γυρὸς ἐν ὤμοισι, μελανόχροος οὐλοκάρηνος. Rotundus humeris, nigricolor, & crispus crine. Aphthonius habet, Γυρὸς ἦν ὤμοισι μελάγχροος, &c.

Describuntur res, &c. Cùm videlicet id quod fit, aut factum est, non summatim ac tenuiter exponimus, sed omnibus fucatum coloribus, ob oculos ponimus, ut auditorem, sive

ſive lectorem jam extra ſe poſitum, velut in theatrum avocet. Quam ab effingenda rerum imagine ὑποτύπωσιν Græci vocant, quoetiamſi vocabulum hoc commune eſt, quoties aliquid oculis ſubjicitur. Veluti ſi quis expugnatam civitatem dicat, cuncta nimirum in ſumma complectitur, quæcunque talis fortuna recipit: utar enim Quintiliani verbis: Ut ſi aperias hæc, quæ verbo uno incluſa erant, apparebunt effuſæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor: & ex diverſis clamoribus unus quidem ſonus; aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu ſuorum cohærentes, & infantium, fœminarumque ploratus, maleque uſque in illum diem ſervati fato ſenes. Tum illa profanorum, ſacrorumque direptio, efferentium prædas, repetentiumque diſcurſus, & acti ante ſuum quiſque prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater, & ſicubi majus lucrum eſt, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia complectatur everſio; minus eſt tamen totum dicere, quàm omnia. Vide Eraſmum 2. Copiæ.

Navales, &c. Ut apud Actium Epiri oppidum, & promontorium; ubi Cæſar Auguſtus navali prælio vicit Antonium: & navalis pugna D. Quintii Romani, & Democratis Tarentini: apud Livium, lib. 6. ſecundi belli Punici.

Pedeſtres pugnæ, &c. Ut pugna Annibalis & L. Sempronii, apud Livium, 1. belli Punici. Apud eundem libro ſecundo, Varronis & Annibalis ad Cannas. Ibidem Annibalis & C. Flaminii ad Thraſymenum lacum. Item equeſtris pugna Jubellii Taureæ, & Claudii

Asellii, apud Livium, lib. 3. ejusdem belli. Vide Erasmum in proverbio: Cantherius in fossa.

Historicus, &c. ὁ συγγραφεύς. Per excellentiam intelligit Thucydidem.

Ver, æstas, &c. Verni temporis descriptionem habet Horatius, Odarum 5. Od. 7. *Diffugêre nives, &c.* Porro Temporis descriptionem χρονογραφίαν appellant. Unde non rarò sumitur narrationis initium. Nonnunquam delectandi duntaxat gratiâ adhibetur: veluti quoties Poëtæ diem, noctem, auroram, aut crepusculum exprimunt. Sæpius amplificandi causa assumitur. Virgilius, 4. Æneidos:

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, sylvæque, & sæva quierant
Æquora, cùm medio volvuntur sidera lapsu,
Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus latè liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas & corda oblita laborum.

Loci, &c. Hujus generis est, quoties tota loci facies veluti spectanda depingitur; ut urbis, montis, regionis, fluminis, portus, villæ, hortorum, amphitheatri, fontis, specus, templi, luci, &c. Quæ si veræ sint, τοπογραφίας appellari volunt: sin fictæ, τοποθεσίας, ut ait Erasmus, 1. Copiæ.

Thesprotarum, &c. Thucydides, libro primo belli Peloponnesiaci, Centum, inquit, quinquaginta naves velificantes Leucade tendunt in Chimerion, quod est oræ Thesprotidis. Est autem portus, & super eum urbs à mari distans, in palustribus Thesprotidos sita, nomine-

ne Ephyre. juxta hanc exit in mare palus, Acherusia cognomen nacta; à flumine Acheronte: quem excipit sinus Thesprotius, ex Masside profluentem. Oraculis autem fuit Alexander admonitus, ut caveret Acherusiam: hinc in Italiam concesserat. Meminit hujus rei Livius, lib. 8. ab urbe condita.

Intellige de Alexandro Rege Epiri.

A summis ad ima, &c. Ut si dicas, Totus animo & corpore monstrum est; nam quamcunque vel animi vel corporis partem contempleris, monstrum reperies: ingenium excute, prodigium invenies: mores expende, vitam scrutare, omnia monstrosa comperies: oculos, os, vultum, totam denique corporis figuram inspice, quid aliud quàm monstrum præ se ferunt? linguam & vocem belluinam illam observa, portentum dices: pectus, ventrem, pedes considera, quid aliud quàm bestiam pronunciabis? Hîc si quis velit in singulis veluti depingendis immorari, satis apparet, quantum ubertatis sit accessurum orationi, ut ait Erasmus, 2. Copiæ.

Res ab antecedentibus, &c. Ut si Carthaginem expugnatam velis describere, proferas omnia, quæ præcesserunt; deinde omnia, quæ in expugnatione contigerunt; postremò quæ subsecuta fuerunt. Hanc descriptionis speciem nonnulli vocant ὑποτύπωσιν, ab effingenda rerum imagine.

Nocturnam in Sicilia pugnam, &c. Thucydides, lib. 7. belli Peloponnesiaci.

Quomodo gerebantur, &c. Ancipiti scilicet prælio. Noctu quidem fulgebat Luna; sed bellatores ita se invicem conspiciebant, ut conspici ad lunam licet. Speciem corporis cernebant, familiarem ab alieno non discernebant.

bant. Et Pompeius cum Mithridate pugnaturus, tempus elegit dimicationi nocturnum; ac aciem ita constituit, ut Ponticorum oculos adversa luna perstringeret, suis autem illustrem & perspicuum præberet hostem: ut ait Julius Frontinus, lib.2. cap.1.

Figura tenui, &c. De generibus dicendi Cicero in opere de perfecto Oratore, & quarto ad Herennium. Alii figuras, alii formas, Gellius χαρακτῆρας appellat, & Aphthonius χαρακτῆρα ἀνειμένον.

Res imitari, &c. Quemadmodum pictor formas rerum coloribus examussatim depingit: ita oportet eum, qui res descripturus est, excutere virtutes atque naturas earum circumstantiis expressas.

In exemplum. Descriptio est arcis Alexandriæ, quam Alexander condidit per architectum Democratem. Vide Solinum, cap.41. Ammianum Marcellinum, lib.24. Plutarchum in vita Alexandri. Et Diodorum Siculum. Notabis, multas, secundùm Ptolemæum, Alexandrias fuisse. Alia super Tanaim in Scythia, alia in Asia; Hæc in Ægypto, quæ in orbe prima aut secunda habita. Vide Diodorum Siculum, lib. 2. de antiquis gestis. Livium, lib. 8. Qui ait, ab Alexandro Epiri Rege conditam Alexandriam in Ægypto, exordium autem ductum à conditoris consilio, arcisque commoditate.

Acropolin, &c. Ita vocarunt arcem, quasi summitatem urbis. Ibi enim solebant arces exstrui. Et Græci ἄκρον summum verticem dicunt.

Clivus quidam, &c. In locorum regionumque situ describendo diligenter positionem

nem eorum ſequi oportet, & orationem velut per loca circumferre: in qua ut primum quodque occurrit, ſic aptiſſimè primum dicitur. auctore Rodolpho Agricola, lib. 1. cap. 32.

Armaria, &c. Alexandrini Muſæi Strabo meminit, lib. 17.

Perſei, &c. Sunt qui intelligant Philippi Regis filium; de quo ſic Livius lib. 1. Macedonici belli 1. Nec Philippus ſegniùs apparabat bellum: filium Perſea puerum admodum, datis ex amicorum numero qui ætatem ejus regerent, cum parte copiarum ad obſidendas anguſtias, quæ ad Pelagoniam ſunt, mittit. Sciathum & Peparethum, haud ignobiles urbes diruit, &c. Sunt quibus libeat ad Perſea, qui Jovis & Danaës filius erat, referre: qui Meduſam occidit, & Andromeden, alligatam ſaxo, liberavit. Propertius, lib. 2. *Perſeus hic ultimus fuit Macedonũ Rex.*

Andromede monſtris fuerat devota marinis:
Hæc eadem Perſei nobilis uxor erat.

Cujus geſta Aphthonius vocat ἀθλήματα. Vide apud Ovidium 4 Metamorph. Vide proverbium Eraſmi: Gorgonem Perſeus aggreditur. Quod dicitur de egregio facinore.

Quod Deorum antiquorum nomina, &c. Sunt autem, juxta quorundam ſententiam, Deorum antiquorum nomina: Jupiter, Juno, Neptunus, Minerva, Mars, Venus, Apollo, Diana: & tot, ut Apollonii recenſet interpres, ſunt à Græcis culti; Ζεὺς, Ἥρα, Ποσειδῶν, Δημήτηρ, Ἑρμῆς, Ἥφαιστος, Ἀπόλλων, Ἄρτεμις, Ἑστία, Ἀφροδίτη, Ἀθηνᾶ. *Deorum antiquorum nomina.*

Pyramides, &c. E lato in arctum tendentes erant conſtructæ moles; quarum nonnullæ

nullæ tam fuerunt altæ, ut miraculi loco fuerint. Vide Solinum, cap. 41.

Pisistratidarum fonte, &c. Per Pisistratidas, vel Πεισιστρατίδας, intelligit Pisistrati nepotes, vel posteros, hoc est, Athenienses; qui pulcherrimum fontem habuerunt, novem fistulis aquam fundentem. Unde ἐννεάκρουνον appellarunt. Item καλλιῤῥόην, pulchrè fluentem. Cujus meminit Thucydides, l. 2. belli Peloponnes.

Stadium, &c. Ejus duplicem rationem Suidas tradit. Alteram, qua intelligitur spatium, quod homo unico spiritu, cursuque suo conficere potest, quod nunc brevius, nunc longius, pro currentis aut robore, aut fragilitate, redditur. Alteram, quæ Geometrica; qua utuntur Cosmographi: cujus meminit Plinius, lib. 2. cap. 33. Continet autem sexcentos & 35. pedes.

EXEMPLA DESCRIPTIONVM.

Descriptionem habes subitæ tempestatis, apud Virgilium, in 1.

Apud eundem in sexto, Caci domus.

Diluvii, apud Ovidium 1. Metamorph.

Invidiæ, lib. 2. Famis, 8. Somni, 11.

Ætnæ, apud Claudianum, & Gellium, lib. 16. cap. 10.

Justitiæ, apud Gellium, lib. 14. cap. 4.

Arcis Tarentinæ, apud Plutarchum, in vita Annibalis. Et Cleopatræ navis, in vita Antonii.

Crotonis, apud Livium, lib. 4. belli Punici.

Cyzici, apud Florum, lib. 3. cap. 5.

Templi Hammonis, id est, Jovis Arenarii, apud Diodorum Siculum in gestis Alexandri.

Regiæ Psyches apud Appuleium.

DE-

DESCRIPTIO HABITATIONIS *sancti Antonii, apud D. Hieronymum in Hilarionis vita.*

Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit: quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ, paullatim rivum efficiunt; supra quem ex utraque ripa palmæ innumerabiles, multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. Hic psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat. Vites & arbusculos plantavit. Areolam manibus suis ipse composuit. Piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice quasi per cochleam ascendentibus, arduo valde visu, duæ ejusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens moratus est. Verùm hæ in vivo excisæ saxo, ostia tantùm addita habebant.

DESCRIPTIO GYMNASTICA *domûs Reinhardi Lorichii Hadamarii.*

Si nemo ringitur, aut sugillat, quod *Plinius* omnem villæ suæ Laurentis formam situmque calamo depinxit, quæ, malum! insolentia fuerit, me naso suspensum, aut calumniis proscissum iri: si ad imitationem prudentissimi viri novam meam, quam in patria (non venustatis, aut vanæ jactantiæ, sed urgen-

urgentis, quam incendia fecerunt, necessitatis causa) modò fabricor, domum descripsero? Et cùm diversis ab autoribus varia rerum, etiam humillimarum genera videamus descripta, eademque extra omnem interpretantium malignitatem posita; quis (nisi Momo sit iniquior) mihi vitio dederit, quòd, multorum honesta imitatu exempla secutus ego, Musam meam delineavero? Quæ longitudine multo spatiosior, quàm latitudine, propius aquilegium, sive puteum civicum Hadamariæ constructa, videtur insula. Cujus lapideus, quo undique cingitur, paries altus est triginta duos pedes; crassus autem in fundamento quatuor, in sublimi tres. Duos in effossa terra fornices habet satis profundos, atque pro facultatibus capaces; fenestellas modicas ferratas in curvaminibus, in tecto sua continentes armariola. Quorum prior terram quinque pedibus supereminens, hypogæum potest appellari: quod locus subterraneus cellarum variarum, ut oleraceæ aut salsamentariæ, vicem explere possit. Inde janua ducit in alterum muro discretum: qui paullo profundior, & à sole remotior, vini apotheca est, saxo stratus, & lacusculo, unde, si fortè ruptis circulis vinum effluxerit, commodum exhauriri possit, adornatus. Utriusque incurvo solario seni unci grandes ferrei ex ordine sunt firmiter infixi, ut injectis oblongis perticis, superimpositisque tabulis constituatur pomarium; quod oporothecam vocare licet. In imo utriusque fundo terra fuit arenosa, alicubi etiam glareosa, ad tolerandam molem graviorem incommoda: unde complures proceræ simul ac crassæ sunt alni positæ;

poſitæ; quibus aliæ tranſverſariæ breviores fortiter adfixæ, nec non grandiora ſaxa confertim fiſtucis impacta, firmamentum ſtatuunt immobile; & quod negavit natura, compenſant arte. Duos admittunt ingreſſus, alterum anguſtum, ex ipſis ædibus per compendioſum cochlidium deſcendentem: alterum multo laxiorem, per quem culearia dolia, magnique cadi vinarii, ciſiis aut curribus advecti devolvuntur. Hujus tergo ſatis robuſto ſuperædificata eſt turris hexagonia, podio tenus lapidea, cum muro, cui adhæret, domeſtico, ſurſum verſum ducta, pari craſſamento. Quæ non vulgarem ædificio commoditatem, ornatumque reddit. Sinum à dextra recipit anguloſum, ad flexos propaginis arcus idoneum. Ibidem planularum firmiorum januâ domus à platea tribus erecta gradibus pandit atrium, in quo ſtatim quatuor aliæ conſpiciuntur: quarum una, quæ ſpectat Occidentem, hypocauſto præbet introitum: quæ Septentrionem, culinæ. Rurſus quæ Orientem, duæ ſunt. Altera deducit in cryptam; altera vergit in contignationem domus infimam. Principio gradibus quatuor ex atrio ſcanditur in æſtuarium, à culina muro ſeparatum, teſtudinis dorſo prioris impoſitum, eo ſalubrius quo magis ſublimatum à terræ gravedinoſo ſqualore, ſituque pemino-ſo, recedit. Ingredienti ſtatim offertur à ſiniſtra lapideus aqualis. Ibidem pictus Οὔτις ille, conqueritur de hominum, quibus indies adficitur injuriis, qui cùm nihil faciat, accuſatur omnia perperam facere. A dextra baſi ferrea ſuffulta fornacula, cujus præfurnium peculiari ductu fumum tranſmittit in caminum:

num: Ex adverſo autem menſa non omnino ruſtica, incitegæ, vel abaco proxima. Nec procul in muro ſunt repoſitoria, ubi cum œnophoris cululli, caliceſque reconduntur. Feneſtris illuminatum eſt pellucentibus; in quibus, ut in aliis, refulgent Muſarum, patronorum, atque Mecænatum inſignia: cum primis eorum, qui aliquid opis abſolvendo huic ædificio contulerunt. Solum aſſeribus abiegnis contabulatum eſt. Medium ejus, quà patet Meridies, in imam dictæ jam turris ſedem excurrit, quæ non modò jucundum hoſpitibus diſcumbendi locum, ſed etiam omnia, quæ tribus in plateis geruntur, ſpeculandi facultatem præbet. Sedilia undique diſpoſita, non ſolum id ſunt, quod vocantur, ſed ita per ingenioſos arcularios conſtructa, ut ciſtarum veſtiariarum, linteariarum, aut etiam, ſi velis, ſcrutariarum poſſint officio fungi. Circa eadem, iconcularum variarum periſtromata ſive tapetes ita picti ſunt, ut verorum deſideratorum eſſe loco poſſint. Quorum in ſuperficie Bias ille conſpicitur, qui, cùm patriam ejus Prienen hoſtes invaſiſſent, omnibus, quos modò ſævitia belli incolumes abire paſſa fuerat, pretioſarum rerum pondere onuſtis fugientibus, interrogatus, quid ita nihil ex bonis ſuis ſecum ferret: Ego, inquit, vera bona mea mecum porto. Pectore enim illa geſtabat, non humeris, quæ domicilio mentis incluſa, nec mortalium, nec immortalium manibus poterant labefactari. Lacunaria coloribus diſtincta renident. Nec tabulæ coronamentis amœnis tortuoſoque corymborum anfractu conſpicuæ deſunt, in quibus ex ordine ſupellex ſtannea

Ille (inquit Cicero Paradoxo primo) hæc ludibria fortunæ ne ſua

pra

vel ænea disponi poteſt. Applicitum eſt cubiculum dormitorium, quod, ſi voles, diem, clamorem, ſomnumque excludit, vicinum item calorem recipit, atque retinet, aut, ut ratio exigit, effundit. Inibi lectus eſt pedibus iligneis factus, circa quem tota parietis æqualitas hiſtoriam Solonis atque Crœſi, quæ apud Plutarchum habetur, coloribus expreſſam oſtendit, ut animum à divitiarum, mundanæque gloriæ curis (quæ diu noctuque diſcruciare ſolent homines) abducens ad quietem invitet, aut magis honeſto ſtudio dignam meditationem ingerat menti. Non procul inde Craſſi caput cum dextra manu reciſum, & ad Regem reportatum videtur, & aurum liquidum in rictum oris infuſum: ut cujus animus arſerat auri cupiditate, cujus etiam mortuum & exſangue corpus auro uteretur. Et inibi Regina Tomyris caput Cyri amputari, atque in utrem humano ſanguine oppletum conjici jubet, non muliebriter increpitans: *Satia te ſanguine, quem ſitiſti.* Locus illuſtratus eſt tribus binas in muro ſediculas habentibus feneſtris, quæ vel Aquilonem inhibere, vel mitiorem, ſi volueris, auram admittere poſſunt. Quarum in confinio nugis uxoriis aptum loculamentum eſt, inſertum muro tali arte, ut ſi fures effregerint prima clauſtri repagula, non tamen, quod charum maximè celatum aſſervari velis, invenerint. Solum atque lacunaria reſpondent iis, quæ ſunt in hypocauſto. Coquina ab atrio cancellatis interſtitiis diſcreta eſt, ubi focus ſerratis ferramentis, alariiſque ſtipatus, & per quod fumus exit, (quod alii vocant infumibulum, Græci καπνοδόχην) ſpiraculum, ſaxo conſtructum eſt.

quidem putavit, qua nos appellamus etiam bona.

est. Cujus gremium in apsida curvatum, cacumenque pedes aliquot altius tecto, molestias omnes fumi, atque scintillarum evomit in aëra, tantum, quod carnario sufficit, relinquens. Et vitreæ fenestræ borealem nullam intemperiem admittunt: prope quas inclusa muro capsa porrigitur, variis usibus idonea. Hinc aquariolum, quam nonnulli lavatrinam appellant. Non procul offertur locus tabulis abiegnis concinnatus, ubi tudicularum, frixoriorum, patellarum, veruum, catinorum, ollarum, ahenorum, creagrarum, lebetum, consimiliumque repositoria. Solum pavimenti lithostraton est, ut etiam atrii. Ex hoc descensus est sex graduum in cryptam, quæ brevi posticula, fenestrisque clathratis illustrata, triplicem inprimis utilitatem adfert. Etenim à dextra cum opaco baptisterio, colliquiisque, balinæum habet vel asaminthum; ibique adjunctum apodyterium: quod ita conditum, ut aliàs etiam penuaria cella possit esse. Nec deest anaclinterium, quod ab aliis accubitum appellatur. E regione gurgustium est equorum, etiam vacerris, lignisque recipiendis accommodum. Ejus tabulatum, quam contignationem domus infimam appellavi, sollerter adversus incendia pavimentatum est. In id ex atrio gradiculis quinque scanditur, & pedes decem à primo totius domûs solario distat, commoditates totidem, quot locus inferior, importans. Nam qua culinam spectat, pædagium est, seu potius famularum cubile, cui adstructum ornithotrophion, sive gallinarium, ut excubitorum alitum cantibus excitatæ surgant ad solvenda pensa. Ex adverso, ubi farinario, girgillis item

atque

atque rhombis est locus, scalæ sunt quibus ascenditur ad dictarum jam partium domus solarium primum. Quod hoc modo complanatum atque confectum est. Quernæ complures validæ trabes ex ordine, parum admodum inter se distantes, ita muro sunt insertæ, ut utrinque capita extrema ruderibus cæmentitiis obtecta, nihil emineant: deinde earum lateribus, in rimas tanquam sulculos duos ungues profundos diffissis, impacti sunt differtim paxilli sesquipedales, habentes undique circumvolutos, regyratosque septenos, aut octonos funiculos longiusculos, nexos stramine, quod limo lutoque tenacissimo perlitum, contortum atque subactum est. Postmodò tectorium omne lignum occultans, arenatum superinductum, cœmentitiumque pavimentum, cylindro coæquatum, certissimum contra incendia tutamentum. Huic superstructa sunt, cum suis scimpodiis, & apparatu Musas non decente, conclavia, quorum propriæ trabes & fabrica, lapidibus quadratis sectilibus suffulta, non attingit inferiorum ligna, ut incendii fortuitò suborti flamma subjectis nocere non possit. Circa eadem procestrion est, ex quo per murum transitus in [illegible]tuarium, interiore majus; quod vel diæta, vel si voles, triclinium insigne, cum heliocamino poterit esse. Ejus quoque ut inferioris medium evagatur in turrim; quod non minoris commodi, quam amœnitatis cænaculum prædicari potest. Apparatus autem & dispositio ferè eadem, quæ substructi hypocausti: diversa tamen picturarum genera. Nam, ut reliqua transeam, hic Aristippus naufragus coloribus effigiatus, suis civibus enunciat, ac

P sua-

ſuadet, ut eas poſſeſſiones filiis parent, quæ cum naufragio enatare poſſint. Illic inter Reges Plato, Beatum terrarum orbem futurum prædicat, cum aut ſapientes regnare, aut Reges ſapere cœperint. Nec cubiculum (ut etiam cominus inſurgentium xyſticorum poſſit eſſe capax) annexum, neque ſolum dolatis aſſeribus, ſed adverſus ignes cæmentis obductum eſt. Prope ſcalas, quas dixi, latrinæ ſeceſſum habent. Non procul inde murum trabes duæ craſſiores penetrant, & tantum in ſublimi ſupra plateam extant, quantum ad anabathra, quibus in ſupremum ſolarium aſcenditur, ſuſtentanda ſufficiunt, quæ ſunt extra domum erecta, quo majus ſpatium intrinſecus relinquant, nec incendia ſuborta locum pervium habeant: unde deſuper cadant, aut ex edito dilabantur in ſtructuram ſubjectam. At eadem janua tranſituſque ſcanſilis tam latus eſt, ut cum frumentario ſacco ruſticus expeditus pervenire poſſit in granarium. Quod ſupremum (ut recenſui) ſolarium, eodem modo, & qua ſubſtructum ratione, complanatum eſt. Omnes enim trabes, quantum fieri potuit, contra flammas integumentis & incruſtationibus obtectæ ſunt. Earum tamen extrema capita, quibus tigni, quos alii vocant telamones, inſeruntur, atque iis tectum quaſi fulturis ſuſtinetur, ignibus ita ſunt obnoxia, ut vim patientibus facilè poſſit ſuccurri. Hoc in loco muri deſinunt, tectumque ſuccedit. Sed impoſitum eſt turri ſeſquipede extans ædificiolum amœnum, quod podium, vel exedram vocare libet. Id ſubliciis validioribus ſuſpenſum eſt, undique feneſtras habens, in quibus ſol naſcitur

ſcitur conditurque. Quodſi, juxta ſententiam Horatii, Domus laudatur, longos quæ proſpicit agros, hoc laudibus evehendum erit, cum velut è ſpecula totam ferè Hadamariam intueatur, latoſque proſpectet campos, atque nemuſcula, cumprimis Trupeliana. Muſis igitur deſtinatum, quæ cacuminibus delectantur. In eo cum grammatophylaciis eſt bibliotheca, quæ totam Hadamariam ad bonarum artium diſciplinas invitare videtur. Cujus in parietis ſpatio dormiens Alexander Iliadem Homeri ſub pulvino habet. Ejus tectum, non faſtigiatum, in fine pinnaculum oſtentat obæratum. Subeſt tabulatum periſterotrophio non incommodum. Atqui multo laxior ad erviliam avenamque recipiendam contignatio tabulata eſt ſub totius contiguæ domûs tecto. Quod ipſum non coctilibus laterculis, aut lapideis tegulis inſtratum; ſed pro tempore contextum hoc modo: Tigillis atque ſcandulis adfixa ſunt validæ crates vimineæ, quæ luto tenaciſſimo conſtipatæ, atque ita ſtrictim condenſatæ ſunt, ut utrinque nihil appareat lignorum. huic conſpiſſato glutinamento ſtramentorum faſces ingeſti, ligneaque pala ſunt æqualiter adaptati. Quæ tectorum genera ſunt agreſtia quidem, ſed Muſis tamen, operoſo nullo ſplendore gaudentibus, non indecora, & durabilia ſatis, incendiorumque tempore multo conducibiliora, quàm vel lateritia, vel lapidea. Siquidem illis correptis flamma parum incommodat, ſed ſtramentitia tegumenta ſolummodo lambit, atque raptim ſine horrore magno depaſcit, reliqua tanquam vaporibus indurata cruſtâ reliquens intacta. Atqui

Vulcanus in hæc magnam exercet tyrannidem: etenim tota non modò corripit, & absumit; sed etiam auxilio venientibus terrorem incutit, atque profligat: in adversos enim fragmina candentia volvit, & crepitantibus flammis horrisonoque fragore tanquam igneam grandinem ejaculatur, hostiumque more tela fulgurantia torquet, aufertque prospectum & auxilii spem omnem. Documento fuit ipsa Hadamaria, & stadium ab ea distans, Justi Studei clarissimi Doctoris patria Elssa, per clandestinos Germaniæ vastatores nuper incensa. Ubi certa didicisses utrorumque discrimina. Porrò mediis in flammis cum circum secus omnia flagrarent, vidisses illa stare, magnoque conatu se defendere, aut laborantium manus poscere: hæc autem ignibus superata, non modò concidere, sed etiam, ut dixi, auxiliaturos in fugam crudeliter compellere. Hæc de domûs tecto, atque iis, quæ sunt intrinsecus. Jam, si vacat, quæ forinsecus, audi. Totus undique murus lævigatus, ac dealbatus est: Coria laterum atro distincta colore. Illius in medio tria tribus in locis foramina propemodum tetragona videntur, inscriptionibus destinata. Primum igitur, quod in turris medio conspicitur, talibus versiculis exornatum est, qui lacrymabile tempus, quo tota deflagravit Hadamaria, domus hæc quoque reædificari cœpta, memoriæ produnt:

Diva Redemtoris post incunabula Christi,
Mille ac quingenti cum quadraginta fuerunt
Anni, mensis habens cognomina Martis, & ejus
Nuncia, post decimam fati lux quarta sinistri
Solis, & hæc retinens à judice nomen, & hujus
Nona furens siccis ventis borealibus hora,

Quâ

Quâ ſacer emiſit verbum cæleſte miniſter,
Cùm caderet rapidis Hadamaria prodita flammis.
Poſt domus hæc anno reparari cœpta ſequenti.

In ſupremis ejus loci feneſtris, aurea Stoicorum illa ſententia legitur: ὅτι, Μόν☉ σοφὸς πλέσι☉. Id eſt, *Solus ſapiens dives*. Qua mortalium, quorum infinitus ubique numerus, Philargyriâ perditorum greges monentur, longè pluris virtutem quàm divitias æſtimandas eſſe: quod harum gloria fluxa ſit, atque fragilis; ſed immortalis illa, quæ nec eripi, nec ſurripi poſſit, neque naufragio, neque incendio amitti: qua præditi qui ſunt, ſolos eſſe divites, cum ſoli poſſideant res & fructuoſas & ſempiternas, ſolique (quod, auctore Cicerone, proprium eſt divitiarum) contenti ſint rebus ſuis. Duo reliqua in medio ſunt ejus muri, qui portam anteriorem, ſive molarem ſpectant: quorum priori tale tetraſtichon, quod ipſa domus proloquitur, eſt inſculptum:

Quod mihi ſit nomen, quæris fortaſſe, viator:
Siſte gradum, tali carmine certus eris.
Huc Mecœnates quia dona tulere, quod auſus
Hæres me tenuis condere, Muſa vocor.

Alteri tale Sapphicon:

Ipſe Rinhardi pater huc amuſſis
Contulit primæ lapides: nepoti
Debet hinc noſtro domus ipſa longè
Carior eſſe.

Et quibus profectò liberis non cariſſimum id fuerit, quod vicinorum teſtimoniis boni parentes vel dixerint, vel fecerint memoratu dignum? Sub imis autem ejus loci feneſtris, longum, idque paullo rudius & gravius,

ne possit aliorsum transferri, scamnum faginum est positum; ubi transeuntes viatores delassati quiescere, aut senes apricari, aut cives Hadamarii considere possint, de rebus publicis tractaturi, aut animi demulcendi gratiâ nugas acturi, retique ventos (quod aiunt) venaturi.

DESCRIPTIO SERPENTVM, è Lucani libro nono desumpta.

Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nulli
Arva bono, virus stillantis tabe Medusæ
Concipiunt, dirosque fero de sanguine rores.
Quos calor adjuvit, putrique incoxit arenæ.
Hic quæ prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumidâ cervice levavit.
Plenior hinc sanguis, & crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
Sponte suâ: Niloque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur,
Hinc Libyci montes: & fecimus Aspida inertem.
At non stare suum miseris passura cruorem,
Squamiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes.
Latus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arva
Chersydros, tractique viâ fumante Chelydri,
Et semper recto lapsurus limite Cenchris.
Pluribus ille notis variatam tingitur alvum,
Quàm paribus tinctus maculis Thebanus Ophites.
Concolor exustis, atque indiscretus arenis
Ammodytes, spinâque vagi torquente Cerastæ,
Et Scythale sparsis etiam nunc sola pruinis

Exu-

Exuvias positura suas: & torrida Dipsas:
Et gravis in geminum vergens caput Amphisbæna,
Et Natrix violator aquæ, Iaculique volucres:
Et contentus iter caudâ sulcare Pharias:
Oraque distendens avidus spumantia Præster:
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps,
Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes.
Ante venena nocens, latè sibi summovet omne
Vulgus, & in vacuâ regnat Basiliscus arenâ.
Vos quoque, cui cunctis innoxia numina terris
Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones,
Pestiferos ardens facit Africa; ducitis altum
Aëra cum pennis, armentaque tota secuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros:
Nec tutus spatio est elephas; datis omnia letho.
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.

DE THESI.

CAP. XIII

THesis, id est, consultatio, est rei alicujus investigandæ per orationem consideratio, vel disquisitio. Consultationum autem aliæ civiles sunt, aliæ contemplativæ. Civiles sunt, quæ actionem habent civitati accommodatam, velut: *An ducenda sit uxor*; *an navigandum*; *an muri faciendi?* His enim omnibus civitatis status continetur. Contemplativæ verò, quæ ad solam animi considerationem pertinent. videlicet: *An globosum cœlum*; *an multi sint mundi*. Hæc enim in usum hominibus non veniunt, sed mente sola pervidentur. Differt autem consultatio ab Hypothesi, id est, causa: quod causa definita

finita eſt; conſultatio verò indefinita. Definitio autem fit perſona, re, cauſa, & reliquis: ut, *Muri ſuntne faciendi?* Perquiſitio eſt ſine perſona. Quod autem invadentibus Perſis Lacedæmonii conſulunt; muro Spartam circumdare, cauſa eſt. Perſonam enim habet Lacedæmonios deliberantes: Rem, murum Spartæ addere. Cauſam verò, invadentes Perſas. Prima autem omnium præexercitamentorum conſultatio, contradictionem, & ſolutionem, ſecundum quæſtionem admittit. Dividitur ergo Theſis primum in Ephodum, id eſt, in procemion ex directo ad narrationem tendens: quem aggreſſum procemii loco ponens, hinc finalibus utêris capitibus, legitimo, juſto, utili, & poſſibili.

THESSIS, AN DVCENDA *uxor.*

Aggreſſus vice proœmii. Si quiſquam omnia pariter laudare volet, is mihi matrimonium laudet: demiſſum enim ex cœlo eſt: ipſumque rurſum cœlum Deis implevit, eoſque procreavit, quorum munere paternum hominibus tribuitur nomen: eiſdemque, quos progenuit, dedit rerum naturam tuendam. In terras autem acceptum, reliquis omnibus originem dedit, quæque ſingula naturâ ſuâ fluxa caducaque erant, ea ſtabilivit poſteritate, æternitatemque ipſis ſucceſſione adinvenit. Primùm autem maximè ad fortitudinem, ſubeundaque conſtanter pericula homines impellit. Quis enim uxorem liberoſque defendere; quis pro iis bella movere recuſat? quo fit, ut, cum eorum amore arma ſumantur, majoribus cer-

certetur animis, lubentiusque Martis subeatur eventus. Quin justos etiam, nedum fortes, homines efficit. Cognationem enim, necessitudines, juraque tribuit; quorum respectu metuque ab inferenda injuria homines coërcet: itaque justitiam simul docet cum fortitudine. Sed & sapientes facit; quippe quibus carissimorum pignorum injicit providentiam atque curam: quodque maximè quis miretur, ipsam temperantiam secum adfert matrimonium, & in mediis voluptatibus modestiæ quoque invenit locum: legem enim libidinibus præscribens, temperantiæ fine voluptates coërcet: quæque ipsa per se accusatur voluptas, eam matrimonio conjunctam laudamus. Si ergo matrimonium Deus dedit, & procreando posteritatem omnem firmat; si fortes item, justosque facit & sapientes præstat, & temperantes: quis est, qui non pro virili, quatenus possit, ipsum sibi putabit laudandum?

Sanè, inquis: sed calamitatum multarum matrimonium est causa. *Contradictio.*

Fortunam mihi videris; non matrimonium, accusare. Quæ enim adversa hominibus accidunt, eorum fortuna est causa; non matrimonium. At contra, Quæ læta matrimonium tribuit, ea certè nequaquam fortunæ accepta possunt referri. Rectius ergo est, matrimonii bona laudare, quàm accusare mala, quæ ex ipsa afferuntur fortunâ. Jam verò, si quis maximè humanorum casuum adversa solet matrimonio assignare, nihilo tamen idcirco magis fugiendum erit. Nam si qua reliquis in rebus non offendunt, ea continuo non ab ipsarum cura deterrebunt. Agedum, sin- *Solutio.*

P 5. gulas

gulas excutiamus artes; omnes habent aliquid quod quis accuset. Agricolæ procellis infestantur, & per grandinem fame contabescunt: non tamen, si quos tempestas offendit, ideo statim agros relinquunt; sed perseverant colere. Neque nautæ, si quid ex cœlo accidit ipsis, continuò post tempestatem dissolvunt naves, cessantque navigare deinceps metu eorum, quæ pertulerunt: verùm difficultates fortunæ tribuentes, ad opes, quas mari paraverunt, revertuntur. Bella etiam pugnæque militantium absumunt vitam: non, quia occumbunt aliqui, idcirco deserunt militiam; sed quia pugnantes, ob fortitudinem laudantur, hoc ipso etiam, quod ceciderunt, gaudent, & instantem fortunæ asperitatem præsentis gloriæ bono rependunt. Neque enim propter mala meliora fugienda sunt, sed bonorum causa etiam asperrima perferenda. Nonne ergo absurdum est, nautas item, & milites, difficultates meliorum gratiâ tolerare; matrimonium verò nobis aversandum putare, quia habeat aliquid quod offendat?

Contradictio. Sanè, inquis: sed viduitatem mulieribus, puerisque orbitatem affert.

Solutio. Mortis hæc mala sunt, hancque nobis difficultatem circumdedit natura. quam tu quidem accusare mihi videris, quòd non homines effecit, ut dii essent: accusasque matrimonium, quod non diis mortales conjunxit. Quid insimulas matrimonium eorum, quorum est apud mortem causa? Cur nuptiarum dicis, quod ipsius est naturæ? Patere perire eum, qui natus est, quocunque tandem pereat modo. Quodsi occidunt homines, quia nati sunt, eâdemque viâ conjugem viduam

duam relinquunt, natosque ex se filios faciunt pupillos: quid? hæc matrimonii dices culpâ fieri, quæ solùm ab ipsa fiunt natura? At ego è contrario orbitatem, viduitatemque puto matrimonio resarciri. Mortuus est illi pater, eoque nomine pupillus est; reddit rursus alium sibi matrimonium patrem. Itaque hoc malum non ex matrimonio prodit, sed matrimonio occultatur, fitque matrimonium non causa orbitatis, sed abscondit potius ipsam, & restaurat. Sic viduitatem quoque, quam obitu mariti attulit natura, matrimonium novis iterum nuptiis immutat. Quam enim mors reliquit viduam, hanc rursus matrimonium viro conjungit: atque velut conservator muneris sui, ea quæ dedit initio, ablata quoque restituit. Auferre ergo viduitatem solet matrimonium, non facere: Pater quoque morte liberis orbatur, rursumque alios matrimonio assequitur, fitque secundo matrimonii munere pater, cui id, quod semel jam habuerat, paternum nomen erat ablatum. Quid ergò matrimonii bona in crimen ipsius convertis? Videris mihi non arguere, sed laudare nuptias velle. Quando enim enumerare nuptiarum bona cogis, laudator matrimonii factus es potiùs quàm reprehensor; vituperansque matrimonium, ut recenseamus, laudes ipsius adducis, causamque præbes munera sua recognoscendi nobis, eo ipso quòd crimina tua refutamus.

Esto! inquis, sed laboriosa tamen res est matrimonium. *Contradictio.*

Verum: sed labores quoque matrimonium solvit, & auferuntur per nuptias, quæcunque exercitos homines reddunt. Vitæ tranquilli- *Solutio.*

tas eſt, cum muliere ſociari: quantulum autem, virum in thalamo uxori conjungi? jam quanta cum voluptate puer exſpectatur, ſperatuſque ſe profert, & in lucem prodiens, mox patrem appellat? Addicitur deinde arti alicui diſcendæ, patriſque fit laborum particeps. In concionibus exinde verſatur, paſcitque in ſenecta patrem; & prorſus in quodcunque res ipſa popoſcerit, aptum ſe expeditumque præbet.

Epilogus. Adeò non eſt oratione recenſere, quanta matrimonium adferat bona. Ingens ergo res eſt matrimonium, & deos procreans, & mortalibus, ut dii eſſe videantur, ſucceſſione præſtans: ac omneis, qui nuptiis initiantur, inſtituit, ut juſtitiam colant, temperantiam obſervent: quin & reprehenſas alioqui voluptates, honeſtas facit. Idcirco plurimi faciendum eſſe matrimonium, inter omnes facilè conſtat.

SCHOLIA.

Theſis. Græci Rhetores Theſin appellant quæſtionem vagam, nullis circumſtantiarum cancellis incluſam. Latini quæſtionem infinitam. Cicero in Topicis, Propoſitum. in partitionibus, Conſultationem. Priſcianus Poſitionem dixit. ut, An ducenda uxor; An colenda ſit amicitia; An navigandum; An ſit bellum gerendum; An diſcendæ literæ Græcæ?

Hypotheſis. Hypotheſin autem vocant quæſtionem finitam, quæ habet in quæſtione certas perſonas, loca, tempora, & reliqua genera attributorum. Hanc Cicero in Partitionibus contro-

versiam, in Topicis causam appellat: ut, sitne Cæsari bellum suscipiendum adversus Pompeium? An Syllæ administranda Respublica? An Græcæ literæ discendæ destinato Theologiæ? An Cato tempore belli civilis rectè duxerit Martiam uxorem? Vide Quintilianum, lib. 8. cap. 5. Idem lib. 2. cap. 1. ait, Antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut Theses dicerent. Et Cicero in Oratore ad Brutum: Aristoteles, inquit, adolescentes ad copiam Rhetorum, in utramque partem, ut ornatiùs & uberiùs dicere possent, exercuit. Rodolphus Agricola, lib. 2. cap. 8. Thesin quæstionem vocat κατηγορικὴν, id est, prædicativam, quæ nullis certis finibus temporum, locorum aut personarum concluditur, ut: An accedendum ad Rempublicam? Hypothesin, conditionalem, ὑποθετικὴν, ut: Sitne Socrati accedendum ad Rempublicam?

Magnam autem habent θέσεις cum loco communi similitudinem: sed hoc differunt, quòd locus communis ad amplificandam & augendam causam assumitur. Thesis ad explicandam & probandam. Et illo quasi certa re declamitatur: hac disputatur, & disseritur. Denique ille affectuum, hæc considerationis est. Priscianus inquit: Inter Locum communem, & Positionem, hoc est differentiæ, quòd Locus communis est convictæ & manifestæ rei exaggeratio; Positio autem dubiæ rei quæstio.

Locus communis à Thesi differt.

Aliæ civiles, &c. Has Græci πολιτικὰς appellant: quæ sunt earum rerum, quæ in civitatibus usurpantur. ac fiunt publicè aut privatim: Ducendæne uxores; navigandumne sit,

ædificandum; an ambulandum. Hujusmodi & illæ Ciceronianæ sunt, de quibus ipse Attico scribens, libro nono. Sed tamen ne me totum ægritudini, inquit, dedam, sumpsi mihi quasdam tanquam θέσεις, quæ & πολιτικαὶ sunt, & temporum horum, ut & abducam animum à querelis, & in eo ipso, de quo agitur, exercear. Ea sunt ejusmodi: Εἰ μενετέον ἐν πατρίδι τυραννουμένης δ᾽ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πρακτέον, &c.

Contemplativa, &c. Has alii speculativas appellant, Græci θεωρητικὰς, quòd solâ animi ratione explicari, & intelligentiâ soleant comprehendi. Ut: Anima sitne natura aliqua. Et, eademne mortalis? Et mundusne non extiterit aliquo tempore? Item, sitne siderum Musica? Plinius, lib. 2. cap. 22. Item, sintne Antipodes? Earum quæstionum magnam copiam habent Scholasticorum παραδιατριβαί. cujus generis hoc est, An homo creari potuerit ἀναμάρτητος. & id genus alia innumera.

In iis contemplativis consultationibus an sit, quid sit, quale sit, quæri solet. Quintil. l. 3. c. 5.

An globosum cælum, &c. Priscianus inquit: An pilæ formam habeat mundus.

An multi sint mundi, &c. Quod nonnulli voluerunt. Vide Ciceronem de universitate, Unde Alexander, cum ejus comes Anaxarchus, ex auctoritate Democriti, mundos innumerabiles referret, Heu me, inquit, miserum! qui nec uno quidem sum potitus: ut recenset Valerius, lib. 8. cap. 15. Vide Plutarchum, in Alexandri vita. Et Q. Curt. Vide Ciceronem, Tusc. quæst. Hinc illud Juvenalis:

Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Sunt item Quæstionum aliæ simplices; aliæ compositæ. Simplices, ut: An luctatione sit exercendum, An declamandum. Compositæ,

sitæ, ut: An luctatione exercendum, sive agricultura. An declamandum sit ex chartis, sive memoriter, cum decora vultûs atque gestûs moderatione.

Invadentibus Persis, &c. Historia habetur apud Thucydidem. Et bellorum Lacedæmoniorum cum Persis Orosius meminit, libro 3. cap. 11. Plutarchus in vita Aristidis scribit, Lacedæmonios à Persis trophæa retulisse.

Sparta, &c. Sparta, vel Sparte, fuit urbs Laconiæ, nullis ab initio muris cincta. Unde Agesilaus percontanti, quam ob causam Sparta non circumdaretur muris, ostensis civibus; Hi, inquit, sunt Spartana mœnia: significans, nullo Respublicas munimento tutiores esse, quàm civium virtute. *Sparta, quæ etiã Lacedæmon.*

Dividitur Thesis, &c. Primùm, inquit, ingressus aliquis ad argumentationem vice exordii erit: inde excutiendi loci suasoriarum, honesti, utilis, facilis, necessarii, &c. Et si quid probabiliter contradici posse videatur, hoc suo loco refutandum erit. Postremo, brevi epilogo velut perorandum: auctore Mosellano.

IN EXEMPLUM.

Deis cœlum implevit, &c. Unde Cicero 1. Tuscul. Quid? totum prope cœlum nonne humano genere completum est? &c. Divus Ambrosius, 32. quæst. 1. Nuptiæ, inquit, terras replent; virginitas Paradisum. At Varro putabat utile, ut se homines Diis genitos mentirentur. Vide Augustinum de Civitate Dei, lib. 3. cap. 4.

Æternitatem adinvenis, &c. Unde Plato *Fortitudo.*

de

de Legibus, quarto dialogo: Genus, inquit, hominum immortale hoc modo in sempiternum perdurat, quòd filiorum filios relinquendo, nunc & idem semper per generationem immortalitatem adipiscatur. Nefas autem est immortalitate se ipsum sponte privare. Hac verò ex animo ille se privat, qui filios & uxorem negligit.

Successione, &c. Hoc est, per discessionem aliorum in aliorum locos. Etenim morientibus alii rursus nascuntur. Hinc Homerus homines arborum foliis comparavit. Vide Erasmum in proverbio, Homo bulla.

Ad fortitudinem, &c. Cives enim ut liberos & uxores defendant, fortiter pugnant. Et Scipio, ultimo conflictu cum Annibale congressurus, milites adhortando, dixit; Adesse finem belli, in manibus esse prædam Carthaginis: si fortiter pugnaverint, reditum datum iri in patriam, ad parentes, liberos, conjuges, Penatesque Deos.

Providentiam, &c. Qua perspiciunt parentes, quæ liberis bona, utilia, honestaque sunt. Pars est enim prudentiæ, bonarum aut malarum rerum & utrarumque scientia: ut ait Cicero, secundo de inventione.

Temperantiam, &c. Hæc est firma animi, & moderata dominatio rationis in libidines, atque alios non rectos impetus: ut ait Cicero. Cujus partes Clementia, Continentia, Modestia.

Accusatur voluptas, &c. Cicero secundo de Finibus scribit; maximas virtutes jacere dominante voluptate: quàm malorum escam Plato vocavit, quod homines eâ, velut hamo pisces, capiantur. Et Architas Tarentinus ait,

ait, Nullam capitaliorem peſtem hominibus à natura datam, quàm voluptatem! Cujus meminit Cicero de Senectute.

Si ergo, &c. Epilogus eſt hactenus dictorum; quæ ab honeſti partibus deduxit matrimonium laudando. Dividitur autem honeſtum in laudabile, & rectum. Hoc ipſum rurſus dividitur in juſtitiam, fortitudinem, prudentiam, modeſtiam. Vide Ciceronem 3. ad Herennium.

Calamitatum cauſa, &c. Unde Menander: Ὁ μὴ γαμῶν ἄνθρωπος, ἐκ ἔχει κακά. Qui non ducit uxorem homo, non habet mala.

Ἄλυπον ἕξεις βίον χωρὶς γάμου.

Id eſt, ſine dolore vitam tranſiges, ſi non duxeris uxorem. Matrimonium, ut Eraſmus ait lib. 4. Apophthegm. comitatur perpetua ſolicitudo, dotis exprobratio, affinium grave ſupercilium, moleſta ſocrus, incertus liberorum eventus, jurgia, querelæ atque rixæ. *Matrimonii mala.*

Juvenalis, Sat. 6.

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.

Agedum, &c. Fidei faciendæ gratiâ utitur inductione: & oſtendit, nullum vitæ genus eſſe, quod non ſuas habeat moleſtias. Sapienter Solon aiebat: Si in unum locum cuncti mala ſua contuliſſent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miſeriarum acervo portionem alienam ferre, mallent: ut ait Valerius, lib. 6. cap. 2. Meminit Eraſmus, tertio Apophthegmatum.

Per grandinem, &c. Ut ſi de cœlo vel arbores, vel ſegetes fuerint tactæ. Cœleſtis *Cœleſtiũ injuria.*

autem

rum duo genera. autem injuriæ duo ſunt genera. Unum, quod tempeſtatem vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque ſimilia intelliguntur: quæ cum acciderint, vis major appellatur. Alia ſunt illa, quæ ſilente cœlo, ſereniſque noctibus fiunt, nullo ſentiente, niſi cum facta ſunt. Publica hæc, & magnæ differentiæ, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus. ut ait Plinius, lib. 18. cap. 28.

Diſſolvunt naves, &c. Tempeſtatibus jactati, non ſtatim deſerunt navigationes; ſed mox reficiunt rates quaſſas, indociles pauperiem pati.

Laudantur, &c. Qui fortiter in prælio rem adminiſtrarant, ab imperatoribus laudabantur, atque fortitudinis præmia conſequebantur, coronas civicas, obſidionales, murales, vallares, caſtrenſes, ſtatuas, triumphos; mortui etiam laudibus evehebantur. Quinimo, ut inquit Imperator Juſtinus, qui pro republica perierunt, per rerum geſtarum gloriam ſemper vivere intelliguntur: unde etiam patribus in excuſationibus tutelarum proſunt tanquam vivi.

Gaudent, &c. Lætantur, qui fortiter pugnando ſuccubuere. Sic Epaminondas, qui ſanguine & ſpiritu deficiens, Non finis eſt, inquit, vitæ meæ, ſed melius & altius initium advenit. Nunc enim veſter Epaminondas naſcitur; quia ſic moritur. ut ait Valerius, lib. 3. cap. 2.

Laborioſa res, &c. Unde illud Cynici Cratetis, Τέκνα πόνοι. Vide Eraſmum in proverbio: Optimum non naſci.

Labores ſolvit, &c. Hinc Metellus ille Numi-

Numidicus asseverabat: Nullas plerunque esse in matrimonio molestias: si quæ tamen accidere nonnunquam viderentur, parvas & leves, facilesque toleratu esse dicebat, majoribusque eas emolumentis & voluptatibus obliterari, easdemque ipsas nunquam omnibus, neque naturæ vitio, sed quorundam meritorum culpa & injustitia evenire. Vide Gellium, lib. 1. cap. 6.

Pascit in senecta, &c. Juxta proverbium ἀντιπελαργεῖν, quod est, parentes ætate fessos nutrire, mutuamque vicem rependere.

THESIUM EXEMPLA.

Primi argumentum tale est: Quòd non ducenda sit uxor. Vbi Thesis contrariis Aphthonii locis tractata, studio exercitii.

Cùm, juxta vetus proverbium; Ignis, mare, mulier, tria mala sint; mihi plurimum desipere videntur, qui se conjecerint in flammas, in fluctus, & in matrimonii calamitates. Hoc id ipsum dissuadendi studio cum primis Homerus ait: *Exordii formula.*

Vsque adeò nihil improbius, mulierèque pejus.

Et temporibus hodiernis strenuè dant operam mulieres, ne Poëtarum grex vaniloquus omnino fuisse reputetur, qui feminâ nihil pestilentius esse confirmarunt. Et mulierem omnem esse malam, perquam venustè significavit Lacon quidam: qui cum uxorem duxisset perpusillam; dicebat, è malis, quod minimum esset, eligendum. Quippe λύχνε ἀρθέντος γυνὴ πᾶσα ἡ αὐτή.

Non

Ab indignitate matrimonii. Non eo inficias, matrimonium institutum à Deo; sed ab eodem etiam adjectos tot laborum sudores, tot molestias, denique dolores, inficias non eo. Et quod ab initio bonum erat, jam vel temporum injuriâ, vel hominum malitiâ factum est longè deterrimum, ut multo citius Plutonia regna cacodæmonibus repleat, quàm Diis cœlum.

A pusillanimitate. Milites ignavi sunt, & cor in pedes iis decidere solet, quibus domi sunt uxores atque liberi. Etenim extra telorum jactus esse, & post principia se continere laborant, id unum curantes, ut integri maneant ac illæsi, ne, si fuerint interfecti, relinquant viduas atque pupillos. Cæterùm qui paulo fuerint animosiores, à suis objurgantur, juxta illud Penelopes.

Ausus es ô nimium, nimiumque oblite tuorum, &c.

Ab injustitia. Iniquos facit ad iram concitans conjugium. Hæc ipsissima est officina rixarum, ut portus tranquillitatis, cœlibatus. unde illud: Qui non litigat, cœlebs est. Deinde, qui obstricti sunt matrimonio, coguntur indies magnum in usus domesticos sumtum facere, ad uxores, liberos, & familiam alendam. Et deficiente crumenâ, per fas, perque nefas pecuniam corradunt, secum assiduò dicentes:

Vnde habeat, quærit nemo, sed oportet habere:
Lucrum pudori præstat.
Et genus & formam Regina pecunia donat.
O cives, cives, quærenda pecunia primùm est:
Virtus post nummos.
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei.

Prima

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Divitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro.

Ut ait Juvenalis.

Quotusquisque est, qui non matrimonium contrahat, ut sponsi, quod aiunt, vitam victurus,, perfruatur voluptate, ac subeat in libidinem, curetque hoc unum, ut lascivum interveniat illud: *Ζωὴ καὶ ψυχή.* *Ab intemperantia.*

Quis igitur matrimonium laudibus evehendum æstimet, cum inferorum regna magis quàm cœlorum adaugeat, cum iniquos faciat, contineatque vitam obscœnis plenam voluptatibus, ac earum venenatis illecebrarum præstigiis incubans, adducat malorum, quod aiunt, Iliada, ut γυναικῶν ὄλεθροι, proverbio locum fecerint. *Epilogus.*

Sed ais: Quæ sunt in matrimonio mala, ipsi fortunæ sunt assignanda. *Contradictio.*

Id immeritò facis. Nam si viri cœlibes viverent, à plurimis afflictionibus liberi manerent, nunquam agricolæ assiduo tanto labore terram colere, nunquam genus omne cerdonum tanto sudore diffluere, nunquam tantis periculis mercatores navigare cogerentur, si non querulis uxoribus atque liberis egentibus victum & amictum quærere compellerentur. *Solutio.*

Verè igitur divus Paulus de conjugatis inquit: afflictionem in carne sunt habituri. & beatiores prædicat, qui hoc frænum non momorderint.

Sed viduarum & orborum, pupillorumque conditiones, morti, non matrimonio refers acceptas, & per hoc resarciri dicis, quod per illam aufertur. *Contradictio.*

Esto!

Solutio. Esto! Mors tibi patrem eripit, novæ nuptiæ vitricum reddunt. Sed hæc ipsa pensatio ipsissima est Diomedis & Glauci permutatio, qua pro perca scorpius accipitur, pro charissima matre datur noverca, ut rideatur, qui ad ejus tumulum fuerit lacrumatus.

Contradictio. Esto! inquis. Sed tamen non laboriosa res est matrimonium, cum laborum participes uxores sunt viris solatio, & filii parentes ipsos omni malorum fasce levent, foveantque fessos ætate.

Solutio. Sæpius molestant viros, quàm consolantur, uxorum greges, quarum paucissimæ fideles, ut verè dictum sit: Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem. Quod monet, usque adeò non esse fidendum mulieri, ut etiam, si morientem videas, putes fingere. Et filiorum incertissimus est eventus. Longè plures dedecori sunt parentibus, quàm ornamento. Qui, ut arietes, nutricationis mercedem persolvunt, argento senes emungendo, turpissimisque facinoribus excruciando. ut Crates ille recte dixerit; τέκνα πόνοι, &c.

Conclusio. Ergo cum tot undique malorum fluctibus matrimonium impetatur, quis vel sanæ mentis, solutus ab uxore, quæsiverit uxorem?

SECUNDUM EXEMPLUM, *continens, quòd senectus non sit molesta, nec onus Ætnâ gravius.*

Thesis. Si vina vetera novis, quasi de musto & lacu haustis, præstantiora judicamus; cur non senectutem juventâ meliorem, laudatuque magis dignam arbitramur: cùm ut illic omnia

defæ-

defæcata & salubria, ita hîc omnia immatura & gravia contemplemur esse?

Senectutem omnes ut adipiscamur, solemus optare. Quod cùm ita sit, iniquè faciunt, qui adeptam accusant, ac in illa genuinum frangunt, quam divina Scriptura coronam dignitatis appellat, eam præcipuè, quæ reperietur in viis justitiæ. Proverb. 16. *A legitimo.*

In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia proverbio nobilitata. *Seris* enim *venit usus ab annis.* Hinc est, quod juventus olim cumulatum & circumspectum honorem reddebat senibus. ut ait Valerius. Et Juvenalis: *Ab utili.*

Credebant tam grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer; licet ipse videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos.

Nec difficilis adeò senectus est, neque tam molesta, sed tolerabilis & jucunda: quam tot rerum bene gestarum præconia exornant, quam recordatio multorum tot benefactorum oblectat, quam denique gravitas, constantia, consiliorum rationes, autoritas, & reverentia planè divinam efficiunt. *Ab facili.*

Prudenter institutæ Respubl. solæ, quæ senum propria virtus est, prudentia conserventur oportet. Etenim florentis ætatis est temeritas; senectutis, prudentia. Illâ civitates multas eversas; hac conservatas esse, tot veterum exempla testantur. *A necessario.*

At senectus ipsa morbus, evocat à rebus gerendis, ac inutiles reddit. *Contradictio.*

Multò plura quàm juvenes, efficere possunt *Solutio.*

*In Cic. ex quo hic sumtus est locus, legitur sententia.

sunt senes, rerum studiis assueti: quorum arma sunt artes & virtutum exercitationes. Nec viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporum magnæ res geruntur, sed consilio, auctoritate, atque * prudentia.

Objectio. Sed oblivionem inducit, memoriam minuit, vires adimit.

Solutio. Memoria perit, nisi exerceas. Prudentes ergo senes, intentum animum tanquam arcum habentes, non languescunt, nec succumbunt senectuti. Senibus ingenia manent, modò permaneat studium & industria. Unde Cato, Pythagoreorum more, exercendæ memoriæ gratia, quod quoque die dixerat, audierat, egerat, commemorabat vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis. In his desudans, atque elaborans, corporis vires non magnopere desiderabit. ut ait Cicero.

Contradictio. Sed caret voluptatibus; ut rectè Horatius dixerit:

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt (Venerem,) convivia, lusus.

Solutio. O præclarum munus ætatis, siquidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum. Omnem malorum escam voluptatem eripit, & libidines pecuniæ animis eximit, ac instillat vera pectoris dona. Porrò nihil pestilentius voluptate, at nihil præstabilius ratione. Hanc fovet senectus, illam autem expellit.

Contradictio. At sunt morosi, & anxii, & iracundi, & difficiles senes; si quærimus, etiam avari.

Solutio. Sed hæc morum vitia sunt, non senectutis.

At

At morofitas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excuſationis. Vide Ciceronem, in Seneᶜt.

Sed appropinquatio mortis eſt; quæ certè à ſeneᶜtute non poteſt longè abeſſe. *Contradictio.*

O miſerum ſenem! qui mortem contemnendam eſſe in tam longa ætate non viderit. O infelicem Chriſtianum, qui mortem metuit, ac non potiùs cum Paulo dicit: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto! Quid enim hæc vita commodi, quid non potiùs laboris habet? Cur in malis, & non potiùs in bonis, omnia, quæ ſecundùm naturam fiunt, habentur? Quid eſt autem tam ſecundùm naturam, quàm ſenibus emori, quod idem contingit adoleſcentibus, adverſante & repugnante natura? Itaque adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut cùm aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: ſenes autem, ſicut ſua ſponte nullâ adhibita vi conſumtus ignis exſtinguitur. Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur; ſi matura & coᶜta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas. *Solutio.*

Finem dicendi faciam, nihil ambigens, quin judicaturi ſitis, digniſſimam eſſe laudatu & amplexu ſeneᶜtutem, cum ea rebus gerendis conſilia ſuppeditet, prudentia valeat, autoritate polleat, reverentiâ prælucceat, omnium denique malorum liberationem maturitatis naturalis beneficio ſubminiſtret. *Concluſio.*

TERTIUM EXEMPLUM THESEOS, *continens, divitias non esse summum bonum.*

Exordium. Qui sententias iniquas defendendas suscipiunt, mendacia verborum lenociniis fucare solent, & morbido sermoni exquisita adhibere medicamenta. Quorum in numero sunt; quos non pudet asserere, Summum bonum divitias, & solum divitem esse beatum. Contrà, qui veritatem, cujus est simplex oratio, amplectuntur, non in divitiis, sed potiùs summum in virtute bonum collocant. Etenim perpendunt, opum affluentia non beatos, sed magis infelices reddi, cùm maximæ solicitudines, atque calamitates inde soleant provenire. Namque ut Juvenalis inquit:

Ex Hor.
Sed plures nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exsuperant patrimonia census.
Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium, contumque, timebis,
Et mota ad lunam trepidabis arundinis umbram, &c.

Spartā quid perdiderit. Et quid aliud olim Lacedæmonios perdidit, quàm pecuniæ cupiditas? Qui oraculo responsum acceperant, tum demum vincendam esse Spartam; cùm aurum & argentum in pretio cœpissent habere. Accedunt alia, quæ licet per se videantur leviora, aut infirmiora; tamen turbâ valent, atque confirmant, divitias malis plurimis tentari, stultitiâ regi, pusillanimitate enervari, libidine corrumpi

rumpi, ac injustitiâ denique profanari. Nam quotusquisque divitum est, qui non fortunâ ebrius, arroganter & confidenter loquatur & agat, opibus scilicet fretus, ut inde natum proverbium: Ἀργύρου κρῆναι λαλοῦσι. Argenti fontes loquuntur. Quod notans Horatius: Mecum, inquit, contendere noli, Stultitiam patiuntur opes. Quotusquisque est, qui non tumultu quopiam suborto, aut bellis ingruentibus in morem galli cujuspiam (ut aiunt) trepidet, atque magis sibi thesaurisque suis, quàm Reipublicæ velit consultum. Quotusquisque, qui non plura, quo plura possideat, assiduò petat?

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Quotusquisque, quem non divitiæ ad genus omne turpitudinis inflamment, luxu resolvant, funditusque perdant, ut multo plures crapulâ, nimiâque libidinis enervatione credantur perire, quàm gladio? Quis igitur divitias summum bonum vocet, & non potiùs iniquitatis appellet Mammona, cùm illæ stultos, infelices, effœminatos, avaros, & perversos reddant; ut facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm divites in regnum Dei ingredi?

At divitiæ afferunt gloriam, parant amicos, paupertas contemtos facit. *Contradictio.*

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
——— Pauper ubique jacet.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quòd ridiculos homines facit, &c.

Contradictio. Sed quam opes pariunt, fluxa est gloria: & ollaris, quæ χύτρας φιλία dicitur, amicitia nihil aliud est, quàm adulatio.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Solutio. Nec ad veram gloriam via recta contendentès impedit paupertas, sortita sapientiam. Nonne Cicero, nonne complures alii pauperes ab initio conscenderunt ad summum gloriæ culmen, ita studiorum honestissimorum cultu provecti, ut majoribus omnibus suis virtute præluxerint?

Contradictio. Esto! Verùm, ut ait Juvenalis Satyr. 3,

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Solutio. Desidiâ torpentes non emergunt, sed qui per honestos labores ad summa nituntur. Respice Cleanthem, qui, licet obtusi tardiorisque fuerit ingenii, adeóque pauper, ut tempore nocturno cogeretur in hortis aquas haurire, quo posset interdiu studiis liberalibus operam impendere; tamen ad summum eruditionis & honoris fastigium pervenit, consecutusque est tantas facultates, ut alium, si voluisset, Cleanthem alere potuisset. Vide Laërtium Diogenem lib. 7. Quam matrem Euripides, aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque seculo fuit ignotum. Alterius autem matrem olera; alterius patrem cultellos venditasse, omnium penè doctorum literæ loquuntur. Sed quid aut illius Tragica, aut hujus oratoria clarius? ut ait Valerius Maximus, lib. 3. cap. 4,

Sed

Sed inopiâ pressos homines ad varia designanda flagitia paupertas impellit, ut per fas & nefas vitæ subsidia quærere cogantur. *Contradictio.*

Nihil repugno, si mali intelligantur, quorum cordibus illud fixum personat: Lucrum pudori præstat. quod Græci dicunt, Κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον. Sin boni, reluctor; cum ii longè satius ducant rei jacturam facere, quàm famæ, simul ac animi dispendium. Quin potiùs, ad omnia scelerum genera rapiuntur ipsi divites; nec divitiæ semper optimis contingunt. ut Homerus rectè dixerit: *Solutio.*

Ζεὺς αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Multo facilius pauperes criminum occasiones fugere poterunt, quàm divites, cùm desint illis opes, irritamenta malorum: his autem opus sit multis præceptis, ut bene & honestè vivant. ut Diogenes rectè paupertatem αὐτοδίδακτον appellaverit.

Ergo non in divitiis, unde malorum (ut aiunt) mare profluit; sed potiùs in virtute, summum est bonum collocandum. *Conclusio.*

DE LEGISLATIONE.
Quæ Græcè νόμου εἰσφορά.

CAP. XIV.

Legis quoque inductionem quidam exercitamentum esse putaverunt. Est enim propemodum tota causa, non tamen omnia quæ in causa sunt, intra se continens. Adfert personam quidem, sed incertam, & non omnibus notam. unde & in consultationis magis est parte, quàm causæ. Quatenus enim figuram in se habet personæ, superat consultationem; sed quà definitionem non habet, minor est causâ. Est autem duplex legis inductio. Confirmatio positæ legis, atque confutatio. Lex autem est inventio, & donum Deorum, communis institutio civitatis, & correctio utrinque erratorum. Divisio autem inducendæ legis est ista: Tractabis eam capitibus eisdem, quibus negotialem: Legitimo, justo, utili, possibili. Procemion facies; post procemion subjicies contrarium: hinc capitibus prædictis utêris. unde & hoc exercitamentum à causa differt.

Quid sit lex, vide l.2. ff. de leg.

EXEMPLUM, CONTINENS *accusationem legis, jubentis adulterum in ipso adulterio deprehensum interfici.*

Procemium.

Nec mihi videtur per omnia lex ista laudanda; nec rursus, quòd hoc modo lata, sit prorsus reprehendenda. Quod enim pœnam adulteris decernit, laudo planè: quod verò

Judi-

Judicum ſententiam non exſpectat, culpandum certè videtur. Si namque largitionis metu, ne qua Judices corrumpantur, judicia prævenit, ſuſpicax nimirum eſt, & iniquæ nimium erga judices mentis: ſin autem juſta judicare vos, quemadmodum facitis certè, arbitratur, iniquum eſſe conſtat, ſi lex Judices quidem laudet, tollat autem judicandi poteſtatem.

Aliæ ſanè leges, quæcunque demum eæ ſunt, & quacunque ratione perlatæ, diſcrepant fortè ab alicujus civitatis legibus, ſed & alterius rurſum legibus conveniunt: hæc autem ſola lex omnibus ſimul repugnat civitatum inſtitutis. Videmini autem mihi multo rectius de hac lege cogituri, ſi omnia recenſeatis conſulta veſtra, atque decreta. Duces bellorum, Sacerdotia, Plebiſcita, omniaque adeò, quæ circa rem militarem pertinent, Judicum ſubeunt diligentiam, fitque dux ille, quem Judex conſtituit; ſacrificat; qui judici videtur; juſtumque decretum eſt, quod populi ſententia perrogatum eſt. Victores quoque præmia non accipiunt bellorum, niſi judicata. Quomodo ergo non abſurdum eſt, omnia judiciorum arbitrium exſpectare, ſolam verò præſentem legem Judicum ſubterfugere cognitionem. *Contrarium.*

Sanè, inquit. Sed magnæ ſunt mœchorum injuriæ. *Contradictio.*

Quid autem? homicidarum ſcelera nonne ſunt graviora? anne proditores aliis ſceleſtis minores arbitramur? anne ſacrilegi proditoribus pejores ſunt? Attamen in his criminibus deprehenſus Judicum examini ſubjacet; neque proditor pœnas dat, niſi decernente *Solutio.*

nente Judice: neque perimitur ſicarius, niſi eo, qui accuſat, coarguente delictum: neque qui numinibus dicata præripuerunt, puniuntur, antequam Judex admiſſum cognoverit ſcelus. Nonne ergo iniquum eſt, majora, judicum vindictæ reſervari, neque quicquam eorum criminis loco, niſi judici liqueat, æſtimari, ſolùm autem adulterum ſine cognitione interfici? quem in primis, quia levior in eo, quàm in cæteris, culpa eſt, Judicum examini ſubjicere oportuit.

Contradictio. At quid refert, inquit, occidam adulterum, an Judicibus tradam, ſi utraque via morte pœnas luet?

Solutio. Quantum inter Tyrannum ac legem, inter popularem ſtatum ac unius principatum differt, tantum iſta inter ſe diverſa ſunt. Tyrannus enim unumquemque pro libidine ſua perimit: leges autem convictum juſtè occidunt. Et populus diſceptatione omnia atque contentione tractat, quo ſint explicatiora omnia: at rerum dominus etiam indicta cauſa occidit. Contra, populus & lex indicta cauſſâ non occidit; ſed omnia ab rerum Dominis & Tyrannis diverſa facit. Quid ergo? multumne intererit occidere adulterum, vel Judicum ſententiis puniendum tradere? Ad hæc quoque, qui per ſe adulterum occidit, ſe ipſum arbitrum pœnæ admiſſi ſceleris facit: qui verò judicibus tradit ipſum, penes illos vult eſſe poteſtatem, jusque animadvertendi. Neminem igitur dubitare crediderim, quin æquius ſit, ejus qui accuſatur, arbitrium eſſe apud Judicem, quàm apud accuſatorem. Quinetiam qui ſuo arbritratu adulterum occidit, alterius rei gratiâ occidere ipſum,

ipſum, adverſum ſe ſuſpicionem relinquit: at, qui judicio exhibet, ſolum juſta ſectari, præſentiusque ſceleris dolorem videbitur ulciſci.

Eſto, inquis, ſed graviores dabit pœnas ſubitò peremtus; quoniam, ſi ad Judices deferretur, illam temporis intercapedinem pro lucro haberet. *Contradictio.*

At contra porro habebit, ſi Judicibus ſubjicietur. Etenim judicio deſtinatus acerbiorem vitam exiget. Nam qui pœnam exſpectat, graviora ſupplicia, quàm ſi illam fuiſſet illico paſſus, ſentit. Quippe pœnæ dilatio pœnæ videbitur additio, morieturque ſæpe, qui jam pro mortuo habitus eſt, exſpectationemque ſuſtinebit morte duriorem. At, qui occiſus de improviſo adulter, non dolet, ſenſumque mortis pœnæ celeritas aufert: inſenſibilis enim eſt exitus, qui antequam exſpectetur, contingit. Mors autem ſæpius exſpectata, poſtquam ſemel illata, pœnas exſpectatione adauget. Age verò, ſi libet, conſidera hæc, conferque invicem. Ille per ſe ipſum occidit adulterum, nullumque facit ultionis ſuæ teſtem; alius Judicibus tradit, multoſque adhibet ſupplicio ſpectatores: acerbior haud dubiè ultionis modus, quicunque eſt oculis plurium ſubjectus. Et optabilius alioquin adulteris utcunque fuerit occultè perire, opinionem apud plerosque relicturis, inimicitiarum cauſa eſſe occiſos. Convicto autem apud Judices crimine, indubitatam jam reus, & nullis obnoxiam interpretationibus pœnam ſubibit. Itaque, plurimum intereſt, adulter an occultè trucidetur, an Judicibus tradatur afficiendus ſupplicio. *Solutio.*

Contradictio. Res atrox est adulter, omnium scelerum magnitudinem supergressus.

Solutio. Coarguatur ergo prius, quàm occidatur: judiceturque potiùs, quàm pœnas ante cognitionem incerto crimine, indictâque causâ, luat. Quodsi publicè necabuntur adulteri, certiorem facient procreationem, neque quisquam, cujus sit filius, deinceps dubitabit, ubi paterni nominis insidiæ, adulteria, fuerint ademta. Itaque, cùm sit adulterium publica quædam rerum naturæ injuria, publicâ quoque sententiâ plectatur. Vereor enim, ne adulter secreto occisus, multos post se alios relinquat. Nam, quia, cur occidatur, nescitur; ejus improbè facta multi imitabuntur. Sic ejusmodi pœna non adulterii finis, sed exordium erit.

SCHOLIA.

Legislatio. *Legislatio, &c.* Alii promulgationem legis appellant. De qua sic Quintilianus lib. 2. c. 4. Legum laus & vituperatio jam majores, ac propè summis operibus suffecturas, vires desiderant: quæ quidem suasoriis, an controversiis, magis accommodata sit exercitatio, consuetudine, & jure civitatum differt. Apud Græcos enim lator earum ad Judicem vocabatur; Romanis pro concione suadere, ac dissuadere, moris fuit.

Lex inventio Deorum, &c. Demosthenes in Aristogitonem, oratione priore, Πᾶς, inquit, ἐστὶ νόμος εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν· δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων. id est, Omnis lex inventum ac munus Deorum est; Decretum, prudentium hominum. Cic. Philipp. 10. Lex, inquit,

inquit, nihil aliud eſt, niſi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibensque contraria. Idem 1. de Legibus. Lex, inquit, eſt ratio ſumma inſita à naturâ, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria.

Quibus negotialem, &c. Cicero 2. de Inventione, duas generales conſtitutionis partes facit: Juridicialem, ac negotialem. Hanc ait in ipſo negotio juris civilis implicitam controverſiam habere. In ea autem quæritur; juſtum ſit, an injuſtum? utile, an inutile? ut ait Marcus Fabius Victorinus.

IN EXEMPLUM.

Nec mihi, &c. Solon conſtituit, fas eſſe deprehendenti mœchum interficere in ipſo adulterio. Et 9. de Legibus Plato ſanxit, Adulteram deprehenſam impunè occidi à viro poſſe. Idem cenſuit Cato, cujus meminit Gellius. Et Auguſtus legem Juliam tulit, gladioque juſſit in adulteros animadverti.

Iudicum ſententiam non exſpectat, &c. Non licet, inquit, adulterum occidere, niſi Judicum ſententiis damnatum. Et Valerius Publicola tulit legem, qua neminem licebat indictâ causâ necare.

Diſcrepant, &c. Civitatibus, inquit, aliis aliæ ſunt leges. Eſt proverbium: *Lex & regio.* Sed quæ ſunt aliis contrariæ, cum aliis conveniunt. Atqui lex de occidendis indictâ cauſâ adulteris, diſcrepat ab omnibus.

Duces bellorum, &c. Inductione vel enumeratione utitur. Imperatores, inquit, populi, Judicum atque magiſtratuum ſuffragiis crea-

creati, bella gerunt, & cum hostibus manum conserunt. Et capitale apud Carthaginenses erat, si quis injussu populi pugnasset infeliciter. Unde Annibal amissæ classis pœnas dare timens, offensam astutiâ mirè avertit. Vide Valer. lib. 4. cap. 3.

Plebiscita, &c. Vide Gellium, libro decimo, cap. 20.

Qui pœnam exspectat, &c. Multo gravior exspectata, quàm illata mors est. Quippe certi supplicii dilatio pœnam adauget. Unde Ovidius, 1. de Ponto:

Et gravior longâ fit mea pœna morâ:

Et tertio:

Mitiùs ille perit, subitâ qui mergitur undâ,
Quàm sua qui liquidis brachia lassat aquis.

Finis optandus. Unde rex Macedonum Philippus subitam mortem lentæ præposuit. Qui cùm interrogaretur: Quis homini finis maximè optandus esset? respondit: Qui subitus & celer inopinato ferro possit accidere. Vide Orosium, lib. 3. cap. 14. Et Julius Cæsar subitam ac celerem exoptavit mortem; ut scribit Suetonius Tranquillus.

EXEMPLA.

Confutatio Legis:

Lex Roscia. *Roscia*, qua Roscius Otho cavit, ne quis in ordine equestri spectacula videret, nisi haberet sestertia quadraginta.

Talionis. *Talionis*, & ejus, quæ jubebat corpus dissecari ejus, qui multa creditoribus deberet, nec esset solvendo. Gellius lib. 20. cap. 1.

Con-

Confirmatio Legis

Cinciæ, quam Cincius tulit: quâ cavebatur, ne quis ob caussam orandam pecuniam acciperet, aut donum. Cujus suasor Q. fuit Fabius admodum senex; ut ait Cicero in Catone Majore. *Cinciæ.*

Sumtuariæ, de qua Gellius, lib. 2. cap. 24. *Sumtuaria.*

Fusiæ; qua malis ac perniciosis legibus resistebatur. *Fusia.*

Voconiæ; quam suasit M. Cato: ut ait Cicero in Senect. Vide Gellium, lib. 17. cap. 6. *Voconia.*

Oppiæ; quam tulit M. Oppius, ne mulieres superfluo ornatu uterentur; neve pilentis, id est rhedis pensilibus, veherentur. vide Livium in princ. 3. lib. belli Macedonici. *Oppia.*

EXEMPLVM CONFIRMATONIS *legis Oppiæ*:

M. Oppius, Tribunus plebis, fuit summæ procul dubio prudentiæ vir. Qui publici magis commodi quàm gloriæ privatæ studiosus, hanc utilissimam omnibus imperiis legem tulit, à suo nomine dictam Oppïam. *Exordiũ à legislatoris encomio.*

Quæ si, juxta M. Fundanii & L. Valerii sententias, abrogaretur, omnibus aliis legibus repugnaretur, quæ volunt, in repub. vivendi rationem honestam conservandam esse, non superbiæ, sed virtutum studia semper excolenda. *A contrario.*

Quæ per superfluos mulierum ornatus contaminari, imò perditum iri, quis non videt? *A manifesto.*

videt? Etenim cultu nimio conspicuæ fœminæ non solùm in se convertunt virorum oculos, sed etiam animos in libidinem rapiunt. Illecebroso enim nuptarum amictu pellecti viri, nitorem admirantur ac sequuntur, donec telo jecur ictum findatur, pudicititæque fiat naufragium. Rectè igitur Jesus Syrach: Averte, inquit, faciem tuam à muliere comtâ; & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt; cùm autem (ut proverbio dicitur) ex aspectu nascatur amor, aiunt Democritum sibimet oculos ademisse tanquam omnium malarum cupiditatum autores. Cujus meminit Gellius, lib. 10. cap. 17.

A legitimo. Quodsi reliquæ leges, quæ maximam Reipublicæ utilitatem adferunt, sanctè conservantur, contra earum placita fuerit, eam è medio tolli, quæ cum optimis sentiens Reipublicæ statum incorruptum conservat, ac illustrat.

A justo. Liciniam, vel Æmyliam legem, qua frugalitas exigebatur, admisit ordo Senatorum ac Tribunitia potestas: quanto justius eam admiserint, quæ modestiam introducit, & superbiam, omnium malorum radicem, explodit?

Ab utili. Nulla res uberiora commoditatis bona poterit ad Reipublicæ statum immaculatum conservandum importare, quàm lex Oppia; quæ libidinem, fastum, ac omnem insolentiam intolerabilem reprimit mulierum, quarum mala tot proverbiis locum fecerunt. Quæ, quo minus habent mentis, tanto inhonestis voluptatibus sunt addictiores. Quantum autem ruboris civitatibus omnibus mulieres

lieres turpiter ac impotenter ſeſe gerendo incutiunt, tantum laudis afferunt graviter punitæ: quemadmodum illæ, de quibus olim Senatus Romanus juſtâ ſeveritate mandaverat Spurio Poſthumio, & Q. Martio Philippo Coſſ., ut de iis, quæ ſacris Bacchanalium inceſtu uſæ fuerant, inquirerent, & in omnes intra domos cognatas animadverterent, damnarentque. Multæ igitur damnatæ fuerant: latéque patens opprobrii deformitas, ſeveritate ſupplicii emendata: ut ait Valerius, lib.6. cap. 3.

Sed ais: fœminis olim vini uſus fuit interdictus. Verùm ne triſtis earum & horrida pudicitia, ſed eleganti ornatûs genere ornata eſſet, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multâ purpurâ ſunt uſæ. *Contradictio.*

Eſto! Sed auctore Valerio, tunc nulli ſubſeſſores alienorum matrimoniorum occulti metuebantur; ſed pariter & videre, & aſpici mutuo pudice dabatur: nunc alii ſunt mores, alia tempora. *Solutio.*

Non opus eſt pluribus verbis, cum Oppiam legem approbatu digniſſimam eſſe conſtet: utpote omnis luxuriæ atque ſuperbiæ expultricem, omniſque contrà pudicitiæ atque modeſtiæ conſervatricem. *Concluſio.*

SECVNDVM EXEMPLVM

confirmationis legis; Quæ jubet, ut liberi parentes alant, aut vinciantur.

Cùm nihil tam ſanctum ſit, quod non aliquâ ſoleat impiâ temeritate violari; ſapienter promulgata lex eſt, quæ licentioſam filiorum. *Hujus legis meminit.*

Quint. l.7. c.7. rum in parentes injuriam coërceat, ac pietatem, quæ, ut Cicero ait, fundamentum eſt omnium virtutum, ſanctè colendam atque conſervandam velit; jubens ut liberi Parentes alant; aut vinciantur.

A convenienti. Quid autem naturæ, quam optimam (ut Cicero ſcribit) ducem & tanquam Deum ſequi debemus, tam conſentaneum fuerit, quàm eos, unde vitam accepimus, venerari, confectoſque ſenio, & omni ope humanâ deſtitutos, beneficiis proſequi, atque nutrire?

A legitimo. Hoc ipſum Lex divina requirit, ac jubet, ut parentes honoremus. Exod. 20. Item. *Si qua vidua liberos ac nepotes habet, diſcat primùm propriam domum piè tractare, & vicem rependere majoribus.* 1. Tim. 5. Quippe Diis, parentibus ac magiſtris non poteſt æquivalens reddi. ut ait Ariſtot. 2. Ethic.

A juſto. Quid enim juſtius, quàm ſi parentes à te mutua caritatis & beneficiorum officia perceperint? juxta proverbium:

Ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδας.

Iniquiſſimum enim habetur, iis, qui noſtra cauſa tot moleſtias atque labores perpeſſi ſunt, malam gratiam referre, ac arietum more, nutricationis mercedem perſolvere, hoc eſt, pro benefactis maleficium reponere. Quod tam atrox crimen eſt, ac deteſtabile, ut juſtiſſimè pari quadam vindictâ parentum ac Deorum violatio ſit expianda.

Ab utili. Vix ullum Dei præceptum invenies, quod promiſſionis divinæ præmium habeat adjunctum, præter illud, quo parentes honorari jubemur. Exod. 20. Ubi Deus omnipotens promulgatâ lege pollicetur longam vitam,

atque

atque cœlestem benedictionem iis, qui parentes amore, beneficiisque fuerint prosecuti. Quod idem docet Ecclesiasticus, cap. 3. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis: & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet largiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.

Honorare quidem parentes, assurgere, & caput aperire possum, sed nihil dare; cùm ipse rerum mearum indigeam, atque nôrim, quàm sit mihi curta supellex. *Contradictio.*

Rectè Plutarchus inquit, Λιμῷ γὰρ οὐδὲν ἐστιν ἀντιλεγεῖν ἔπος. Hoc est, Contra famem nulla contradictio. Non officiosus orationis fucus inopiam parentum tollit, sed compensatio beneficiorum, & adminicula; qui verbo tenus amici sunt, non amici, sed adulatores habentur. Unde Ecclesiasticus: In opere, inquit, & sermone, & omni patientiâ honora patrem tuum; ut superveniat tibi benedictio à Deo. Et S. Johannes: Filioli mei, ne diligamus verbo, neque linguâ; sed opere, & veritate. *Solutio.*

Videmus, hoc vulgo contingere solitum, ut qualis quisque fuerit in parentes, tales experiatur in se liberos. Exemplo sit ille, qui cum à filio crinibus pertaheretur, ventumque esset ad domûs limen: Desine, inquit, fili; nam & ego patrem hucusque. Et accusatus ille, quòd patrem pulsasset, hoc modo defendit impium facinus. Et ille, inquit, patrem suum verberavit; & hic, ostenso filio, me verberabit, postquam adoleverit. Primus juxta Ambrosii sententiam pietatis gradus est iste, ut quos *A neglecta pietatis incommodo sequente.*

quos auctores vitæ voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis. At qui contemserit aut maledixerit patri, atque matri, exstinguetur lumen ejus in mediis tenebris; & oculum ejus corvi juxta flumen effodient. Proverb. 20. & 30.

A possibili, & facili. Nec res ardua, neque dura factu, parentes venerari, atque alere; cum filiis corpora integra, sana, ac robusta sint à Deo concessa, quo possint imbecillibus victum quærere: nec ætate confecti multa requirunt, cùm effœtorum emarcuerint vires, cùm edendi cupiditas absumta, cùm ademta voluptas atque luxus, cùm denique natura, maximè senum, paucis contenta sit. Respice Pollionem Romulum, qui centesimum ingressus annum, non magno sumptu, sed exiguis impendiis corporis vigorem servâsse legitur, intus mulso, foris oleo.

Contradictio. Valde molestum est, illos fovere, qui fastidiosi sunt, ac nauseosi: quibus edentulis gingivâ frangendus panis inermi; ut ait Juvenalis.

Solutio. Ista vox bovis est; non hominis. Quodsi rationis expers ciconia parentes non aversatur, neque fastidit, sed defectos senectâ vicissim alit, & volandi impotentes humeris gestat, ut inde natum sit proverbium Ἀντιπελαργεῖν: quid tu feris immanior, mutuam officii vicem gravaris rependere, maximè nutricandi fovendique eos, à quibus aliquando fueris enutritus?

Contradictio. Sed admodum est difficile, eos alimentis sustinere, qui morosi, inutiles, deliri sunt & iracundi, ut Sophoclis filii patrem meritò videantur accusasse, &c.

Paren-

Parentum mores & vitia noveris; non oderis. Illud officii tui ſcias eſſe, pietatem colere, legibuſque ſacris obtemperare. Suſcipe igitur ſenectam patris tui, & non contriſta. Si defecerit ſenſu, veniam da; & non ſpernas eum in virtute tuâ. Eccleſiaſtic. 3. Quod ſi feceris, ad fortunatam cum laude ſumma pervenies ſenectutem: quam Bion ille Boryſthenites malorum appellavit portum, eoque properandum omnibus malorum finem ſperantibus. *Solutio.*

Sanè quidem! ſed quis tam pius eſt, qui poſſit æquiore animo ferre tot moleſtias atque labores nutriendi eos, quorum bis puerorum ſenum paupertas ſordida, atque miſeriæ, queant alicui horrorem incutere? *Contradictio.*

Non diffiteor, egenorum ac ſenum parentum horridam atque miſeram conditionem eſſe, ut Diogenes percontanti; quid eſſet in vita miſerrimum? reſpondit: Senex egenus. Atqui tu veræ pietatis adfectu flagrans, omne tædium devorabis, cunctoque præſidio deſtitutos ſuffulcies, quem olim te parentes genuerunt, futurum ſenectutis ſuæ baculum, ſolatium vitæ, & ſpem poſteritatis. Admodùm piè quondam illa fecit Ethnica fœmina, quæ patrem, cuſtodiæ traditum, jam ultimæ ſenectutis, velut infantem, pectori ſuo admotum aluit: ut ait Valerius, lib. 5. cap. 4. *Solutio.*

Sed, inquis, Mihi uxor alenda, liberi, numeroſa familia; idque in tanta annonæ gravioris caritate, ut nihil ſit reliqui, quod parentibus impertiri poſſim. *Contradictio.*

Nemo requirit, ut liberalitatis tuæ benignitas major ſit, quàm facultates. Quomodo potueris, ita miſericors eſto. Si multum tibi fue- *Solutio.*

fuerit, abundanter tribue; si exiguum, parciùs: ut Tobias docuit. Quod si juxta S. Jacobi sententiam, is, qui nullâ caritate præditus fratrem oderit, homicida est: item, qui viderit egentem, & ab eo clauserit viscera sua, reus habetur ejusdem criminis: quanto magis erit is homicida, imò parricida, qui parentes inediâ contabescere, ac rerum inopiâ marcescentes, perire sustinuerit? In quod bipedum nequissimorum hominum genus sapientes olim viri supplicium excogitarunt singulare, ut quem ipsa natura in officio retinere non potuisset, is magnitudine pœnæ maleficio summoveretur. Insuebatur enim parricida culeo, cum cane, gallinaceo, viperâ & simiâ, & inter eas ferales angustias comprehensus, in vicinum mare vel amnem projiciebatur. Etenim ei repentè cœlum, solem, aquam & terram ademerunt; ut qui eum necasset, unde ipse natus esset, careretque iis rebus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. ut ait Cicero pro Roscio Amerino.

Conclusio. Ergo, quibus pietas est curæ, promulgatam de parentibus alendis atque sustentandis legem tuebuntur, atque conservabunt; cum multarum virtutum, atque præmiorum divinorum fons sit uberrimus, & origo.

TERTIUM EXEMPLUM
comprobationis legis: quâ apud Helvetios cavetur, ne quis invitatione ad bibendum urgeatur.

Autore Petro Mosellano.

MUlta quidem præclarè in sua ditione instituunt fortissimi libertatis suæ defensores

res Helvetii; ſed nihil præclarius, nihil laudabilius, nihil Reipubl. utilius, quàm quod ab illis nuper ſcitum eſt. Nam, cùm per ebrietatem paſſim peccari viderent: ut aditus ad id vitii omnes præcluderent, in ſua ditione ſtatuerunt, ne cui deinceps alios, vulgarium iſtarum invitationum prætextu, ad ebrietatem ſolicitare impunè liceat. Quid autem per Deum immortalem, aut honeſtius, aut præclarius temperantiâ atque omnis vitæ moderatione? Imò, quid ſine hac vel in civitatum Curiis, vel populi concionibus, vel principum aulis, rectè aut conſulitur, aut conſultum facto præſtatur? Sed hæc in perverſa illa bibendi neceſſitate, quæ per invitationes illas mutuas irrepſit, vigere non poteſt: citiùs enim ex pumice aquam hauſeris, quàm ebrio ſobrium aut dictum aut factum extorſeris. Quodſi ſobrietas ac vitæ moderatio ſola eſt, quæ omnium virtutum officia parit, alit, conſervat, ac tuetur; rurſum ebrietas omnem mentis uſum pervertit, omnem vitæ humanæ dignitatem commaculat: an non votis omnibus expetita erat lux ea, quæ & ſiſteret ebrietatem, & potionis moderationem procuraret? Quid autem perinde utile, atque in Republ. cavere ne ſit impune illud, cujus licentia omnia corrumpit, omnia perdit? Quid enim tam emollit, imò frangit & animos & corpora civium, quàm liberior commeſſatio, compotatióque? An non Reſpubl. Romana, quamdiu frugalitatem ſervavit, tamdiu adverſum omnes hoſtium inſultus inexpugnabilis ſtetit? At poſteaquam luxu certari invicem cœptum; ita cecidit, ut ne ruinæ quidem veſtigia aliqua ſuperſint. Hannibal tum primum vinci cœpit

à Ro-

à Romanis, cùm exercitum suum Campano luxu solvi enervarique passus est. Unde tot insani amores? tot stupra? tot adulteria? nisi ex otiosorum hominum temulentia? Verum enim est illud, Sine Cerere & Libero frigere Venerem. Unde tot rixæ? tot vulnera? tot cædes? nisi ex temulentorum compotationibus? Cui alii tot ac tantas rei familaris dissipationes, tot patrimoniorum abligúritiones debemus, quàm conviviis in ebrietatem solutis, atque horum parenti luxuriæ? Quæ res tam multos adolescentes, alioqui felicissimè natos, ab artium optimarum virtutumque cultu abducit, quàm studium compotationum? Primùm corporis otium, in quo ferè degunt qui literis adhibentur, mater est variarum cupiditatum. Quodsi huic compotandi quoque licentiam addideris, quæso te, qui fieri non potest, quin in animis parum firmis, pro virtutum bonarumque artium cultu, omnium libidinum seges sensim pullulescat? Quodsi spes omnis in hac ætate rectè formanda, velut agricolis in herba, posita est; nihil poterat eâ lege excogitari utilius, quæ, quod unum omnem eam spem semel præcîdit, hoc tollit? Neque enim audio eos, qui in tanto errantium consensu nihil valituram legem jactant. Nihil enim vel rectiùs imperatur, vel faciliùs recipitur, quàm quod tacitus naturæ sensus non potest non probare. Quis autem tam efferatus & ab omni humanitate remotus est, cui non rem rectâ viâ reputanti, supra quàm natura postulet, ad altæ stultitiæ præscriptum bibere, naturæ inimicissimum esse videatur? Compotoris hominis privati puerilis & stultus affectus, ut me ipse ebrietatis probro afficiam

ciam, persuadebit: & patriæ, in cujus verba juratum est ab omnibus, æquissima, cunctisque saluberrima lex, ut sobriè agam, & me hominem esse meminerim, non impetrabit? In gratiamne potoris alicujus immodicâ potione ita me prosternam, ut, præter figuram, humani mihi reliquum sit nihil? & populi fortissimi laudatissimique, cui parere summa est utilitas, legem, omnium ornamentorum vitæ parentem & altricem, recipere gravabor? Amplectenda ergo omnibus ea lex, qua nihil neque honestius, neque præclarius, neque facto jucundius, fortissimi populi magistratus ferre potuere.

FINIS.



INDEX PROGYMNASMATVM APHTHONII.

INDEX

AVCTARIVM

CONTINENS

VARIATIONEM

TRACTATIONIS

FABVLARVM,

ET

CHREIARVM.

TRACTATIO FABVLARVM.

FABVLA TRACTATVR *vel*

Narratione nuda, *quando fabula ſine doctrina proponitur.*

Narratione, & Doctrina *conjunctis, quæ doctrina vel*

Præponitur, *& προμύθιον vocatur.*

Poſtponitur, & *ἐπιμύθιον nuncupatur.*

Præponitur, & Poſtponitur.

Breviter, *aut Laconicè, verbis paucis.*

Fuſe *aut Aſiaticè, ſtylo laxiore.*

Partibus Oratoriis, *quæ ſunt:*

Exordium *à laude autoris, commendatione ipſius Fabulæ, aut rei in Fabula tractandæ encomio. Si vituperatione opus fuerit, contrarium fit.*

Propoſitio *continens doctrinam ex Fabulâ petendam quæ tum προμύθιον dicitur.*

Narratio *ipſius Fabulæ, ſermocinationem aut proſopopœiam inſtituens.*

Vtraque hæc pars etiam commutari poteſt, ut Narratio præcedat: & Propoſitio ſequatur, ac ἐπιμύθιον fiat.

Confirmatio *inſtituens collationem dictorum, factorum, & rerum in fabula propoſitarum, aut exaggerationem accuratius fabulæ doctrinam enucleantem, aut Hypotheſin ad Theſin transferens.*

Confutatio *contrarium in confirmatione dictorum afferens, aut refutans ea, quæ opponi poſſunt.*

Concluſio *doctrinam ex fabula diſcendam repetens.*

FABV-

FABVLA
DE
GALLO
VNIONIS REPERTORE.

I. *Nuda Narratio Fabulæ diversis Variationibus brevissimis proposita.* I. Variatio.



Nioni reperto Gallus fimetum eruens dicebat: Quid te invento opus est mihi, qui te uti non possum, & tritici granis delector?

Vnionem repertum Gallus eruendo fimeto occupatus contempsit dicens: illum nulli usui esse sibi, qui tritici granis vesceretur.

Vnio repertus contemnebatur à Gallo fimetum eruente, & dicente, quod sibi granum tritici inventum longè gratius, & utilius fuisset.

Vnionis repertio Gallum in fimeto stercora eruentem nullo gaudio affecit, quod eo, sicut tritici grano alimentum præbente, uti non posset.

Ex unione reperto commodi & emolumenti non tantum, quantum ex tritici grano, sibi utiliore, se capere posse, Gallus fimeti stercora excutiens dicebat.

Vnionis reperti emolumentum, & commodum nullum, at tritici, si ejus loco obla-

tum esset, maximum sentire possem, Gallus ait, qui in fimeto eruto eum invenerat.

Quid mihi opus est te reperto, inquit Gallus, qui fimum eruens unionem inter stercora repererat, cum tritici grana investigaret.

Grani tritici loco se obtulerat unio fimum unguibus disjicienti Gallo Gallinaceo, eâque de causâ dicenti; Vtinam tritici granum invenissem, & te non vidissem, qui mihi usui nulli esse poteris.

Maluisset Gallus Gallinaceus, se tritici grana reperisse loco unionis, qui ipsi fimetum eruenti se obtulerat.

Haud acceptus erat unio, quem in fimeti stercoribus excussis ostenderat Gallus Gallinaceus, tritici granis magis se delectans.

Gallus fimetum eruens incidit in unionem sibi haud acceptum, utpote qui tritici grana quærebat.

Galli Gallinacei sedulitas in fimeto eruto tritici grana investigans, unionem detexit, haud tamen gratum & acceptum; cum nulla ex ipso utilitas percipi potuerit.

Gallo Gallinaceo fimeti stercora sedulitate indefessâ everrenti obvenit unio, pretiosus quidem, sed tamen ab ipso susque deque habitus, & planè contemtus, cum id nutrimenti suppeditare non posset, quod tritici grana subministrare solent.

Gallum Gallinaceum tritici grana in sterquilinio indagantem voluptate & gaudio non potuit afficere pretium & splendor unionis inventi quidèm, sed id alimenti non præbentis, quod tritici grana exhibere possunt.

A Gallo Gallinaceo tritici grana in fimeti stercoribus conquirente repudiabatur unio inven-

inventus, & indignam hanc vocem audiens: Quid tu, indigne unio, triticei grani loco te mihi obtrudis, qui ex te nihil emolumenti capere ſcio?

Indignatus Gallus, unionem in ſtercoribus erutis à ſe inventum, his increpabat verbis, dicens; Quo pacto tu, qui nullum ſanè alimentum, aut nutrimentum exhibes, in hæc ſtercora incidiſti? Satius fuiſſet, ſi tritici granum aliquod offendiſſem, & te non reperiſſem: Ex illo in me utilitas accepta redundare ſolet: Tu omni fructu carens nihil emolumenti in me conferre potes.

Gallus unionem in fimeto inventum, & ſibi inutilem repudiavit, ejuſque loco tritici granum exoptavit.

Tæduit Gallum laboris collocati in repertione unionis, qui triticei grani loco ipſi fimum eruenti obvenerat.

Indignatus eſt Gallus repertionem unionis, ipſi fimetum unguibus excutienti loco triticei grani obvenientis.

II. *Ejuſdem Fabulæ commemoratio nuda, verborum ambage prolixa, & & Aſiatico ſtylo propoſita.* II. Variatio.

IN ſterquilinium proximè ſtabulum quoddam equorum congeſtum ſolebat cum Gallinis adſcendere Gallus Gallinaceus, cauſâ eruendi grana tritici, & hordei, aut etiam avenæ, quibus equi paſcebantur. Contigit autem quodam tempore, cum inquirendis ejuſmodi granis operoſiſſimus eſſet; unguibuſque ſuis multum negotii faceſſeret, ut fortè fortuna in unio-

unionem incideret, rutilante suo splendore oculos perstringentem, quem ita affatus est: Nec tibi, ô pretiosissime unio, nec mihi prodest, quod in potestatem meam incideris, & ei te obtuleris, qui tibi nullum honorem, ac ornamentum conciliare novi, & quem tu emolumento nullo locupletare potes. In fimetorum stercoribus nos Galli alimenta nobis necessaria, quibus vitam sustentemus oportet, quærimus, & ex iis tritici aut alius frumenti grana eruimus. Ea nobis nutrimentum gratissimum exhibent, & faciunt, ut nos Galli strenuè rerum nostrarum satagere possimus, & Gallinæ uxores nostræ magnam ovorum copiam parere queant. Nos plumis pulcherrimis ornati à naturâ, unionum ornamentis non indigemus, nec uxoribus nostris pulchritudine sua naturali satis decoris, ejusmodi ornatu peregrino opus est. Si tuo loco tritici aut hordei granum se obtulisset, illud summo gaudio sustulissem, maximaque voluptate deglutivissem. In te cum utilitatem nullam reperiam, necesse est, ut te hîc inter stercora tam diu relinquam, donec ab homine aliquo casu inventus in digniorem locum eveharis, & auro circumdatus niveis puellarum manibus, aut fœminarum pulchritudine mirâ illustrium faciebus aspectu jucundissimis, ornamentum ac honorem concilies. His dictis abiit, unionemque inter stercora aliquando inveniendum reliquit.

Alia Variatio.

EQuili cuidam, haud exiguæ equorum nobilissimorum multitudini habitationem præ-

præbenti, contiguum erat ſterquilinium, ſtercoribus equinis locuples, quod Gallus Gallinaceus, multarum Gallinarum partim uxorum, partim liberorum comitatu ſtipatus, ſingulis diebus frequentare ſolebat, ut frumenti granis, quæ ſtercoribus commixta in fimeto latitabant, inventis & erutis ſe ſuamque familiam ſuſtentaret. Quodam die cum totam familiam ſuam, ſummo manè cantu alacri excitatam, ex gallinario in fimetum dictum eduxiſſet, ut ibi excutiendis ſtercoribus, & indagandis granis ſummâ diligentiâ vacarent, fortè fortunâ uſu venit, ut ipſe paterfamilias Gallus haud ſegniter operi incumbens, ac laborioſo exemplo ſuis præiens, inter ſtercora aliquid offenderet, ſolitam granorum magnitudinem excedens, quod ipſum gaudio haud exiguo perfudit. Etenim ſibi perſuadebat, aut granum eſſe conſueta magnitudine majus, aut certè acervum ex granis pluribus compactum, qui ſtercorum humiditate imbutus, & granorum lentitudine quaſi conglutinatus, in ejuſmodi globum coaluiſſet. Ejus igitur acquirendi ardore maximo inflammatus, & ungues ac roſtrum conglobatis ſtercoribus inſerens, verrendo, eruendo, & tundendo, omnes ſtraminum & ſtercorum impuritates dimovet, globum denudat, ac tandem fulgidum quiddam detegit, quod in angulos nullos deſinens, ſed quicquid oſtentabat, rotundum exſerens, inuſitato ſplendore & incredibili fulgore oculorum aciem præſtringebat, & duritie ſua illæſa roſtri tundentis ictus crebriores elidebat. Figura ſplendore rutilante oculos feriens, ſcintillantique luce aërem irradians, mox ſe

ipsam prodidit, & Gallo Gallinaceo statim innotuit, quod unio pretiosissimus esset, qui ob pulchritudinem suam inter mortales acceptissimus, muliebris sexus formæ gratissimæ ornatum incredibilem conciliaret, & in coronis ac diadematibus regiis, & imperatoriis primum locum occuparet. Gallus Gallinaceus partim illustrissimo splendore perculsus, partim vero stomachabundus, quod omni spe & expectatione frustratus, rei, inutilissimæ sibi, inventione à fortuna delusus esset, & ne minimum quidem commodum ex re, apud homines pretiosissima, apud se vilissimâ, percipere posset, postquam aliquandiu cum stupore & indignatione unionem aspexisset, tandem rupto silentio in hæc verba erupit: Tantum laboris & negotii unguibus meis, ac pedibus, membrisque omnibus facessivi; Tanto animi fervore ac studio quærendis hordei granis incubui; Tantâ spe atque expectatione prædam speratam, & avidissima cupiditate investigatam præstolatus sum; Tanta lætitia exultante animo prædam falsam vice prima deprehendi; ut nemo majore fatigatione corpus suum afficere, ardentiore desiderio hordei grana venari, insigniori spe rapinam desideratam expectare aut majori gaudio exilire queat. Quid commodi labor mihi affert? Quid utilitatis spes & expectatio mihi exhibet? Quid fructus ardor & fervor animi mihi parit? Quid emolumenti gaudium falsum mihi confert? Qui me ipsum labore defatigavi, fervore ac contentione animum meum maceravi, spe falsa expectationem meam delusi, & gaudio falso exultavi, hujus vitri splendore coruscante, & radios scintillantes

emit-

emittente, oculos quidem meos pascere possum, sed latrantibus stomachi strepitibus, & mugitibus satisfacere nequeo. Quid, quæso, adjumenti redundare poterit in me ex inventione tui, qui vel minimo emolumento me meosque afficere nescis? Vtinam hordei, aut avenæ, aliusque frumenti vel leguminis grana se mihi obtulissent: tu verò te inseruisses manui pulcherrimæ alicujus virginis, formosissimam suam faciem splendore tuo summo exornare studentis, quæ te in tam sordido loco inventum incredibili lætitia mox sustulisset, atque aquâ limpidâ, vel liquore rosarum fragrantissimo, lotum & purgatum in arcam suam reposuisset, ut postea, te ornatui suo insertum, capiti suo formosissimo imponeret. Vt ego tibi honorem aliquem exhibeam, eâque quâ par est, dignitate excipiam, penes me non est, qui solis hordei granis delector, solis avenæ granis vivo, & solis leguminum granis nutrior. Nullus tibi succus, nullus humor, nullus liquor suppetit, qui in nutrimentum conversus succo ac sanguini meo alimentum necessarium suppeditare possit. Itaque operæ pretium non est, ut tui usûs meditatione mentis meæ penetralia turbem, cerebrumque inanibus cogitationibus fatigem: Pristinum laborem repetens, granisque frumenti reperiendis solitam operam navans, te in stercore, in quo inventus es, sordidum ac turpem relinquo iis, quos tui compotes reddere casui fortunæ cæco libuerit.

III. Variatio.

III. *Narratio præcedentis Fabulæ, brevibus Variationibus tractata, & doctrinam præmittens.*

FOrtunam indignis sæpe bona offerre quæ ad usum adhibere nesciant, imò etiam probro afficere soleant, Gallus Gallinaceus documento nobis est, cui sterquilinium eruenti unio inventus nulli usui; sed despectui fuit.

Bona indignis oblata, non modo ad usum adhiberi ab iis sæpe non possunt, sed etiam infamari solent. Docet id Gallus Gallinaceus exemplo suo, qui unionem in sterquilinio inventum usurpare nequivit, atque ideò contempsit.

Vt porco amaracus planè inutilis est; ita etiam indignis oblata bona nihil emolumenti afferunt. Exemplo est Gallus Gallinaceus, qui inventum in fimeto unionem ideo despexit, quod ex eo commodum nullum percipere poterat.

Fortuna cæco casu præceps indignis juxta cum dignis bona offert, illis inutilia, his utilia: Elucet hoc ex Galli Gallinacci exemplo stultissimo, qui unionem in fimeto repertum, sibique inutilem, susque deque habuit.

Indigni bonorum casu oblatorum nullam rationem habent, imò infamiam ipsis conciliant. Fecit id Gallus Gallinaceus, cui repertus vnio inter fimeti stercora ludibrio fuit.

Bona oblata indigni despiciunt; sicut Gallus Gallinaceus, cui tritici granum, reperto unione, longe potius fuerat.

Indignos bonis oblatis non dignos esse, arguit:

guit gallinarum maritus ſtolidus, cui præ tritici grano invento unionis pretium nihil plane fuit.

Etiamſi indignis à Fortuna ſplendor & bona offerantur, non tamen ipſis conducunt, imò etiam ſæpè ludibrio & dedecori ſunt. Indignus profectò fuit Gallus Gallinaceus, cui cæcus caſus in fimeto unionem largitus eſt. Ei enim non honorem & ornamentum, ſed infamiam conciliavit.

Plures ſplendorem & fortunæ cæcæ bona caſu ſibi oblata deſpicatui ducunt, tantum abeſt, ut iis uti ſciant. In talium numerum referas licet Gallum Gallinaceum, unionis in fimeto reperti ſplendorem adeò contemnentem, ut granum tritici, quàm illum, ſibi oblatum maluerit.

Indignis ſæpiſſimè boni quid accidere, patet ex Galli Gallinacei caſu proſpero, ipſi fimetum eruenti unionem pretioſiſſimum largiente, quem ſtolidus contemptum uſurpare neſcivit.

In bonis diſtribuendis Fortuna oculis orba cæco caſu ruit, & indignis juxtà cum dignis ſplendida quæque offert. Obtulerat Gallo Gallinaceo fimum eruenti unionem pretioſiſſimum: Eum ſtolidus uſurpare neſciens ludibrio habuit.

Indigno ſplendidiſſima quæque offeras licet; viliſſima tamen iis potiora ducet. Gallo fimetum excutienti unio pretioſiſſimus in ungues incidit. Maluit granum tritici ſtolidus, qui unionis uſum neſciebat.

Quid Sui cum amaraco? iis dicimus, quos bonis oblatis indignos judicamus. Quadrat proverbialis locutio in Gallum Gallina-

 ceum.

ceum. cui unio repertus idem fuit quod Sui amaracus.

Indignis bona oblata nulli ſunt uſui,ut unio in fimeto repertus Gallo Gallinaceo nullam utilitatem peperit.

Ex bonis oblatis idem emolumentum capiunt indigni, quod ex unione reperto & contempto cepit Gallus Gallinaceus.

Tantum ex bonis oblatis commodi redundabit in indignos,quantum utilitatis ex unionis repertione derivatum eſt in Gallum Gallinaceum ex tritici grano plus voluptatis capientem.

Non eſt cur Fortuna indignis bona offerat: Iis uti neſciunt; Imo pretioſa licet, contemnunt.Aſpice ſtoliditatem Galli unionem inventum ſuſque deque habentis, ac tritici grano ſe magis oblectantis.

O cæcam fortunam, iis bona offerentem, qui indigni non modò uſum neſciunt, ſed etiam pretioſiſſima nihili ducunt! Gallus repererat unionem; repertum contempſit, & Fortunæ munificentia ſe indigniſſimum indicavit.

IV. Variatio.

IV. *Ejuſdem de Gallo Gallinaceo Fabulæ tractatio fuſa, doctrinam Exordii loco ponens.*

FOrtuna oculis orba,cæcoque impetu ruens, indignos juxtà cum dignis bonorum ſuorum participes reddit, nec eorum tantum rationem habet, qui felicitatem meruerunt, verum etiam eos beneficiis afficit, qui talia meritis ſuis nunquam conſequuti ſunt. Digni-

gni dona sibi collata in pretio habent, & ad eos usus adhibent, ad quos destinata esse sciunt: divitiis cumulati, nec prodigorum more eas profundunt, nec avarorum ritu ferro inclusas custodiunt, sed mediocritatem sectantes liberali distributione ad usus necessarios conferunt: Ad honorum gradus altissimos evecti superbiâ non efferuntur, nec nimiâ & sordidâ humilitate se ipsos deprimunt, sed honoribus suis vitam consentaneam ducunt: Alia item bona, quæ casu felicitatis prospero nacti sunt, in usum necessarium ita redigunt, ut emolumenti sperati & optati compotes fiant. Indigni è contrario Fortunæ bonis ornati totum ordinem invertunt, & proverbiali locutioni. Quid Sui cum amaraco? locum faciunt. Divitiis abutentes, eas aut nimiâ profusione prodigere solent, aut tenacissimâ custodiâ in arcis firmissimis servare consueverunt. In honorum locati solio superbiâ tantâ inflantur, ut tandem ab ipsâ fortunâ tantorum bonorum collationis pertæsâ de gradu suo deturbentur: Sordidi verò, & Epicuri de grege porci pari ratione honoribus utuntur, quâ porcus holosericum amictum usurpat: Reliquas porro casus fortunati largitiones etiamsi accipiant, perinde tamen est, ac si earundem participes redditi non essent, utpote qui fortunæ bonis ornamenta debita attribuere nesciunt. Exemplorum farraginem, historicorum tam veterum, quàm recentiorum monumenta abundè suppeditant, priorumque prudentiam, & posteriorum stoliditatem satis superque arguunt. Horum autem posteriorum stultitia clarissime quoque lucescit ex lepidissimâ Æsopi Fabulâ de Gallo Gallinaceo,

qui

qui unionis inventor indignus ejusmodi hominum indignitatem graphice depingit Gallinaceum genus frumenti granis libentissimè vescitur, vitamq; iis sustentans, eorum inquisitioni sedulam & strenuam operam impendere solet. Hinc fit, ut sterquiliniorum & fimetorum acervos Gallorum & Gallinarum cœtus frequentantes unguium suorum exercitio & stercorum erutorum inversione, & disjectione granis potiantur, ac ubique in sterquiliniis laborantes conspiciantur. Idem in more positum fuit Gallo cuidam Gallinaceo admodum seni, qui in spacioso suo gallinario cum uxoribus, & numerosissimâ prole ex utriusque sexus liberis & nepotibus constante habitans, vicinus fuit equorum generosorum ibidem in equili lato & amplo degentium. Haud procul à stabulo fimetum jacebat, ex stercoribus equinis quotidiè ex equili in eum locum evectis congestum, & hordei ac avenæ granis abundans, quod equis frumenti genera ea singulis diebus in pabulo exhiberentur. Solet autem plerumque fieri, ut nonnulla grana in equorum stomachis non concoquantur, sed integra maneant, & cum stercoribus excreta in sterquilinio reponantur: quibus & illa accedunt, quæ ab equis, pabulo suo vescentibus, ex præsepibus deturbata, stramini & stercoribus miscentur, & in fimetum evehuntur. Huc singulis mane Gallus senex totam suam deducebat familiam, ut de victu necessario sibi prospicerent omnes, ac frumenti granis indagandis labori sedulo incumberent. Stercorum acervus iste prolixum spacium occupaverat, quotidianisq; quisquiliis ex equili, plurimorum equorum domicilio, adjectis ita

accre-

accreverat, ut facilè toti Gallinarum, & Gallorum cohorti largam granorum copiam sufficeret. Tempore quodam Gallus cum familiâ suâ more solito sterquilinium illud inviserat, èruendisque, & disjiciendis stercoribus occupatissimus, tritici grani loco unionem offenderat splendore suo aciem oculorum præstringentem. Admirabatur quidem fulgorem ex eo elucentem, ac pretium ejus grande esse sibi persuadebat: Sed tamen molestissimè ferens, quod ejus loco triticeum, aut hordeaceum granum non inveniret, his verbis indignationem suam prodebat: Quid te invento opus est mihi, qui ex te nullum fructum petere scio, & ex frumenti granis majus oblectamentum capio? Satius fuisset, ut hordeum, aut triticum, aut avenam, quæ frumenta mihi alimentum necessarium præbent, offendissem; & tu in conspectum meum, cui nulli usui esse potes, nunquam prodiisses. Mulierum pulchritudine & superbiâ clararum usui inservis, & vel capita, vel manus, vel vestes ipsarum exornas, eâque de causâ ab hominibus in magno pretio haberis. Nos Galli & Gallinæ cristis & plumis nostris satis superque exornatæ, tuo ornamento, quo homines ornatos reddis, minimè egemus, omnemque operam in hoc sterquilinio in frumenti granis indagandis & conquirendis collocamus, & uniones non quærimus. His enim nec alimentum nec nutrimentum sufficientibus, generi nostro neutiquam opus est, sed iis tantum rebus quæ corpus nostrum alimento dulci nutriunt, restaurant, & sustentant. In fimeto te sordidum unionem reperio; in fimeto eodem te nemini

mini noſtrùm utilem relinquo. His dictis unionem iterum ſtercoribus texit, indagandiſque frumenti granis perrexit.

V. Variatio.

V. *Eidem Fabulæ breviter tractatæ doctrina poſtpoſita.*

GAllus Gallinaceus unionem inventum deſpexit: Facere idem ſolent, quibus indignis fortunæ bona offeruntur.

Galli Gallinacei unionem inventum ſuſque deque habentis ſtoliditas, eorum arguit dementiam, qui bonis à fortunâ oblatis indigni, eorundem etiam ne minimam quidem curam gerunt.

Gallo Gallinaceo diſplicuit unio inventus, quod eo uti non poſſet. Idem accidit iis qui fortunæ bona oblata uſurpare neſciunt.

Gallum Gallinaceum voluptate non permulcebat repertus unio. Sic dignos gaudio non perfundunt bona, quæ ex fortunæ largiſſimo penu in ipſos redundant.

Quid tibi, ô Galle Gallinacee, potuiſſet prodeſſe inventus unio, quem ad uſum adhibere neſcivisti? Et quid indigno proſunt bona, quæ ad ipſum ex Fortunæ promptuario ditiſſimo derivantur?

A Gallo Gallinaceo fimetum eruente deſpicatui ducebatur unio repertus, & Gallinaceo generi inutilis. Ab indignis ludibrio habentur ea bonorum genera, quæ liberalitas fortunæ cæcâ diſtributione diſpertitur.

Gallum Gallinaceum Vnionis repertorem & contemptorem imitantur omnes illi, quorum indignitas fortunæ bona nec æſtimare, nec uſurpare novit.

Vnio

Vnio repertus in fimeto Gallum contemptorem habuit, quemadmodum Fortunæ bona indignorum ludibrio expoſita ſunt.

Vnionis ex fimeto eruti pretium & dignitatem ignorans Gallus, eundem contemptui habuit, & mores indicavit eorum, quos indignos Fortuna, cæco impetu ſua diſpergens, muneribus ſuis affecit.

Vnioni reperto in fimeto honorem, ac ornamentum conciliare neſciens Gallus, æmulos reliquit omnes indignos, qui fortunæ muneribus cumulati eorum dignitatem & uſum neſciunt.

Vnionem erutum ex ſterquilinio Gallus contempſit & docuit, indignis fortunæ munera idem eſſe, quod ſuibus amaracus.

In unione reperto tantum emolumenti offendit Gallus Gallinaceus, quantum commodi reperire ſolent indigni in bonis à fortuna ſibi oblatis.

Vniones Gallis ſunt inutiles, ut Galli unionis repertoris fabula docet, & monſtrat, fortunæ bona in indignorum manibus fruſtra verſari.

Vnionum apud Gallos nullum uſum eſſe ſcivit ille ex Gallinaceo genere, qui unionem in fimeto inventum, & contemptum abjecit. Typus fuit indigni alicujus hominis, in quem fortunæ bonis exornatum congruit proverbialis locutio: Simia eſt Simia, etiamſi aurea geſtet inſignia.

Vnionibus non opus eſſe Gallinaceo generi docuit Gallinarum maritus contemptu unionis in ſterquilinio reperti. Fortunæ bonis indignos ſe eſſe docent ii, qui maculam infamiæ iiſdem acceptis aſpergunt.

Vnio-

Vniones non est cur Gallinæ quærant, cum earum maritus unum in fimeto repertum despicatui duxerit, & abjecerit: Pari ratione non est, cur Fortuna de distribuendis suis inter indignos muneribus laboret; cum eadem ab ipsis non modo contemnantur, sed etiam infamiæ maculâ aspergantur.

Cum unionibus sibi inutilibus Genus Gallinaceum non delectetur, quendam ex fimo unguibus extractum Gallus abjecit, & fortunæ bona indignis utilitatem nullam afferre ostendit.

Vt Gallum ex sterquilinio eruta pretiosa margarita voluptate non affecit; Ita etiam fortunæ bona indignis nec utilitatem nec voluptatem pariunt.

Vnguibus suis Gallus fimeti stercora disjiciens in unionem sibi inutilem incidit,& eumdem ludibrio habuit: Eodem pacto indigni fortunæ bona offendentes, & ludibrio habentes,eorum contemptu indignitatem suam palam faciunt.

Vt Gallus unionem susque deque habuit: Ita etiam indigni fortunæ munera, & largitiones indigno contemtu excipiunt.

VI. Variatio.

VI. *Eadem Fabula cum doctrina, postposita, prolixiore sermone variata.*

GAllinaceo generi, largo sobolis proventu familiam suam propaganti, & abundantissimâ progenie luxurianti, solenne est, diligentissimâ, & accuratissimâ pervestigatione fimetorum & sterquiliniorum acervos perscrutari, & unguibus suis multum negotii facessere. Eruunt autem & disjiciunt cumulos

los fimo & ſtramine in altum exſtructos, multoque ſtramine, quiſquiliisque frequentibus ſurgentes, ut granorum hordei, avenæ, tritici, & aliorum ſimilium inter ſtercora equina & vaccina latentium frumentorum, compotes fieri queant. A jumentis enim comeſta, & digeſtionem non ſubeuntia, per inteſtinorum canales integra devolvuntur, ac cum digeſtis alimentis in ſtercora converſis exeunt, & in fimetorum foveas projiciuntur, ubi Gallis & Gallinis ſumma contentione omnia eruentibus, & perquirentibus obvia fiunt, ſummaque voluptate deglutiuntur. Cuidam Gallo Gallinaceo matutinis horis ſtercoribus ejuſmodi eruendis occupatiſſimo evenit, ut ſingulari ſtudio quiſquilias illas unguibus ſuis modò ad dextrum, modò ad ſiniſtrum latus everrenti unio pretioſiſſimus ſeſe objiceret, qui ſplendidiſſimo ſuo fulgore uniuscujuſque oculos præſtringens inæſtimabile ſuum pretium apertè teſtabatur. Fortè amiſſus ab aliquâ nobilium fæminarum in arce proximâ habitantium, & cum quiſquiliis verriculo è conclavi ejectus projectuſque in fimetum, in loco ſuâ præſentiâ indigniſſimo latere coactus fuit. Inventus Gallum primò lætitia ſummâ perfudit, ratum, hordeacea grana in acervum conglobata ſibi in ungues incidiſſe, prædæque opimæ ſe participem redditum eſſe. Gaudium in triſtitiam mutavit accuratior inſpectio, monſtravitq;, unionem ſplendore ſuo coruſcantem, duritieque vix ſaxo alicui cedentem, non eſſe rem illam, ex quâ aliquandiu tripudians Gallus fructum & uſum, lætitiæ ſuæ auctores, expectare poſſet. Eventus inſperatus malè habuit Gallum ore aperto prædæ in-

dæ in-

dæ inhiantem, & glocitando cantandoque totam familiam in fimeto disperſam, & indagandis frumenti granis omni ſtudio & contentione incumbentem, ad ſe vocantem, ut prædæ oblatæ una ſecum particeps fieret. Accurrerant enim uxores Gallinæ, ſpe inſigni & repentinâ excitatæ; Adproperaverant filii Galli juniores glocitatione patris tenerâ vocati; Acceleraverant curſum filiæ Gallinæ, oblatæ parenti prædæ partem capturæ: Quibus Paterfamilias Gallus; En, inquit, ab unione nobis inutiliſſimo deceptus, & maximâ ſpe inflammatus vos, cariſſimi, & cariſſimæ, cantu & glocitatione meâ, ex ſubito gaudio enatâ, convocavi, ut prædæ oblatæ mecum participes redderemini. Globum ex hordeaceis aut aliis granis convolutum inveniſſe me putabam, atque ideò lætitiâ ſummâ exultabam. Mundatum atque ſtercorum impuritate liberatum inſpiciens unionem cerno nemini noſtrum aliquid utilitatis afferentem, ſed ad mulieres pertinentem, quæ corporibus ſuis ejuſdem ſplendore & pulchritudine ornatum quærunt. Vtinam ejus loco in frumenti grana incidiſſem, quorum aſpectus longè majori voluptate nos permulcet, quàm præſentia ejuſmodi unionis ex quo nihil emolumenti ad nos proficiſci poteſt. His dictis ad ſolitam granorum inquiſitionem familiam ſuam reverti jubet, ipſe reverſus quoque ad opus ſolitum, ſi forſan granorum congeriem aliquam oſtendere poſſet. Gallus hic in vitæ humanæ theatrum nos deductos contemplari jubet id hominum genus, in quibus exornandis, & maximo bonorum ſuorum acervo cumulandis fortuna, per mortalium negotia

cæco

cæco impetu ruens, omnem operam ludit, ac frustra laborat. Quamvis autem talpâ cæcior nil pensi habeat, sive dignis munera sua largiatur, sive indignos in eorum possessione collocet; illi tamen felices sunt, quod donis sibi collatis uti sciant; hi verò infelices, qui fortunæ bona in usum conferre nesciunt. Imò cum Gallo, quem æmulantur, ludibrio etiam excipiunt, ac ideò aptè admodum cum bobus comparari possunt, quibus si clitellas aut ephippia imponere quis vellet, eandem, cum fortunâ, operam luderet.

VII. *Ejusdem Fabulæ variationes brevissimæ, documentum præponentes, & subjungentes.*

VII. Variatio.

INdignis æquè ac dignis fortunam dona sua largiri, docet Gallus Gallinaceus unionem in fimeto inventum spernens, & mores depingens ejusmodi hominum, à quibus fortunæ largitas ludibrio habetur.

Fortunæ largitiones rident indigni cum Gallo Gallinaceo, qui unionis in fimo reperti despectu veram ejusmodi hominum indignitatem adumbravit.

Fortunæ muneribus indignos si cognoscere cupis, Gallum Gallinaceum unionis in fimeto reperti contemptu celebrem contemplare, qui veram ejusmodi hominum indignitatem oculis tuis subjiciet.

Indignorum muneribus, quæ à fortuna proficiscuntur, imaginem vivis coloribus depingit Gallus Gallinaceus, unionis in fimeto reperti contemptu docens, nihil esse, quicquid

quid donorum in ejusmodi homines conferatur.

Largitionibus indignos cumulando fortuna opera abutitur. Gallus testis est, qui unionem in sterquiliniis inventum despicatus, exemplum præbet eorum, qui casu cœco obvenientia bona despicantes indignitatem suam manifestant.

Largitiones suas fortunam frustra congerere in indignos, patet ex stolido Galli Gallinacei contemptu & ludibrio, quo unionem fimetum sibi eruenti objectum excepit, & docuit, à fortunâ muneribus frustra affici eos, qui dona in se collata dignitate debitâ colere nesciunt.

In muneribus inter indignos distribuendis fortunam oleum & operam perdere, affirmat stolidus Gallus, unionem in fimeto inventum nihili æstimans, & demonstrans, ejusmodi hominibus felicitatis largitiones inutilissimas esse.

In exornandis & beandis indignis sors prospera operam inutilem collocat. *Id* monet Gallus Gallinaceus apud Æsopum. Cui margaritam pretiosam in fimo invenienti & spernenti similes sunt ii, qui fortunæ ornamenta sibi collata indignissimo contemptu excipiunt.

De hominibus, qui sortis prosperæ ornamentis decorati eadem risui & ludibrio habent, extat fabula Æsopi, Gallum Gallinaceum margaritam pretiosam in fimeto reperisse, ac contempsisse narrans; & docens, in tales frustra fortunæ largitiones conferri.

Indignos contemptui, & despicatui ducere, quicquid boni sibi à fortuna, liberalitate

cæca largitiones ſuas prodigente, obtigerit, oſtenditur à Gallo Gallinaceo, unionem in fimeto in ungues ſuos forte-fortuna incidentem riſu excipiente, & adumbrante mores eorum, qui fortunæ munera aſpernari ſolent.

Indignos fortuna largitionibus quidem cumulet, ſed ab iis contemnitur. Cuivis hoc innoteſcit ex ſtoliditate Galli, unionem pretioſiſſimum, cujus in fimeto compos factus fuerat, contemnentis, & innuentis conſuetudinem hominum, ſuſque deque habentium quæcunque ipſis bona exhibita fuerint.

Non eſt cur fortuna in exornandis indignis aliquid operæ collocet. Eodem enim ludibrio excipietur, quo excepta eſt à Gallo Gallinaceo, cum ipſi fimetum eruenti unionem pretioſiſſimum obtuliſſet, & didiciſſet, quod tales homines quæcunque munera ſibi exhibita perinde habeant.

VIII. *Ejuſdem Variatio prolixior, documentum præponens & poſtponens.*

VIII. Variatio.

FOrtuna cæco impetu volvitur, in indignos juxta ac dignos liberalitatem ſuam exercens. Impari tamen ratione excepta ab his laudatur, ab illis culpatur: Horum gratam mentem comperit, illorum animos ingratiſſimos ſentit: Hos munerum ſuorum utilitatem & commoditatem ſcire, illos ignorare videt: Ab his largitiones ſuas ornari, ab illis contaminari novit. Rei veritatem demonſtrat Æſopi fabula lepida, quam de Gallo Gallinaceo recitat: Ex equili quodam ſterquilinium grande congeſſerant ſtabularii, equo-

rum plurium curam gerentes. Frumenti grana ab equorum ſtomachis nondigeſta ſtercoribus ineſſe ſolebant. Ea inveſtigatum frequens accedebat Genus Gallinaceum, in eruendo fimeto occupatiſſimum. Quodam tempore in granorum inveſtigatione deſudanti Gallo in ungues incidit margarita pretioſa. Forte amiſſa fuerat, & cum quiſquiliis in fimetum projecta. Gallus eâ viſâ fortiter glocitare, totamque familiam Gallinaceam convocare: Vxores, filii, filiæ, & nepotes curſu celerrimo advolare: Omnes gaudio & lætitiâ exultare. Etenim ille acervum ex granis conglobatum ſe reperiſſe opinabatur: Familia granorum inventorum particeps fieri avebat. Rumpebatur gaudium ab unione nudo ſtercoribus, ſplendoreque oculos præſtringente. Tum Gallus; Decepti omnes in rem incidimus noſtro generi inutiliſſimam. Quid Gallis cum unione, Gallinaceo generi nihil utilitatis afferente? Hordei, avenæ, aut tritici grana plurimi ducimus; uniones nobis inutiles reſpuimus, & *abjicimus. His* dictis unionem relinquens abiit, & exemplum propoſuit eorum qui fortunæ bonis contemp*tis* indignitatem ſuam loquuntur. indigni profectò ſortis proſperæ liberalitatem rident, eandemque infamiæ macula conſpurcant, tantum abeſt, ut ad uſum debitum grata mente adhibeant.

IX. *Eadem Fabula partibus oratoriis tractata.*

IX. Variatio.

Exordium à laude authoris & commendatione fabulæ.

VT Philoſophi, viri de hominum animis ad ſapientiam ex ignorantiâ deducendis maximè ſoliciti, præceptis ſalutaribus quidem, ſed ſeverioribus, & auſterioribus voti compotes reddi ſtuduerunt: ita è contrario fabularum fictores apologis jucundiſſimis ſapientiæ documenta mentibus, à ſeveritate & auſteritate philoſophorum abhorrentibus, inſinuare conati ſunt. Cuivis, illorum libros utiliſſimos & ſcripta ſapientiſſima lectionibus frequentibus evolventi, ſeveritatis & auſteritatis indicia creberrima occurrent: Horum verò fabulas amœniſſimas legendo percurrenti ſuavitatis & jucunditatis ſigna frequentiſſima in conſpectum prodibunt. Habent autem fictitia illa commenta hoc proprium, ut doctrinas illas multum auſteritatis continentes dulcedine quadam obducant, & gratiſſimis figmentis, quaſi ſeſamo ac papavere conſperſas, rudiorum & à ſapientiâ auſterâ abhorrentium mentibus propinent. Eâ de causâ imperitos & agreſtes animos facili negotio ſubeunt, duritiemque illam, cui molliendæ auſteritas philoſophica par non eſt, inſenſibili quadam ratione laxant, & à ruditate agreſti ad ſapientiæ ſemitam deflexas mentes in vitæ melioris orbitam reducunt. Quamvis autem multi apologorum fictionibus dediti laudem ſummam acquiſiverint, & in eo ſcriptionis genere præ cæteris excelluerint, meo tamen judicio inter omnes elucet Æſopus, Phrygius ille fabulator celeberrimus,

mus, qui jucundissimis, & amœnissimis suis fabulis id consequutus est, quod ad rudiorum animos instituendos, & sapientiæ præceptis perpoliendos unicè requiritur. Hominem, omni genere eruditionis perpolitum, nihil eorum, quæ ad absolutam & perfectam sapientiæ, & prudentiæ cognitionem pertinent, latuisse, apparet ex fabellis ejus lepidissimis pariter ac doctissimis, quibus sapientiam & prudentiam ratione admirandâ ignorantium mentibus insinuat. Exemplo sit festivissima & jucundissima illa fabula de Gallo Gallinaceo unionis repertore, exprimente stolidissimam indignitatem eorum, qui, licet infinitis à fortunâ muneribus decorentur, eadem tamen, non dicam, aspernantur, sed, quod pejus est, turpissimâ ignominiæ maculâ contaminant. Hujus enarrationi & tractationi nervos ingenii mei qualescunque impensurus, à vobis, Auditores humanissimi, obnixe contendo, ut benignâ auditione rudes meos conatus excipere, & aures vestras benevolas indoctæ meæ orationi commodare non dedignemini.

Propositio doctrinam ex fabula petendam continens.

Narratio ipsius fabulæ.

Villam incolebat rusticus splendidissimorum bonorum possessione abundantissimus, quæ ad montis radicem situ amœnissimo collocata, pratorum seriem longam projiciebat, & equorum, equarumque, copiam ingentem nutriebat. Æstivo tempore, quod pascua florum pulcherrimorum, ac graminis viridissimi tegumento vestire solet, Equinum Genus, prata noctu ac interdiu pererrans, herbis, ac gramine lætissimo vescebatur, pabuloque jucundissimo ventrem distendebat. Hyberni temporis frigore ingruente revertebatur ad equile spaciosum, & horreo cuidam adjunctum,

ctum, in quo avenâ, hordeo,& tritico pastum lautè habebatur. Evenire autem plerumque solet, ut equi, cum fœno avenam, triticum, aut hordeum comedentes, sæpius grana integra, & à stomacho non digesta, cum excrementis excernant, aut etiam inter vescendum ex præsepibus suis exturbent. Inde fit, ut stramini & stercoribus immixtum frumentum à stabulariis everratur, & una cum fimo in sterquilinia conjiciatur, eruendum postea Generi Gallinaceo, quōd in fimetis alimentum suum quærere consuevit. Acervus fimi in altum congesti talis haud longè aberat ab equili, cujus modò mentionem fecimus, non tantum straminis & stercorum copiam continens, sed etiam avenaceorum, & hordeaceorum granorum multitudinem. In eum quotidie familiam suam copiosam deducebat Gallus Gallinaceus, in horrei angulo spatiosiore domicilium suum habens, & rustico quotannis, præter Gallos, Gallinas, & pullos Gallinaceos, haud exiguam ovorum abundantiam suppeditans. Hic matutino quodam tempore familiam suam Gallinaceam satis numerosam, utpote quæ uxoribus, filiis, filiabus, & nepotibus constabat plurimis, in fimetum deduxerat, ut eruendis frumenti granis tota cohors operam dans, nutrimenta consueta more solito quæreret. Cunctis strenuam stercoribus conterendis & discutiendis operam navantibus, ipse Pater-familias in quodam fimeti angulo indesinenti labore ungues ac rostrum suum exercebat, & accurata inspectione stercora perlustrabat, si quam granorum copiam offendere, ejusque familiam suam participem reddere posset. Tam

solicite cuncta stramina perscrutanti, & diligenter quævis stercora unguibus ac rostro dissipanti, in conspectum prodit conglobatum quiddam, quod ob duritiem quidvis potius, quam stercus esse videbatur. Gallus hîc tripudiare, gaudio exultare, ac glocitatione tenerâ & frequenti familiam totam accersere: Genus verò Gallinaceum omne Galli glocitatione excitatum concurrere, rostris hiantibus prædam inventam, & glocitando indicatam, expectare. Omnibus præsentibus, cum corpus illud conglobatum stercoribus nudaretur, ac mundum nitori suo pristino restitueretur, fulgor ac splendor ex eo tantus egrediebatur, ut, totius generis gallinacei oculis præstrictis, unio esse tandem agnosceretur. Spe insigni Gallus dejectus, & se deceptum ægerrimè ferens, postquam consternato animo unionem diutius contemplatus fuisset, tandem hæc effatur: An non maximè dolendum est, rem eam nobis fortuito casu objici, cujus indagationi animum non intendimus, & quæ nullo unquam commodo beare nos potest? Hordei, avenæ, & tritici grana investigamus, eorumque loco in unionem incidimus, quem ad usum nullum adhibere scientes, perinde est ac si nunquam invenissemus. Aurum, argentum, uniones, gemmæ, & quæcunque alia hominum corporibus exornandis idonea sunt, & ad munditiem, ornatumque muliebrem potissimum pertinent, Gallinaceo generi nequicquam prosunt. Nam cum Galli & Gallinæ versicoloribus plumis superbiant, ornatuque nullo egeant, nihil prius antiquiusque habent, quàm ut alimentis operâ sedulâ undique conquisitis &
con-

congestis famelicos suos stomachos farciant, frumentique granis, aliisque similibus nutrimentis ventres distendant. Ex unionibus siccissimis, & durissimis, humoreque omni nudis, nec succum exsugere, nec quicquam nutrimenti, aut alimenti, quo potissimum indigere solent, nancisci possunt. Equidem, pretiosissime Vnio, te inveni, inventum stercoribus nudavi, nudatum unionem esse reperi, nec mihi, nec meis utilem. Vtinam ad formosissimæ alicujus virginis manus pervenisses, ut auro rutilo insertus faciem ejus pulcherrimam exornares, aut digito ejus nive candidiori aptatus cum superbâ superbires. Vtinam verò inter stercora, eo in loco, ubi reconditus latitabas, & fimeti tectus impuritate obscurus eras, granorum frumenti congeriem aliquam offendissem, ut spe mea non frustratus gaudio exultarem, meamque familiam totam voluptate & lætitiâ verâ perfunderem. Quoniam igitur mihi utilitatem nullam afferre potes, nec ego tibi honorem aut cultum ullum exhibere queo, te in hoc fimeto inter stercora tamdiu relinquam necesse est, donec in eorum manus pervenias, à quibus honore & ornamento debito affici possis. His sermonem finivit, & cum familiâ totâ ad consuetum indagationis laborem se recepit.

Vnusquisque, Galli hujus actionem stolidam accuratâ mentis lance perpendens, ab unâ parte felicis sortis cæcitatem admirandam deprehendet; & ab altera parte plurimorum fortunæ donis cumulatorum indignitatem & stultitiam animadvertet. Sapientissimi Veteres Fortunæ imaginem pictura *Confirmatio, sive tractatio.*

admodum artificiosa exprimentes, ejusdem naturam & proprietates verissimas expresserunt. Virgo conchæ marinæ insistens, ac velum utrâque manu tenens, per maris fluctus huc illuc volutatos vehitur. Frons, aut sinciput, capillis longis & circum faciem volitantibus exornatur: Occiput calvum comâ caret: Oculos quidam velamento tectos pinxerunt: alii planè oculis orbam finxerunt. Virgo hæc nuda corpus, capillata frontem, calva occiput, & quandoque terrestri globo, nonnunquam etiam rotæ imposita, casus & eventus significat humanos, quibus nec sapientia nec prudentia præsidet, sed quasi sequioris sexus ingenium rude, inconstans, & volubile, quod levi momento huc illuc impellitur, facilique negotio in omnes partes flectitur. Humana negotia si inspexerimus, cuncta impetu plus quam cæco ferri, ac sursum & deorsum volvi, fatendum erit. Cum globo rotundo, aut rotâ, vitam humanam haud abs re comparaverunt Veteres, quandoquidem, perinde ac in rota, mox superiora evadunt quæ inferiorem tenuêre locum, ac confestim inferioribus iterum cedunt, eodem planè pacto etiam in humanis rebus modò extolluntur, qui depressi jacebant, modò deprimuntur, qui elati superbiebant. Vnionem pretiosissimum,quem auro circumdatum muliebris sexus aut capiti imponit, aut in digitis gestat, Gallus in fimeto fœdissimo inter stercora putida reperit. Qui pulcherrimis feminis ornamento esse, facieinque lacteo & purpureo colore tinctam fulgore suo illustrare solebát, ipse stercoribus putidissimis inquinatus in fœtenti sterquilinio tandem invenitur.

Idem

Idem plurimis hominibus contingere videmus, quos in altissimo honorum solio locatos fortunæ cæcitas momento citius dejicit, & quasi in lutum & stercus præcipitatos, ad vilissimam conditionem redigit. Dionysium tyrannum fors cæca regno privavit, & Corinthum abacto ferulam ac juventutis rectionem concredidit, ut pædotriba vilis indomitæ juventutis malitia & petulantia exagitaretur. Diomedis & Glauci hæc erat permutatio, ab equis ad asinos regem depellens. Sic

Irus & est subito, qui modo Crœsus erat.

Agathocles ex figulo Siciliæ rex factus meliori successu fortunæ inconstantiam expertus est. Quam egregiè notant hi versiculi:

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul;
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.

Nec mirum est, tanta rerum vicissitudine indignis juxta cum dignis bona ejusmodi obtingere, in quorum distributione cæca fortunæ inconstantia crebrò pessimè hallucinatur. Oculis enim orbæ, & visu carenti perinde est, sive generosum equum ornamentis suis decoret, sive asino tardo & inepto ephippia sua imponat. In hac fabula unionem offert, ubi? in fimeto: Cui? Gallo: Vnionem in locum indignissimum detrusit, & indignissimo objecit. Eodem pacto bonis suis pulcherrimis, & pretiosissimis, sæpe abutitur. Pulchritudine exornat meretrices, quæ eandem contemnunt, & prostituunt: Avaris divitias largitur, qui easdem ad usum adhibere nescientes, vivunt acsi Iro pauperiores essent: Prodigis opulentiam donat, qui facultates sibi ab ejus liberalitate concessas miserrimè profundunt. Stultos opibus cumulat,

qui instar asini Isidis simulacrum gerentis incedunt. Superbos honoribus extollit, qui iis nimis elati abutuntur, & cadunt. Honorum contemptores exornare studet, qui honorari susque deque habent. Asinos tardissimos ad rerum & regnorum gubernacula admovet, qui stupiditate & ignorantiâ suâ suam ac suorum salutem pessundant. Exemplorum infinitam multitudinem historiæ tam veteres quàm recentes suppeditant, quorum catalogum hic contexere temporis angustia prohibemur.

Confutatio. Cum igitur fortunæ largitionibus eos indignos pronunciemus, qui vel eas respuunt, & contemnunt, vel etiam earundem usum ignorant, meritò quis rogare posset, an sortis prosperæ bona caduca, & inania, tanti sint, ut indignitas in eorum contemptores cadere possit? Plures enim Philosophos ejusmodi possessiones à fortunâ profectas, & in earum numero positas, quæ vanæ & caducæ censentur, ejusdem ludibria appellasse, nec sua putasse, manifestum cuique & perspectum est. Biantis patriam Prienen ceperat hostis, & ex fugientibus civibus quisque bonorum suorum ea asportaverat, quæ potuerat. Philosophus verò caduca illa bona relinquens, & à quodam interrogatus, cur idem, quod cæteri, non faceret, respondit: Omnia mea mecum porto. Crates Philosophus divitias, tanquam onus sibi molestissimum, in mare abjecit. Honorum & divitiarum mirus contemptor Diogenes, cui dolium fuit domicilium, in tanti sui palatii foramine sedens, & Solis calorem apricando captans, Alexandro Magno multa & grandia pollicenti; Recede, dixit,

dixit, & diſcedendo redde mihi calorem, quem corpus tuum mihi adimit. An propterea tantos Philoſophos quis indignos judicaret bonis illis, quorum poſſeſſione frui noluerunt? An cum Gallo unionem contemnente eoſdem quis compararet, ac ſtoliditatis argueret? Cuncta hæc à veritatis ſemitâ non aberrare equidem fateor, ſed hoc adjungo, Philoſophos illos non propter uſum, ſed abuſum contemptui duxiſſe ea, quibus ſe non indigere, nec opus habere autumabant. Imò ſi quis ipſorum actiones penitius inſpiciat, & ſub accuratioris examinis incudem revocet, eoſdem, in tali bonorum fortunæ contemptu, honoris ac gloriæ aucupes fuiſſe, ac honores contemnendo honorari voluiſſe, manifeſto comperiet. In ſordido vivendi genere gloriam quæſivit Diogenes, & cuncta felicitatis munera contemnens contemptum talem laudi ac gloriæ ſibi duxit. Idem cæteri fecerunt, quibus nil potius fuit, quàm ut, fortunam cum bonis ſuis ludibrio habentes Philoſophi, ſapientiſſimi audirent, ac ſapientiæ titulo inſigniti immortalem nominis famam ſibi compararent. De his fabula noſtra non loquitur, nec eoſdem virgulâ cenſoriâ notat, quaſi eorum indigni eſſent, quæ non concupiſcunt, aut quibus ſibi non opus eſſe arbitrantur.

Apologus eorum mores tantum graphico ſtylo repræſentat, qui fortunæ excæcatæ munera ad ſe devoluta ad uſum debitum adhibere ignorant, & ex ignorantiâ non modo in contemptum adducunt, ſed etiam crebrò infamiæ maculis turpiſſimis inquinant. Vnio in locum fœtidum detruſus ea bona denotat, *Peroratio, ſeu epilogus.*

quæ in turpes homines incidentia, eorundem vitiis, ut hic ſtercoribus, commaculantur. Gallus Gallinaceus unione reperto indignus, quod ejus utilitatem ignoraret, in ſcenam producit ſui ſimiles homines, qui Simii, ſunt Simii, etiamſi aurea geſtent inſignia. Quadrat huc lepidiſſima de porco fabula, qui ad convivium cum cæteris animalibus à Iove vocatus, lautitiis omnibus ſpretis, mox percunctatus eſt, an etiam furfures adeſſent? Agnoſcamus igitur ex artificioſiſſimo hoc commento, quod nobis ſub Galli Gallinacei ſtolida actione ob oculos ponit amentiam eorum, qui ob indignitatem ſuam bonorum oblatorum participes reddi nequeunt, inſignem Fabulatoris noſtri Phrygii ſapientiam, prudentiam & eruditionem, in quibus manifeſtandis, & hujus apologi enucleatione qualicunque, vobis, Auditores humaniſſimi, ſignificandis, dum rudi Minerva operam navavi, vos autem benignâ auditione ruditatem meam excipere dignati eſtis, nihil aliud ſupereſt, quàm ut vobis pro ſumma veſtra benevolentia gratias quàm maximas agam, & eandem gratiſſimæ mentis memoriâ perpetuâ recolam. DIXI.

VARIA.

VARIATIO QVADRVPLEX CHREIÆ VERBALIS VIRGILIANÆ,

Labor improbus omnia vincit.

CHREIARVM TRACTATIO.

CHreiæ tractantur,

1. Exordio, *quod petitur à laude authoris.*

2. Propoſitione, *qua Chreiam proponit.*

3. Narratione, *qua continet Chreiæ paraphraſin.*

4. Contentione *ſeu confirmatione, & confutatione. Qua continet,*

1. *Cauſam.*
2. *Contrarium.*
3. *Parabolam.*
4. *Exempla.*
5. *Teſtimonium.*

5. Epiloge, *ſeu concluſione aut peroratione.*

DISPOSITIO CHREIÆ VIRGILIANÆ:
Labor improbus omnia vincit.

1. Exordium. *Laus Virgilii.*
2. Propositio. *Ipsa Chreia.*
3. Narratio. *Paraphrasis Chreiæ.*
4. Contentio.
   1. Causa. *Desiderium, & amor rei, quam labore consequimur, ad laborem impellunt.*
   2. *Pigritia & socordia à labore deterrent.*
   3. Parabola *Formicæ, & Cicadæ.*
   4. Exemplum *Ciceronis & Demosthenis.*
   5. Testimonium.
5. Epilogus *Chreiam concludens.*

I. *Variatio.*

Exordium laus Virgilii. MEritis in cœlum laudibus evehendum esse Virgilium, poëtam illum excellentissimum, nemo est, qui inficias ire vel velit, vel audeat, si modò præstantissimum illud Heroicorum versorum opus, quod divinus hic vates, ex divini ingenii sui promptuario, & omnis eruditionis thesauro plenissimo depromptum, laborè & contentione indefessâ concinnavit, non obiter tantum, & tanquam canis è Nilo, ut aiunt, inspexerit, sed accuratissimâ lectione pervolverit: Quot pro-

profecto maximâ ſententiarum utiliſſimarum copiâ ſcatet, atque innumerabilibus ad vitæ communis inſtituendæ rationem præceptis aptiſſimis abundat; quorum quamvis numerus ferè ſit infinitus, affluentiaque ipſa tam grandis, ut jure ac meritò aliquis in tot gemmulis aureis ſeligendis hærere, & ambigere poſſit; præ cæteris tamen omnibus, mirâ jucunditate me perfundit auro & gemmis dignior illa ſententia, quâ ingenioſiſſimus Poëta indefeſſi laboris efficaciam incredibilem commendat dicens: *Propoſitio cum Chreia.*

——— *Labor improbus omnia vincit.*

Quibus verbis elegantiſſimis pariter, atque ſapientiſſimis, imò auro, gemmiſque pretioſiſſimis pretioſioribus, Poëtarum Princeps ſignificare voluit, laboris eam eſſe naturam, atque efficaciam, ut omnia, etiam difficillima, effectui det, & ad finem optatum perducat, ac proinde unuſquiſque laborum non fugiens voti ſui compos fieri ſoleat, eaque conſequatur, quorum conſequendorum & efficiendorum deſiderio ſummo flagravit. Laborem autem improbum vocat, non quod improbitatis aut malitiæ aliquid in ipſo ſitum intellexerit, ſed quia durus, & onere graviſſimo premens, homines duros, fortes, conſtantes, & ad moleſtias ſuſtinendas, & exantlandas promptos & alacres requirit; adeò ut labor improbus à duritie, quâ homines premere & torquere ſolet, jure ac meritò cognominetur. *Narratio paraphraſin continens.*

Sit autem labor duriſſimus, ſit moleſtiſſimus, ſit difficillimus, imò talis, ut mirum ſit, homines adhuc reperiri, qui eum capeſſant, qui ſe oneribus ejus ſubjiciant, qui ſe moleſtiis *Contentio.* *1. Cauſa: Deſide-*

ac

rium & amor rei, quam labore consequi studemus.

ac difficultatibus tantis mancipent, plurimos tamen mortalium invenire est, quos rerum summarum, & optimarum obtinendarum cupido ingens, & desiderium ineffabile, ad labores animose capessendos exstimulat, concitat, & impellit, ut videntes, nullam aliam ad consequendum ea, quorum cupiditate ardent, viam patere, summâ contentione se laboribus submittant, & studio indesinenti & indefesso in laboribus exhauriendis & tolerandis tamdiu pergant, donec tandem voti sui compotes redditi fuerint, & illud acquisiverint, ad cujus acquisitionem animum suum appulerant.

2. Contrarium. Pigritia & socordia à labore deterrent.

At pigritia & socordia, à labore odio capitali diffidentia & otium summo amore amplectentia vitia, hominum animos, ad otiandum maximè proclives, ab industria ac studio laborioso ad omnium rerum præclarissimarum negligentiam & contemptum traducunt, eosque impediunt, quo minus magni quid consequantur, aut eò penetrare contendant, quò labori industrio operam navantes pervenisse vident. Otio ignavissimo torpentes, & pigritia incredibili diffluentes, nulla honorum culmina conscendunt, & nullius eruditionis aut sapientiæ desiderio flagrantes, virtutum & prudentiæ contemptores existunt, tantum abest ut, seriarum rerum expectatione ullâ incitati, labores ad magna præmoventes exantlare velint.

Parabola formicæ & cicadæ.

Elegantissimus apologus de formica & cicada, pulcherrimè laboris fructus utilissimos, & otii damna perniciosissima, ob oculos ponit. Formica in futuram hyemem sibi de rebus necessariis prospectura, solicitudine

providâ

providâ totam æstatem labori impendit, ac solerti cura frumentum & escam in cavernulam suam convehit, prudenter admodum hyemis instantis penuriam & famem declinans. Iners verò cicada saltationibus æstivis indulgens, ac cantiunculis se delectans, dum otio & socordia torpet, hyberno tempore non habet unde vivat, & proinde famis acerbitate conficitur. Formicarum simillimi sunt homines laboriosi, & seduli, qui laboribus juventutis assiduis senectutis inopiæ consulunt. A cicadis verò planè non abludunt otiosi laborum osores, qui, juventutem otio terentes, senectæ futuræ egestatem non præveniunt.

Omnium, quæ diximus, veritatem, & certitudinem infinitis exemplis stabilire possemus, si per temporis angustias nobis integrum esset. Vnum igitur, & alterum sufficiat. Cicero, qui famæ suæ immortalis gloriam ad sæcula hæc nostra propagavit, in medium prodiens, luculentissimo suo exemplo testatur, se non sine labore durissimo, non sine sudore molestissimo, non sine molestia gravissimâ, eam facundiam consequutum esse, quæ omnes hactenus mortales in admirationem incredibilem rapuit, & inposterum etiam eos, quotquot futuri nobis succedent, summa admiratione afficiet. Demosthenes dicendi facultate & copiâ inter oratores vix parem habens, solius laboris, & indesinentis studii beneficio in oratoria facultate regnum adeptus est. Vitium linguæ, quo laborans literam caninam modo debito pronunciare, & sono requisito formare non poterat, eaque de causa ad oratorium munus planè ineptus videbatur, *4. Exempla.*

batur, ſolo exercitio laborioſo ita compeſcuit & ſuperavit, ut ex ineptiſſimo ſermocinatore facundiſſimus orator evaſerit. Si Virgilium poëtarum principem quis interrogaret, quo pacto Heliconis jugum, Pindique verticem ſuperaſſet; & poëtarum coryphæus evaſiſſet, hanc ſuam pulcherrimam Chreiam reſponſionis loco regerens diceret:

——— *Labor improbus omnia vincit.*

5. *Teſtimonia.* Exemplorum multitudini, numero carenti, innumerabilis teſtimoniorum hujus pulcherrimæ ſententiæ veritatem aſſerentium copia ne minimum quidem concedit. Ex numero infinito en pauca hæc omnium loco ſufficientia. Nihil tam difficile eſt, quin inquirendo inveſtigari poſſit, inquit acutiſſimus & doctiſſimus ille Comicus Terentius, atque ita apertè teſtatur, quod omnia laboribus perfici queant, quandoquidem omnis inquiſitio, & inveſtigatio, laborem & ſudorem comites habet. In ejus ſententiam pedibus concedit Horatius Lyricorum poëtarum ſummus, dicens:

——— *Nil ſine magno*
Vita labore dedit mortalibus. ———

Vbique de laboribus veriſſima aſſerenti aſtipulatur etiam Sulmonenſis Poëta verſibus his elegantiſſimis:

Ardua molimur, ſed nulla niſi ardua vincunt;
Difficilis noſtrâ paſcitur arte labor.

Eodem ſpectat ſalium ridiculorum fabricator Plautus, inquiens, *Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat oportet nucem.*

Epilogus. Quare cum, rationibus, argumentis, exemplis, atque teſtimoniis firmis ſatis ſuperque demonſtraverimus, & ob oculos poſuerimus

con-

continui laboris efficaciam ac vires, & à Virgilio Poëtâ incomparabili didicerimus laboris improbi victoriam, par est, ut doctrinam hanc pulcherrimam & utilissimam edocti duo faciamus, & sedulâ operâ effectui demus. Prius est ut Virgilium, utilissima cuncta monstrantem, doctrinas pulcherrimis & utilissimis præceptis scatentes exhibentem, sententias jucundissimas pariter & saluberrimas docentem, summo studio legamus, summâ contentione pervolvamus, & indesinenti labore ediscamus. Posterius est, ut labores nihil non efficientes, & conatus quosvis ad fines optatos promoventes, summa diligentia sectemur, & iis otium, perniciosissimum juxta ac turpissimum vitium, posthabeamus, & ceu pestem abominabilem detestemur, & fugiamus.

I I. *Variatio.*

NOn est cur aliquis in admirationem rapiatur, quod Virgilius Poëta ille Ethnicus hac nostrâ ætate in honore tanto habeatur, & tam diligenti contentione à quovis illorum, quos bonarum artium & disciplinarum desiderium rapit, noctu ac interdiu teratur, siquidem vir ille, admirandis ingenii dotibus & viribus pollens, & incredibili eruditionis thesauro ditatus, heroicis versibus conscripsit admiratione dignissimum illud opus, ac distentum sententiis infinitis, quæ, doctrinas vivendi saluberrimas cuivis suggerentes, insatiabili lectionis fame quemvis eruditorum laborantem explere nunquam possunt, tantum abest, ut ulli unquam satietatem ac fasti- *Exordium: Laus Virgilii.*

faſtidium pariant. Quamvis verò multitudo ejusmodi innumera haud immeritò aliquem anxium, atque dubium reddere poſſit, ut vel in ipſâ optione hærere queat, & neſciat, quænam in tanta copia reliquis præferenda ſit: illa tamen præ cæteris omnibus mihi maximè arriſit, quâ paucis quidem, ſed admodum ponderoſis, & gravibus verbis, quidnam indeſinens labor efficere valeat, acutiſſime Poëta docet, inquiens,

Propoſitio cum Chreia.

——— *Labor improbus omnia vincit.*

Narratio paraphraſin continens. Quorum verborum, aurum & gemmas pretioſiſſimas dignitate, utilitate, & pretio longè ſuperantium, hic eſt ſenſus, nimirum, laborem quidem mortales duritie ſua vehementer premere, ac nemini non moleſtias ſummas, cruciatuſque haud exiguos exhibere, adeò ut haud mirum ſit, tot otii amabilis cultores, & amatores inveniri, qui carne viperinâ cautius labores horreſcant: ſed tamen unicum medium & unicam ac ſolam viam eſſe, cujus ductu mortalibus ad ſumma eniti liceat, ac quidvis, quantumvis difficilimum, efficere, & ad finem perducere, integrum ſit. Quandoquidem verò nonniſi ſummis moleſtiis, ſummiſque difficultatibus eo perfungi ſoleamus, acutiſſimi ingenii Poëta ipſum jure ac merito improbum, id eſt, magnum ac durum, vocat, vel etiam nemini probabilem, quippe quo duriſſimo unuſquiſque libenter careret, ſi modò eodem carere poſſet.

Contentio. 1. Cauſa. Quamquam autem labor tanta duritie & aſperitate præditus eſt, ut ob moleſtias & difficultates ſuas, quibus mortales divexare ſolet, non injuriâ illum omnes vehementer

ter exhorreant, & pestis instar devitent: Plurimi tamen mortalium maximarum rerum desiderio irretiti, atque ad summa aspirantes, cum videant, & pro comperto exploratoque habeant, præter hanc laborum & molestiarum viam, nullam aliam sibi ad ea, quibus summo studio inhiant, patefactam esse, sine ullo metu, sine ulla formidine labores subire haud dubitant, iisque tolerandis & exhauriendis tamdiu pergere student, donec iis acquisitis, quorum summa expectatione tenebantur, tandem voti compotes redditi ad scopum præfixum perveniant.

Contra, otium iners, ignavissimamque socordiam, à laboris studio, laboriosaque contentione, omnès difficultates, & molestiarum obices perrumpente, longissimo intervallo abesse haud negaverit, quicunque otiosæ & inertis vitæ tædio captus, & socordis omniumque curarum expertis otii odio inflammatus, nihil prius antiquiusque ducit, quam ut animum suum ab ignaviæ detrimentosæ cultu pernicioso abductum ad laboris utilissimi cupiditatem, multis commodis suos cultores locupletantem, transferat. Quid enim magni otium consequitur? Quam eruditionem & prudentiam ignavia nanciscitur? Quarum divitiarum thesauris socordia locupletatur? Ad quæ culmina honorum & dignitatum negligentia evehitur? Certè nihil horum est, quod otio & ignaviæ dedito homini contingere possit.

Apologus ab Æsopo ingeniosissimè confictus, cicadam, ait, hyberno tempore formicam convenisse, & ab illa frumenti quid mutuo petiisse; ut famem, qua cruciabatur, ex- *3. Parabola.*

stin-

ſtinguere & ſedare poſſet. Formicam verò petitionem ipſi denegaſſe, atque ipſam monuiſſe, ut eodem, quo æſtivis menſibus ſaltaſſet, pacto in nive & glacie tripudiaret, & cantillaret. Formicæ hujus commento ingenioſiſſimus Fabulator homines ſedulos, & induſtrios, laborum beneficio ſibi de neceſſariis proſpicientes, innuit, ac è contrario Cicadam proponens, otioſorum & à laboribus abhorrentium hominum naturam & proprietatem ſcitè depingit.

4. Exempla. Si quis eorum quæ hactenus auditu veſtro hauſiſtis, veritatem, & certitudinem in dubium vocare vellet, eundem infinitis exemplis dubitatione ſua liberare poſſemus, niſi temporis anguſtiæ nobis obſtarent. Potiſſimorum tamen uno & altero ipſi ſatisfaciemus. Reſpiciat labores illos duriſſimos, & ſtudium illud ardentiſſimum, quibus Cicero omnium oratorum Latinorum Princeps ad ſupremum Oratoriæ Facultatis faſtigium ſublatus, tandem ſummum in Imperio Romanæ dignitatis gradum & poteſtatis locum acquiſivit. Conſideret contentionem indeſinentem, & perpetuam, cujus operâ Demoſthenes dicendi facultatem omni admiratione ſuperiorem adeptus, illud in Eloquentia præſtitit, ad quod nemo hactenus aſpirare auſus eſt. Contempletur indefeſſum ſtudium, quod Vatem Mantuanum in Poëſios faſtigio locavit, & proprio exemplo dictum ſuum confirmare juſſit.

Vt autem infinita exempla omnibus iis, quæ de labore improbo hujus Chreiæ illuſtratio nobis in mentem revocavit, atque in medium proferre juſſit, fidem faciunt: Ita etiam in-

innumerabilia testimonia eorum certitudinem manifestant. Ex innumerabilibus tamen unum & alterum protulisse sat erit. Primus, qui cum nostro Poëta facit, est Terentius, comœdiarum illarum elegantissimarum autor, & inventor, qui, laborum operâ quidvis effectui dari posse, non inficiatur, dum inquit: Nihil tam difficile est, quin inquirendo investigari possit. Huic succedit alter testis luculentus Horatius, inter Lyricos Poëtas supremum locum obtinens, qui idem suo testimonio confirmans. Nihil, ait, sine magno Vita labore dedit mortalibus. Vtrique testimonio suo suffragatur elegantissimus Poëta Ovidius, cujus verba, perinde ac si ex Apollinis tripode profecta fuissent, verissima hæc sunt:

Ardua molimur, sed nil nisi ardua vincunt;
Difficilis nostrâ pascitur arte labor.

Sed jam temporis brevitas, oratiunculæ meæ ut vela contraham, postulat. Laboris vires & efficaciam, præeunte mihi Virgilio Poëtâ parem non habente, vobis exposui, sententiamque tanti Vatis præclarissimam exemplis testimoniisque firmatam pro modulo meo illustravi. Restat, ut vobis, auditores clarissimi, pro benevola vestra audientia, quæ tam benigne & benevole sermonem meum rudi Minerva elaboratum excepit, gratias quàm maximas agam, & verbis meis admonitiuncula brevi finem imponam. Virgilium itaque Poëtam cunctis seculis summo honore affectum, summo studio colamus, maximi faciamus, & scripta ejus nocturna, diurnaque manu versemus, ut ex iis reconditam illam sapientiam eruamus, & præceptis ad *Epilogus.*

vitam benè & feliciter instituendam utilibus & salubribus imbuamur. Labores item, quicquid in vita efficiendum est, feliciter perficientes, à nobis non amoliamur, sed otium potius, & pigritiam, ex quibus nil boni unquam proficisci potest, in exilium ejiciamus.

III. *Variatio.*

Exordium. QVotusquisque illorum, qui Apollinis Musarumque sacris initiati, Doctorumque virorum cœtui, famæ celebritate per totum orbem notissimo, inserti, eruditionis ac Sapientiæ compotes redditi sunt, ignarus ac nescius est inclytæ famæ, ac nominis illustrissimi, quo Virgilius, omnium poëtarum jure ac merito facile Princeps, ex mortali immortalis factus, hodierno etiam tempore universam terræ machinam peragrat? Nam, si accuratâ mentis meditatione admirandas ingenii hujus suavissimi vires, quæ ex Poësi ejus, tam admirabili ut ex ipsarum Musarum cerebro prognata esse videatur, clarissimè elucent, examinaverimus, fieri non potest, quin in admirationem summam, ac potius stuporem ingentem, nos rapiant sententiæ illustrissimæ, & doctrinæ celeberrimæ, quarum numero innumerabili divinus ille poëta totum suum opus complevit. Quamvis verò omnes pari passu ambulantes, ad vitæ communis ineundæ rationem certam ac tutam tale adjumentum conferant, taleque commodum afferant, quod nec lingua effari novit, nec calamus chartæ scribendo mandare potest: Ex cunctis tamen unam seligere, ac in præsentia tractare, operæ pretium

pretium mihi visum fuit, quæ de laboribus mentionem faciens, illorum efficaciam & utilitatem his verbis deprædicat. *Propositio cum Chreia.*

Labor improbus omnia vincit.

QVæ verba auro contra æstimanda, imò longe potioris, & pretiosioris dignitatis & honoris elogio decoranda, illud significare videntur, quod labor natura sua molestissimus & difficillimus infinitis molestiis & difficultatibus mortales vehementissime premat, & exagitet, ac propterea quasi jure improbus vocari debeat, eò quod ingrata & à nemini non improbata duritie sua unumquemque divexet, & ideo cane pejus & angue fugiatur; sed tandem tamen vincat, & eos, à quibus exantlatus est, rei diu desideratæ, & vehementissimo desiderio expetitæ compotes reddat, ut voto suo potiti lætitia insigni exsultent, qui antea laboris difficultate pressi multis molestiis rem tandem acceptam anhelarunt. *Narratio continens Paraphrasin.*

Nemo autem mirabitur, tantum eorum numerum esse, qui neque molestiis, neque difficultatibus, neque cruciatibus illis, quos labores secum vehunt, & quasi adamantino vinculo sibi annexos continent, deterriti, summâ lætitiâ, & admirabili animositate, omnibus iis difficultatibus defungantur, si accurato examine perpenderit causam, & occasionem, cujus impulsu laborum difficultates adire & aggredi planè non dubitant. Ea enim est cupiditas ingens, & desiderium ineffabile rerum optimarum, & pulcherrimarum, quas consequendi causa, studium & contentio indefinens *Contentio. 1. Causa.*

T

ſinens dies & noctes mortalibus ſtimulos admovent, ut omnem lapidem moveant, omnes labores intrepidè adeant, & nihil non conentur, quo rei dudum expectatæ participes reddi queant.

2. Contrarium. Contrariam planè, maximaque intercapedine à laboribus diſtantem vim & efficaciam obtinere videmus otium, & ignaviam, omnis felicitatis, ac proſperitatis peſtes horrendas, quæ dulciſſimo ſuo veneno mentes hominum dementant, ac membra ejus cuncta torpore ſuo lento eâ ratione invadunt, ut ad labores exhauriendos & tolerandos penitus inhabilia, & inepta ac quaſi mortua eſſe videantur. Enervat enim deſidia eo pacto & animi, & corporis vires; ut ille torpore incredibili ſopitus, veternoque perpetuo correptus, nunquam ad magnorum acquiſitionem emergat; hoc vero, mente ſomno & inertia ſepulta, membrorum agilitatem, quâ à natura dotatum eſt, ad obſequium animi, actionibus magnis inepti, & inutilis, nunquam componat.

3. Parabola. In elegantiſſimo Æſopi apologo, qui formicam, cicadæ alimentum petenti, illud denegaſſe, & laborum ſuorum fructu ipſam frui maluiſſe narrat, ingenioſiſſima ſimilitudo, formicarum ſimillimos eſſe dicit eos, qui laborum ſtudioſiſſimi, ab otio tanquam à peſte ſibi cavent, & omne juventutis ac virium florentium tempus, rerum in ſenectâ neceſſariarum acquiſitioni, impendunt, ac tandem ſenes laborum exhauſtorum fructus expectatos & exoptatos carpunt. E contrario verò illos à cicadarum more vivendi vitam haud alienam ducere, qui juveniles ſuos annos, & validiſſi-

lidiſſimas ætatis virilis vires otioſo torpore conſumentes,& labores angue vipera-ve cautius horreſcentes, ſenectam egeſtati ſubjectam degere coguntur.

Sed quid opus eſt hæc dicta noſtra multis exemplis confirmare, eorumque certitudinem & veritatem aſtruere? Ciceronem adeamus, & ex eo quæramus, quonam pacto tantæ eloquentiæ compos factus ſit? quibus mediis oratorii regni clavum acquiſiverit? quomodo immortalis ſui nominis famâ ſæculorum poſteriorum fines penetraverit? Dicto hoc, ex Virgilianæ eruditionis & prudentiæ promptuario ditiſſimo proficiſcente, nobis reſpondebit; Labor improbus omnia vincit. Demoſthenem alloquamur, & rogemus, cujuſnam rei adjumento tantam facultatis dicendi copiam & ſupellectilem nactus ſit? quibuſnam auxiliis nominis immortalitatem apud mortales ſibi comparaverit? Eadem reſponſione nobis ſatisfaciet, ac dicet; Labor improbus omnia vincit. Virgilium ipſum compellemus, atque interrogemus, cuinam rei nominis & gloriæ famam nullo tempore intermorituram acceptam ferat? Hanc ſuam ſententiam reſponſionis loco nobis obtrudet ac inquiet; *4. Exempla.*

—— *Labor improbus omnia vincit.*

Exempla ex multis pauca audiſtis, ex infinitis teſtimoniis itidem pauca auditione percipite. Ad amuſſim Chreiæ noſtræ ſenſui veriſſimo reſpondet illud, quod Terentius tam ſcitè, quàm verè protulit, dum inquit; Nihil tam difficile eſt, quin inquirendo inveſtigari poſſit. Ab eodem ſenſu minimè etiam abludit argumentum aurei iſtius dicti Horatiani, quod *5. Teſtimonia.*

laborum perpetuorum, & studiorum indesinentium efficaciam & operationem certissimam manifestè prodit, & docet, Nil sine magno labore mortalibus vitam dedisse. Idem placere etiam videtur elegantissimo poëtæ Ovidio, dicenti:

Ardua molimur; sed nulla nisi ardua vincunt.

Difficilis nostra pascitur arte labor.

Nec displicuisse illud dicerem Plauto, salibus jucundis & facetis veritatem involvere consueto, & pulchre alicubi dicenti: Qui è nuce nucleum esse vult, frangat oportet nucem.

Epilogus. Sed temporis angustiæ aurem mihi vollicant, & velorum oratiunculæ meæ contrahendorum memorem esse jubent. Virgilium Poëtam, cæteris omnibus Latinis vatibus præponendum, in medium produxi; sententiam ejus utilissimam de laboris efficacia & viribus, præceptum nobis præscribentem, quantum in me situm fuit, exposui. Reliquum est, ut vos, auditores benevoli, qui sermonem meum, ex curta oratoriæ meæ facultatis supellectile profectum, benigna auditione hausistis, auribus benevolis etiam hanc doctrinam verba mea finientem suscipiatis. Videlicet ut mecum diligentissima volutatione doctissima Virgilii scripta nocturnis juxta ac diurnis laboribus pervolvatis, & reconditum sapientiæ ac prudentiæ thesaurum accuratissima investigatione perquiratis, prudentissimo ejus consilio obedientes, quo laborem improbum, cuncta vincentem, cuncta superantem, cuncta ad finem perducentem, tanta cura ac solicitudine commendat,

mendat, ut nunquam majore commendari queat.

IV. *Variatio.*

HOmines nonnullos imperitos, & omnium rerum rudes, judicio admodum ſiniſtro & perverſo Poëſin, artem divinam, ex juventutis uſu eliminare, ex ſcholis in exilium ejicere, atque ex doctorum virorum conſortio Poëtas, ingeniorum viribus pollentes, exterminare velle ac conari, conſtat. Quos tamen peſſimâ opinione imbutos, ac ipſos potius ex Muſarum jurisdictione exturbandos eſſe, arguit omnium Poëtarum, totiuſque Poëſios laus, & exiſtimatio, atque dignitas, qua tanquam divino ſpiritu afflatus inter omnes eruditos eminent, tanquam inter ſtellas luna minores. *Exordium.*

Omnium autem anteſignanus & præſes, imò cohortis poëticæ princeps totius, haud immerito cenſetur Virgilius, ob admirandam ingenii divini facultatem, quæ ex innumerabilibus ejus ſententiis, & doctrinis ad vitæ humanæ rationem feliciter ſuſcipiendam maximè neceſſariis, luce meridianâ clarius apparet. Vnum ex infinitis, admirandæ eruditionis argumentum, producam, quâ *Propoſitio cum Chreia.*

Laborem improbum omnia vincere aſſerit.

SEntentiam hanc, res quasvis pretioſiſſimas, & apud mortales in ſumma exiſtimatione habitas, non utilitate tantum & dignitate, verum *Narratio continens Paraphraſin.*

verum etiam pretio longiſſimè antecellentem, interpretatione illuſtriore ut vobis aperiam, ea hoc indicare mihi videtur, labori duro, & propter duritiem nemini non inviſo, eaque de cauſa à poëtarum acutiſſimo improbo dicto, nihil impoſſibile, nihil invium, nihil factu difficile eſſe, omneſque eos, qui ad maximas res aſpirant, & magna quævis conantur, quamvis duriſſimas moleſtiſſimasque difficultates exhauriant, tandem aliquando laboribus defunctos, earum rerum fieri participes & compotes, quibus ineffabili deſiderio inhiarunt.

Contentio. *1. Cauſa.* Vnusquiſque enim, qui rerum optimarum cupiditate allectus, & pulcherrimarum conſequendarum deſiderio invitatus, iis inhiat, earumque acquirendarum ſtudio maximo tenetur, nihil prius, nihil antiquius ducit, quam ut ab occaſione tam laudabili, tam egregia impulſus, & ſtimulatus, laborum tolerandorum beneficio & opera tandem ad optatum finem pervenire queat, & illud nanciſcatur, quod tam anxiè, tam ſolicitè, & tam cupidè appetit; idque præcipue & maximè eam ob cauſam, quia exploratum & compertum habet, ſibi ejus acquirendi facultatem nullam aliam datam, & conceſſam eſſe.

2. Contrarium. E contrario, cum ignavia & ſocordia, pernicioſiſſimis humano generi vitiis, quæ homines à virtutum ſemitâ, & laborum cultu neceſſario pariter atque utili, ad otium, libidines, & voluptates abducunt, & in omnis generis ærumnas & miſerias deturbant, longè aliter comparatum eſſe facile animadvertet, qui æquus rerum æſtimator laborum com-

commoda & fructus, atque otii damna atque incommoda, accuratiore indagine pervestigarit. Damnosissimam enim pestem hanc accuratè cognoscet, ac videbit, animi aciem ingeniosissimam, & corporis vires validissimas, desidiæ & ignaviæ spiculis adeò confodi, ut penitus debilitatæ, & labefactatæ possessoribus suis omnem emergendi, & ad summa aspirandi facultatem & copiam adimant.

Proinde quotiescunque ingeniosissimi Fabulatoris Æsopi apologum de formica & cicada pulcherrimum accuratius meditor, convenientiore, & aptiore similitudine homines laboriosos, & contra alios, qui otio & ignavia torpent, adumbrari non potuisse arbitror. Homines laboribus dediti, & tempus omne laborando transigentes, veræ sunt formicæ; quandoquidem, formicarum instar, æstivo tempore, id est, in æstatis suæ juvenilis vigore, de hyberno tempore, seu de senecta solliciti sunt; cum è contrario desides & ignavi mortales cicadarum more in diem vivant, & voluptatibus atque libidinibus indulgentes haud magnâ, imò vero nullâ futurorum curâ angantur. *3. Parabola.*

Omnium autem horum, quæ hactenus nobis sermo noster proposuit, certitudinem & veritatem ut astruamus, & stabiliamus, nihil profecto difficultatis occurrit, cum infinita exempla se nobis offerant. Adest Cicero omnium oratorum Latinorum antesignanus, qui labori, & studio indefesso acceptum fert, quod cæteris omnibus anteponatur; quod Eloquentiæ parens audiat; quod etiamnum his seculis nostris ultimis ab unoquoque co- *4. Exempla.*

latur, & in honore ſummo habeatur. Adeſt Demoſthenes, Græcis oratoribus omnibus palmam præripiens, qui non ſine laboribus, non ſine ſudoribus ſe tantæ laudis participem factum eſſe teſtatur; qui moleſtiis multis exantlatis, & ſtudio indefeſſo tanti nominis, tantæque gloriæ poſſeſſorem ſe factum eſſe fatetur. Adeſt Virgilius hujus proprii ſui dicti teſtis, qui Poëſios principatum perpetui ſtudii, & indefeſſæ contentionis operâ ſe obtinuiſſe non inficiatur.

5. Teſtimonia. Ex infinita exemplorum multitudine pauca temporis anguſtiæ nos depromere juſſerunt: Idem in tanta teſtimoniorum copia ut faciamus, poſtulant. Dicti Virgiliani veritatem teſtimonio ſuo firmat Terentius Comicorum Poëtarum facile primus, qui, Nihil, inquit, tam difficile eſt, quin inquirendo inveſtigari poſſit. Huic ſe teſtem adjungit Horatius, nominis & gloriæ palmam omnibus Poëtis Lyricis præripiens, qui, Nil, ait, ſine magno Vita labore dedit mortalibus. Vtrique aſtipulationem ſuam non denegat Ovidius optimorum poëtarum haud poſtremus, ex cujus cerebro doctiſſimo nati ſunt hi verſus doctiſſimi:

Ardua molimur: ſed nulla, niſi ardua, vincunt.
Difficilis noſtrâ paſcitur arte labor.

Epilogus. Atque hæc vobis, Auditores candidiſſimi, hujus Chreiæ pulcherrimæ, pro ingenii mei modulo, illuſtrandæ gratia proponere, atque ex curto dicendi promptuario meo depromere viſum fuit. Par eſt, ut Vobis, pro benigna veſtra attentione, quâ incultum & rudem ſermonem meum excipere vobis placuit, ſum-

ſummas gratias agam, & colophonis loco adjungam admonitionem ſaluberrimam, quam Poëta hic noſter doctiſſimus nobis inculcat, dicens; Laborem improbum omnia vincere; nempe, ut deſidia fugata, & otio ultra Garamantas & Indos exterminato, ſummam laboris & contentionis rationem habeamus, & conſideremus, nihil magni, nihil pulchri in hac vita geri poſſe, niſi laborum moleſtiſſimorum opera & auxilium accedat.

FINIS.



INDEX

Rerum & verborum, in Progymnasmatis, & eorundem Auctario contentorum, locupletissimus.

Ana-

Cœli-

Eu-

La-

L.

M.

Mar-

Ninus.

Phi-

Ratio-

R.

S.

Σύγκει-

V.

X.

Z

FINIS.

Don de M. [illegible]
1890

R.

S.

Vaccei.

V.

X.

Z

FINIS.

Don de M. Dieyousek[illegible]

1890

Don de M. Girgensohn

1870

Don de M. [illegible]

1890